

Opera Iacchini, et Fonseca.
1
7
295









LEONARDI IACCHINI Emporiensis

Medici clarissimi, in celeberrima Pis. Acad. sub COSMO Magno Etr. Duce I. olim artis medicę professoris, methodus curandar. febrisi, per Rodericum Fonsecam eiusdem Gymn. in eadem facultate professorem primarium; nō sine magno medicorum profectu in lucem edita.

Cui accescere eiusdem Fonsecæ, quę ad operis absolutionem febres desiderabantur: opus, si quod aliud vmquā, medicinæ studiosis vtilissimum.

Ad Serenisś. & Prudentisś.

CHRISTINAM

Magnam Etr. Ducem, dominā suam colendisśimam.

Pisis
Apud Jo: Fontanum
A·M·D·CXV·
superiorū p·
missu·

SERENISSIMAE
CHRISTINAE
MAGNAE ETRVRIAE
DVCI DOMINAE,
ac Patronę suę colendissimę.

Rodericus Fonseca, S. P. D.

LEonardus Iacchinus Emporiensis, sub COSMO Primo Magno Etruriæ Duce, artem Medicã, in Pisana Academia, magna cum laude professus fuit, ingenio sublimis, & labore indefessus; multaq; de Philosophia, ac Medicina scripta reseruabat, tempore in apertum proferenda, sed mortem instare, atq; vrgere præsentiens, amicis, quibus maxime fidebat, ea commendauit; vt si viderentur digna, in lucem euocarent: Præ ceteris vero duo de arte medica volumina reliquit, alterum de partium morbis, alterum de febribus

 me-

methodo curandis. latuere hæc diu in ſitu, ac puluere, donec Hyeronimi Donzellini opera liber de partium morbis, nõ ſine maxima artis Medicæ, & mortalium vtilitate, Baſileæ in lucem prodijt. liber autem de febribus curandis, ſexaginta amplius annis in tenebris iacens, Dei, opinor, prouidentia nuper apud me lucem aſpexit. Arripui amice, legi iterum, ac ſæpius; iterumq;, ac ſæpius ingenij acumen, iudicij grauitatem, eruditionis perfectionem, doctrinæ varietatem ſuſpexi: vt mirum non ſit, ſi Cardanus omni diſciplinarum genere clarus, & ſua tantum admirari conſuetus, Iacchinum tamen ætatis ſuæ non ſolũ medicorum principem ſtatuit, ſed ſuſpicit, admiratur, omni exceptione maiorem prædicat. Indolui autem, cum febres aliquot deeſſe comperi, ſiue illę exciderint, ſiue lethi neceſſitate corripiente gradũ ſub ſtylum non venerint; eas mihi addendas cenſui, eamdem methodum ſecutus ne, an aſſecutus, alij iudicabunt, vt opus integrum appareat; quod ad communem vtilitatem intendens, ęre quidem meo, nomine autem ſui auctoris promulgandum putaui: eſt .n. animi ingenui honorem, & gratiam, cui debeas, reddere. Cogitanti autem mihi, cuius in primis fauorem in lucem prodiens ſecum afferat, tua mihi beni-

gnitas,

gnitas, Serenifs. CHRISTINA, tamquam propitium numen fe fe oftendit; vt pote quæ maximorum Regum fis progenies, Magnorum, Clariffimorumq; Ducum Filia, Vxor, & Mater; Etruriæ tuæ, immo totius Reip. Chriftianæ decus, & ornamentum. Dignus autem Iacchinus Emporienfis, Ciuis Florentinus, in Pifana Academia difcipulus primũ ftudiofus, deinde Doctor excellens, qui tua ifta luce fplendefcat. Ego vero pro ea parte, quam in hoc opere habeo, vel ideo tibi dicandum ftatui, quod cum immortalium tuorum in me meritorum monimentum aliquod extare cuperem, hoc grati animi fignum libenter profero; quod fi, vt fpero, gratum contigerit, addetur animus ad maiorum vigiliarum opera perficienda. interim Vale, & Salue.

Bartolomæus Mancinus ad Rodericum Fonsecam.

HAErebat mutilus in situ, & puluere Iacchus,
Integer en prodit, cernitur, & legitur.
Hoc opis est, Fonseca, tuæ, releuare iacentes,
Sarcire & laceros, hoc opus ecce tuum.

Iacobi Mancini Politiani.

QVam Veneris partem Cous depinxit Apelles,
Pertimuit pictor tangere quisque manu.
Quod cœpit Iacchinus opus, tu suscipis vnus,
Auges, atq; ornas, & petere alta iubes:
Depressum iacuit, sed nunc, Fonseca, reuixit
Te duce; teq; vnum tollit ad astra ducem.

Lelij Mancini Politiani.

INformem puero genitrix dat ſanguinis imbrem,
Dat ſpeciem genitor, membraq; ficta locat.
Concepit Iacchinus opus, ſed perficit idem
Fonſecæ inſignis clarius ingenium.
Hic genitoris onus, genitricis ſuſcipit ille
Munera. Quem dicas promeruiſſe magis?

Ilarij Mancini Politiani.

ACcumulauit opes, parto lætiſſimus ære
Quiſquis erat, Genio clarus, & arte potens.
Sed iacuere diu. Caſu leuat, ornat, & auget
Fonſeca ingenio clarior, arte prior.
Sic (ſtudij merces) proprio quoq; lętior ære
Quod ſibi, quod plurimis, conferat, addat, habet.



LEONARDI IACCHINI EMPORIENSIS,

MEDICI CLARISSIMI Methodus curandarum febrium.

Præfatio.

CVM nobis intentio sit inuenire artē quandam curandarum febrium putridarum; Auicennam prorsus relinquimus, quippe qui, & empirico modo procedat, & præceptiones tradat adeo defectuosas, vt vix exiguam partem huius artis attingat. Paullum quoque, & Aëtium in hac adiutores nolumus, vt pote in ea a Galeno plerumque alienos; sed id tantum a Gal., tanquam ex fonte hauriemus. Et priusquam methodum aggrediamur, modum quemdam tradere neccesse est, vnde in putridis vti poßimus auxilijs, quæ, vt inquit Herodotus, in manu methodici sunt manus Dei; in manu vero illorum, qui nullam artem callent, prorsus inutilia sunt: nam victum instituimus, purgamus, & similia, quæ omnia artem requirunt. Igitur nostrum hoc caput partiemur in victus rationem, purgationem, venæ sectionem, & in ea, quæ extrinsecus corpori admouentur.

De ratione victus, Cap. I.

VIctus ratio magni est momenti ex Hippocrate primo acutor. 16. ita vt aliquando dicat Hippoc. 3. epid. vbi ægros enumerat, mulierem illam periisse, quia intempestiue cenauit. Ad quod quattuor requiruntur, electio ciborũ, qui prosint; quantitas, quod difficillima res est, quoniam multitudine, & paucitate plerumque contingit errare; occasio, quia non licet quocunque tempore cibare; postremo est modus propinandi cibi, nam debet cibus habere proprium apparatum: quæ omnia de potione quoque quærenda sunt. Incipiamus ergo ab electione ciborum: primo debet medicus cognoscere, qui cibi eligendi sint, & in hoc necesse est, sibi proponat res naturales, præter naturales, & externa. Quę sunt ægro præter naturam, sunt primo febris, cuius caussa est putredo, quæ fit a prohibita transpiratione, quam inducit meatuum adstrictio, quæ fit a frigore, aut obstructione, vt cum corpus in vasis intermediat. Consideramus primo illa, quæ secundum naturam sunt, vt est ætas, temperamentum, consuetudo viuendi, vires, & vltimo propria ægri natura, quæ vnicuique a primis annis inest, & experientia tantum potest comprehendi. Externa consideramus, vt ambientem aërem, qualis sit. Ea, quæ sunt præter naturam, monstrant mihi contraria esse adhibenda. Cum ergo febris morbus sit calidus, & siccus 1. Aph. 16. necesse est, eligamus cibos frigidos, & humidos, qui iuuent, & non lædant, augendo caussam ipsius morbi. Caussa febris quid indicat? caussa ipsius est putredo; putredinis caussa, prohibita transpiratio; prohibitæ transpirationis caussa est pororum obstructio, cui, si respiciamus, non conueniunt frigida, quia augent obstructionem. Diximus alias caussam putredinis esse, vel materiam, vel obstructionem. Quę augent materiam, sunt cibi vitiosi, qui a natura concoqui non possunt, vnde conuertuntur in prauũ sanguinem, qui est putredini aptus ex 2. Aph. 17. Caussam putredinis, hoc est prohibitam transpirationem augent cibi lenti, crassi, & adstringentes; lenti enim, & crassi hærent meatibus, & faciunt obstructiones, vel factas iam fouent: adstringentes vero prohibent meatuum apertionem, & ex consequenti caloris euentationem. & hæ sunt condiciones putridorum ciborum, a quibus

maxime

maxime cauere debemus, scilicet eligere primo ratione febris cibos frigidos; deinde ratione caussæ, boni succi, vt bene concoquãtur, & poros aperiant. Cibi boni succi sunt ex Gal. 2. Aph. 54. qui bonum sanguinem gignunt, vt panis probe coctus, ptissana, pultes ex hordeo, vel farri: in summa regula habetur a Gal. 8. meth. Cap. 2. vbi ponit signa, quibus cognoscimus bonos succos a malis; nam amari, acres habent potius rationem medicamenti, quam nutrimenti; aut .n. non nutriunt; aut si nutriunt, malum sanguinem gignunt. Inter ea, quæ sunt boni succi, sunt aliqua, quæ valde difficile concoquuntur, vt panis azimus, caro suilla, & similia. At nos quærere debemus, quæ concoctu facilia sunt; quia febrientis calor non est bene temperatus, concoctio vero fit a calore bene temperato ex primo Aph. Vt ergo non præbeamus materiam putredini, debemus exhibere ea, quæ facile concoquantur, vires semper respicientes. Alimenta adstringentia sunt, aut acerba, aut acida ex Gal. 4. Simpl. 6. & 7. & 8. Meth. 2. vt fructus plurimi, veluti omphacium, sorba, mespilus, & similia, quæ omnia sunt euitanda. Quare quantum monstrat febris, & caussa, habemus electionem ciborum a rebus præter naturam; nam quæ sunt ex tritico, & hordeo, boni sunt succi: ex holeribus pauca admodum reperies, vt inquit Gal., vt est lactuca, & blugossum. oua bene præparata boni sunt succi. ex carnibus pulli gallinacei, perdices, phasiani, hædi, qui paruo tempore editi sint, similiter & vituli, & de his habetur a Gal. in lib. de Cachochimia, & euchimia, & lib. de Alimentis. Sed debemus ad magis specialia descendere, & monstrare, quæ indicent res secundum naturam, quæ non contraria, vt res præter naturam, sed similia exhibenda esse demonstrant. Considerabimus ergo primo vires, quæ si sint debiles, liquida exhibebimus, & quæ facile concoquãtur. Considerabimus & ætatem; nam in pueris lactentibus, lacte vtemur; in iuuenibus vero duriora exhibebimus, vt ptissana. Est etiam obseruanda consuetudo ex Gal. 7. Meth. 6., & hoc quãtum possibile est; quoniam consuetudo indicat cibos, tamquam signum, qui bene concoquantur, quia iam natura ijs assueuit; & tamquam caussa, quia gaudemus assuetis: nam assueta, & quæ auide capimus, facilius concoquuntur ex Gal. primo acutor. 8., & 6. Epid. comm. 4. cap. 8., & 2. Aph. 38. Neque debemus ea exhibere, quæ æger abhorreat a natura, etsi sint boni succi; quó-

niam sunt inimicitiæ in rebus ex Gal. 3 Simpl. 11. & 1. ad Glauc. 1. sic fiet electio ciborum a rebus naturalibus. quę omnia complexus est Hipp. primo Aph. 16. nam cum dicit, victus humidus, sumit indicationem a rebus pręter naturam, & non dixit, frigidus, quia id clarißimum erat, & ipse breuitati maxime studebat. Dixit, & maxime pueris, sumens indicationem ab ætate. Præsertim his, qui assueuerunt: vnde sumit indicationem a consuetudine. Nos vero addimus, quod ab ambiente debet sumi indicatio; nam aër, aut aduersatur, aut fauet ægro; quia modo est consentiens morbo, vt si quis febriat æstate, tunc .n. ab aëre fouetur febris; aliquando vero aër se tenet ex parte ægri, vt si quis febriat in hieme. & ita ab eo aliquando similium; aliquando vero contrariorum indicatio habebitur: vt si æstas sit, humidiora exhibere debemus; si hiems, tantum humiditatis diminuemus, quantum aër febri contrariatur. Sed quoniam mentionem fecimus de adstringẽtibus, quid de acidis dicemus? num vitanda sunt in febribus. Hoc dico propter Gal. 1. acutor. 18. vbi ait, quod omnia acida, præter oximel, sunt omittenda. Video tamen huic sententiæ medicos nostri temporis repugnare, qui multa poma acida exhibent, vt cerasa acida, mala punica acida, & similia. Contra hoc est Gal. auctoritas 4. simpl. & 6. & 7. quia sapor acidus fit ex dilutione saporis austeri, & acerbi; nam admistus humor diluit acerbitatem: si ita est, sequitur vt acidus sapor sit soboles acerbitatis, & ex consequenti non conueniat ratione adstrictionis. Dicendum est, quod non temere admittendũ est præceptum illud Gal., & experientia minime contemnenda, scilicet distinguendum, quod cum Gal. vult acida non esse adhibenda, quia habent adstrictionem, intelligit de acidis, quæ participant acerbitatem; sed si sint acida, quæ non habeant adstrictionem, quia conueniunt febri ratione frigiditatis, & incisionis, quam habent, non erunt inconuenientia, vt punica acida, & omnia, quæ solum sunt acida, sine vlla adstrictione. Hæc vero gustu deprehenduntur, quoniam gustus horum index est, ex Gal. 8. meth. 2. & hoc cognoscitur, quia cum adstringens gustatur, subito palatum, & linguam condensat, & corrugat, vt acida pura humectant, & saliuam mouent, & sitim sedant. & ita intelligendus est locus Gal. Nam cum dicit, acida respuimus, quia soboles sunt austeritatis, ergo & acerbitatem, & austeritatem retinent;

tinent: dico, quod hoc non ſequitur, quia poteſt adeo acerbum dilui, vt omnem auſteritatem deponat, licet habeamus alium modum generationis acidorum; nam dulcia aceſcunt, vt vina, & ptiſana, cum putreſcunt. & hæc de cibis acidis, & de electione eorum, quæ conueniant in febribus: ſequitur de quantitate ciborum.

De quantitate ciborum, Cap. II.

N*Vlla eſt res, quæ adeo coniecturalem faciat medicinam, quam medicamentorum quantitas ex Gal. in lib. de venæ ſectione, & 2. acut. 37. vbi inquit, ſi plus dederis, quam conueniat, maxime lædes; ſi vero minus, vires debilitabuntur ex primo Aph. 15. Vt ergo hanc artem percipiamus, vt poſſibile eſt, ſupponendum eſt primo, duas eſſe maximas differentias in quantitate, multum videlicet, & paucum. Multum alimentum dicitur, quod tres has condiciones habet; prima, vt magna ſui parte in rei ſubſtantiam conuertatur; ſecunda, vt quantitatem, & molem debitam habeat; tertia, vt nutrimentum ipſius non facile diffluat: quas omnes condiciones ſimul concurrere oportet, neq; vna, aut duæ ſufficiunt ad hoc, vt dicatur multum alimentum; non .n. dicitur multum, ſi multa ipſius pars conuertatur in nutrimentum, & non habeat molem, & id non ſufficeret, niſi eſſet nutrimentum ſolidum, & non difflueret ex 7. meth. 6. quare hæ tres condiciones multum deſcribunt. Paucum vero contra ſe habet, vt ſi parum eius in ſubſtantiam conuertatur, licet ſit multa moles, vt euenit in holeribus, quæ parum nutriunt ex 8. meth. 2. Dicitur etiam paucum, ſi deſit moles multa: tertio ſi ſit nutrimentum fluidum ex Gal. 2. Aph. 18., vbi de vino agit; & hoc ſit primum ſuppoſitum. Secundum eſt, quod imaginari, & ſupponere debetis, in quantitate alimenti latitudinem quandam eſſe; nam aliquando tenuiſſimus eſt; aliquando tenuis; aliquando medius; aliquando plenus. Primus gradus latitudinis eſt extreme tenuiſſimus, cuius oppoſitum eſt victus plenus: in medio horum prope extreme tenuiſſimum ſunt ſimpliciter tenuiſsimus, poſtea ſimpliciter tenuis. Reſpectu pleni non impoſita ſunt nomina intermedijs; quia medicus non vtitur pleno victu, vel raro, vt dixit Gal. & notandum, quod omnes hi victus reſpectu vi-*

rium tantum instituuntur; nam morbus nihil indicat de cibo. Est horum victus extreme tenuissimus, qui extreme, & maxime vires deijcit, quantum in se est, vt nihil omnino dare. Tenuissimus simpliciter valde vires debilitat, non tamen extreme, vt potiones, puta oximel, mulsa, aqua hordei. Victus simpliciter tenuis vires debilitat, sed non valde, vt puta succus tantum ptißanæ, qui necessario vires debiliores reddit, quam inuenerit. Medius victus conseruat eas sub ea proportione, sub qua inuenit, vt integra ptissana ex Gal. 1. acutor. 29. Plenus est, qui non modo conseruat, sed auget vires, & in omni horum ordine est latitudo, vt videbimus, & sic habetis victus genera a quantitate. Tertium suppositum est, quod nutrimentum, non datur morbi gratia ex 1. Aph. 4., sed potius vt nutrimentum est, nocet morbo, sed cibum damus virium ratione, vt possint aduersus morbum resistere; nam vires consistunt in sanguine, spiritibus, & solidis partibus, quæ omnia cibo dicuntur conseruari; quia semper diffluit substantia nostri corporis ex 1. acutor. 4. & 1. Aph. 15. & 1. de sanitate tuenda; & ita fit, vt quo morbus maior est, magis indicet, quod non offeratur cibus, vt si morbus extreme magnus sit, prorsus cibum prohibere possimus ex Hipp. vbi dixit, extremis morbis extreme tenuißimus victus. Sed quoniam nos nutrimus virium caussa, necesse est ad morbum profligandum vires conseruare, quæ quo debiliores sunt, magis etiam indicant de cibi exhibitione. Itaque considerandus est morbus, quantus sit, & vires, quam debiles, atq; has non tantum præsentes, sed & futuras, vt in statu; nam status indicat nobis respectu tantum virium, quia æger debet transire ad statum merito virium: & ideo considerandum est, ne prius deficiant, quam morbus ad statum peruenerit. Itaque non licet medico, cum vult, victum mutare, nisi & ægri status permutetur, quod in declinatione fit ex Gal. 2. acutor. 44. & ita ante statum non potest medicus victum mutare. Rursus ratione virium inspicimus ægri temperamentum, & habitum corporis; quoniam scimus, quod quædam temperamenta facile destituuntur viribus ex plurimo eorum substantiæ diffluxu. Idcirco dictum est pueros peßime omnium inediam ferre, nos vero & senes addimus; nam in ijs appositio alimenti infelix est ex Gal. 3. aph. 30. Habitus corporis consideratur propter vires, quia graciles, & qui sunt raræ corporis texturæ, facile læ-

le læduntur inedia ex 2. acutor. 23. de picrocolis. Cuius rei, hoc est eorum, qui facile, vel difficile inediam ferunt, habetur sententia Gal. 1. acutor. 44. Extreme tenuissimo victu vti debent, qui laborant extreme magno morbo, & vires habent firmas, & hoc non solum, si in præsenti sint robustæ, sed si non timeamus, quin vsque ad statum perdurent, qui cibus, neq; pueris, neq; senibus, neq; laxis textura conuenit. Tenuißimus simpliciter conuenit ijs, qui magno, sed non extremo morbo laborant, & timemus, ne vires deficiant ante statum. Tenuis victus ijs morbis conuenit, qui simpliciter acuti sunt: tenuißimus in extremo, acutis in extremo: tenuissimus simpliciter, simpliciter acutis, non tamen in extremo: medius vero ijs, quorum status longius abest. hæc de modis cibandi dici poßunt. Sed vos dicetis, tu descripsisti victũ tenuem, quia vires debilitas, & dedisti ptissanam, si æger ptissanam fastidiat, poßum ne ad genus aliud cibi transire? dico, quod aliud genus edulij propinabimus, ut far, panis maceratus, & coctus, & similia, & quia isti magis nutriunt, quam ptissana, eorum quantitatem minuemus, vt si sex uncias ptissanæ exhibuissem, farris quattuor, & panis duas exhibebo: & ita expendendæ sunt uires eduliorum; & de quantitate ptissanę, & aliorum dicemus in sequentibus.

De occasione cibandi, Cap. III.

IN omnibus rebus agendis maximum momentum habet occasio, quia tunc res prospere cedunt, cum tempestiue fiunt, & ita medicus, si in adhibendis remedijs, debitam occasionem nanciscatur, iuuat; contra si in tempore non offerat, maxime lędit; sed ista occasio præceps est, ut dixit Hipp. 1. Aph. 1., & pręcipue in acutis morbis, ubi maxime opus est, ne fallamur; nam errores in his letales sunt ex Hipp. 1. acutor. Occasio ita in cibandis ęgris consistit, ut in omnibus alijs rebus, cum omnia impedimenta seclusa sunt. At si sine impedimento id fieri non possit, minus est eligendum, ut facilius si contingat error, poßit a nobis recuperari. Hoc caput diuidemus in uniuersalem, & particularem morbi occasionem, incipientes a prima parte, ubi demonstrabimus, quod tempus sit commodum, & quod incommodum. Occasio ista duo requirit, & quod sit necessitas nutriendi,

& quod

& quod nihil impediat cibationem; & si quid impedit, id leue sit. Dictum est, quod morbus semper renuit cibum, sed coacti sumus cibare ratione virium; quia ad vires seruandas requiritur debita quantitas sanguinis, quam nutrimento assequimur. Si ergo morbus nihil indicaret, vt in peracutis, nihil esset exhibendum; at si morbus in longum protrahendus sit, vires de cibo indicant: quod si vires exposcunt, & morbus renuit cibum, ad id, quod magis urget, attendemus, non neglecto tamen altero, si fieri possit ex Gal. 10. meth. 1. Si ergo morbus aliquando maior est, aliquando minor; ergo aliquando magis, aliquando minus impedit, & maxime impedit, cum maximus est; at in statu maximus est ex Hipp. 2. aph. 13. ergo eo tempore minus indicat de cibi exhibitione: & si in principio coniectaris, quod usque ad statum æger non sit perduraturus, in principio cibum exhibere debes: in augmento minus cibandum est, quam in principio, & magis, quam in statu. Videamus nunc antiquos scriptores, quid dicant esse id. Hipp. 1. Aph. 8. inquit, ubi morbus peracutus est, tenuissimo uictu utendum est: & simpliciter tenuissimus est omnino nihil dare, comparatiue uero tenuissimus est respectu aliorum temporum dare. Rursus idem Hipp. 2. acutor. 15. inquit, melius est inter initia cibare, quam post tres, aut quatuor dies ægrum renutrire, antequam morbus consistat. Rursus tex. 17. eiusdem idem fere dicit, quod in statu cibare pessimus est error; & quod id uerum sit, habetis a Gal., & Hipp 2. acutor.; idem habetur ab Hipp. 1. aph. 10. & 2. acutor. 36. Habemus ergo, quod si coniecteris ægrum non posse sine cibo usq: ad statum durare, in principio cibandum est, & in augmento, sed minus; & ratio est, quia tunc morbus est minor. Sed quæret quis, quia contingit aliquando cibare in statu, quia æger est imbecillis. Dico, quod cibum dare potes, dummodo imbecillitas requirat, quod contingit plerumque, quia in principio æger inediam passus est. Qui error duplex est; primo, quia est contra Gal. & Hipp., qui in principio cibari uolunt, quia aliter maior contingit error, cum oporteat recibare in statu: & nostro etiam tempore uiget error, qui uigebat tempore Hipp.; nam solent mulieres in principio nihil dare, deinde post duos, aut tres dies cibare. Alter error est; quia cum uident ęgrum imbecillum, sine distinctione cibant, locus est Hipp. 2. acutor. 47. & 48. ubi inquit, quod si æger

ob

ob morbi acumen imbecillis fiat, & recibetur, grauis sequitur error. Æger enim ex Hipp. duplici caussa imbecillis fit; primo propter magnum morbum, vti si sit febris ardentissima, vel dolor aliquis maxime vrgeat; secundo imbecillitas prouenit ex inanitione venarum, & hoc est, quando vasa inanita sunt copia sanguinis: inaniuntur vero ex sensibili vacuatione, vt cum multus sanguis fluxerit ex naribus, vel ex plurimo sudore, & similia. Fit etiam sine sensibili, vt in corporibus, quæ sunt valde raræ texturę, & molli carne ex Gal. 10. meth.; his .n. sanguis per euaporationem resoluitur. De prima dicit Hipp., quod si quis velit cibo huic succurrere, ægrum interficiet: quæ vero est ex vasorum inanitione refectionem requirit. At dices, nescio distinguere caussam huius imbecillitatis. Dicit Hipp. id fatuum esse; quia sensibilem vacuationem, aut vidisti, aut factam esse, ab ægro, & adstantibus audiuisti. Si vero non præcessit caussa euidens, considerabis habitum corporis, vt si sit puer, & per tres dies cibum non assumpsit. Considerabis etiam, quod insensibiles imbecillitates non fiunt hieme, aut vere, sed ex aëre calidissimo, & statu cæli, & anni tempore tali: & his visis, si imbecillitas est ex magnitudine morbi, non exigit cibum; si ex inanitione, exigit. At dicit Gal. 1. aph. 9., quod vbi vires sunt imbecillę, etiam ex symptomatis in statu est cibandum. Dico, quod non intelligit, quod æger debeat recibari; & exemplum sumitur a Gal. 12. Meth. circa principium, vbi loquitur de eo, qui syncope prehendebatur, & ipse cibo symptomati obuiabat, cum vero cessabat symptoma, reuertebatur ad solitã inediam, & ratione tantũ symptomatis cibabat. hęc de vniuersali occasione cibandi in morbis.

De occasione cibandi in particulari accessione, Cap. IV.

IN particularis accessionis occasione cibandi eadem sunt obseruanda, quę in vniuersali, vt sit neccessitas, & nihil impediat. Et istud caput diuiditur in quattuor partes, vt quattuor sunt genera febrium, quos ordines habetis a Gal. 11. meth. vltimo. Prima forma febris est earum, quæ habent multam intermissionem, vt tertianæ exquisitæ, & quartanæ: in isto genere facile est occasionem inuenire, quia tunc morbus, aut nihil, aut pa-

rum quid indicat. Secunda formula earum febrium est, quę paruam habent intermißionem, & longam accessionem, vt tertiana notha, in qua quietis sunt tantum tres, aut quattuor horæ: in hac etiam facilis est occasio, in qua non in quiete, sed in declinatione cibabimus, cum status præcesserit per sex, aut septem horas ex Gal. 4. acutor. 114. Tertia formula febrium est, in qua neq; quies est, neq; longa declinatio, quia instat accessio futura, & status prope est; quia adhuc calet corpus, & in hoc maxime ualet medici coniectura; vtrumque .n. malum est. Dico in hoc, quod considerato, quod nam horum magis contrarium indicet, & maiorem uim habeat, ut considerando morem principij, & status, hoc est benignitatem, uel malignitatem horum temporum, minus malum est eligendum. Et symptomata principij sunt, quod calor uniuersus retrahatur in uiscera, & extrema depauperentur sanguine. Ex hoc indicatur, quod si cibemus hoc tempore, periclitatur æger, ne prefocetur a copia sanguinis tendentis in uiscera, quia natura a cibo grauatur, & prius grauabatur a copia sanguinis, unde periculum imminet, ne calor naturalis obruatur. Symptomata uero status, & mos ipsius sunt calor maximus, & dolores, vigiliæ, iactationes, quę calorem sequuntur: & ita status, & principium dicuntur maligna, uel benigna, secundum quod ipsa symptomata sunt, aut maiora, aut minora. Nunc cum debeamus cibare prope statum, aut prope principiũ, id horum eligam, quod minus erit malignum, ut si principium benignum sit, in principio cibabo, similiter de statu, & sic prope benignius semper cibandum est per spatium quattuor horarum, si poßibile est. Quarta formula est, si continua sit febris, ubi habetis 11. meth. cap. 5. quod in his tempus cibandi erit, in quo leuius ægri cibum ferent, ut in quo tempore sunt aßueti cibum capere; obseruanda ergo est hora consueta, si ęgro hora illa prospera sit. hæc de occasione cibandi.

Sed quia dictum est, quod cum tempus inter statum, & alteram accessionem breue est, minus malum eligere debemus, quæret quispiam, si utrumque prauum sit, quid facere debemus? profecto in angusto res ponitur, & in hoc casu occasio præceps est. Sed dicendum, quod principio potius, quam statui hærere debemus ex Gal. 11. meth. ultimo, uno casu excepto, cum febris est, cum dolore uentriculi, & iecinoris; & caussa est, quia in statu calor

maxi-

maximus est, qui corrumpit, & ideo maxime prohibendus est cibus. Proponit & alium casum, cum vtrumque mite sit, & tunc principio potius hæremus. At cum sint aliquæ naturæ, quæ inediam ferre non possunt, ita vt aut in principio, aut in augmento, aut in statu sit ex neceessitate cibandum, vt recitat Gal. de rhetore quodam, qui conuellebatur, si diu ieiunasset, quid agendum est? cogimur enim cibare præcipue in duobus exemplis, vt quando erratum est in accesßione, quia cibare debebamus ante accessionem duabus, aut tribus horis, quod prætermißum est, & æger non potest expectare declinationem, cum non possit ex natura sua tamdiu ferre inediam. Alterum exemplum est eorum, quos non semel, sed bis cibare oportet; hos .n., si inter statum, & principium tempus angustum sit, non possumus bis cibare, quando aut in principio, aut in augmento, aut in statu cibemus, quia non debemus cibare bis eadem hora. In his casibus, in quo horum temporum cibandum erit? Iuniores dicunt, quod in augmento potius cibandum est, & rationem afferunt: quia in augmento euitantur noxæ principij, & status. noxæ principij erant maxima retractio caloris, & extremorum frigiditas; in statu vero calor expansus est per vniuersum corpus: at in augmento horum vtrumque modicum est, ergo tunc potius cibandum. Secunda ratio est, quia illud tempus est eligendum, cuius noxa minore tempore perdurat; at peccatum hoc, si cibetur in augmento, non pertransit statum, quia quod peccatur in augmento, statui tantum commune est; principij vero noxa, & augmento, & statui communis est. & ita in augmento potius cibandum esse asserunt, non distinguentes naturas corporum; ita vt si æger pransus sit hora 17. & febris declinet hora octaua noctis, nolunt tamdiu expectare, sed in augmento cibant. Ego alias multum inuectus sum contra hos ex verbis Gal. 1. acutor. 46., vbi dicit, quod in principio, & augmento æger a cibo pariter læditur. sed melius nunc agendū. Et notandum, quod augmentum habet duas partes ex Gal. in lib. de temp. part. morb. prima pars augmenti sapit naturam principij, & habet eius noxæ reliquias; secunda pars sapit naturam status. Dicamus ergo ad primum exemplum, cum erratum est, quia non cibauimus ante principium accessionis, quod si periculum sit de syncope, & commißus sit talis error, quocunque tempore cibandū est ex Gal. loco supra citato, & 10. meth. 4. & 5.

Quod si offenderem ægrum valde calefactum in statu, cibum exhiberem non solidum, sed liquidum, vt potiones aliquas nutrientes, de quibus infra dicemus; & hoc faciendum est, vbi æger, vt diximus, inediam ferre non poßit, & sic dabimus aquam hordei corpulentam, & similia. In secundo exemplo, vbi cogimur bis in die cibare, vt in pueris debilibus, in quibus cogimur cibum partiri, in decrepitis similiter, in corporibus biliosis, de quibus dicit Hipp. 2. acutor. a 16. vsque in finem; quia eorum ventriculus ex inedia maxime affligitur, repletur .n. malis humoribus ex Gal. 3. de potentijs naturalibus 13. in his quid agendum? Respondeo, si tempus, quod interest, sit 6. aut 7. horarum, non potest æqualis mensura cibi exhiberi, sed priorem cibationem leuißimam faciam, vt post statum accessionis exhibebo potionem aliquam nutritoriam; post quattuor, aut quinque horas offeram pleniorem victum. Si vero tempus angustum sit, vt trium, aut quattuor horarum, cum in hoc casu neccesse sit cibare, aut in statu, aut in principio, eligam tempus benignius, & leuiorem cibationem dabo in declinatione status, maiorem vero in principio acceßionis, & ita in vno tantum casu cibabimus in augmento. Hæc de hora cibandi: sequitur de modo ipsius.

De modo cibandi, Cap. V.

Modus cibandi tria habet capita; primo .n. considerabimus, vtrum vna cibatione, aut pluribus cibandum sit; secundo apparatum; tertio ordinem ciborum. Circa primum caput, partitionem cibi mihi indicat virium imbecillitas, quæ debitam cibi quantitatem vna vice concoquere non possit, vt cũ ventriculus, aut hepar affectum est. Et quo æger imbecillior est, magis cibum partiemur, considerando cum hoc ætatem, vt decrepitam; & consuetudinem, vt si bis cibari æger assuetus sit, bis cibetur, & hoc si nihil impediat: quia si consuetudo dimittatur, vires debilitantur, vt in pueris. Partimur etiam magis in æstate, & vere, quam in hieme, & autumno. hæc de partitione alimenti.

Apparatus habet hæc capita, vt in primis condituram consideremus; secundo modum substantiæ; tertio qualitatem, sub qua offerri dicitur; quarto coquendi artem, nam dicit Gal. non decet

medi-

medicum coquinariæ artis esse imperitum : non .n. semper in gratiam, sed in vtilitatem ægri cibum paramus, scilicet vt bene alatur æger, quod erit, si bene coquatur cibus, quod fiet ex bono ipsius apparatu. Vt bene apparetur, primum conditurum obseruamus, hoc est, quæ cibis admiscentur, vt oleum, sal, herbas, & similia. Conditura primum est attendenda, vt ægro gratificemur, quia quæ auidius sumuntur, & gratiora sunt, facilius concoquuntur: quoniam ventriculus ea melius amplexatur, vt inter eius tunicas, & cibum nihil vacui intersit. Si vero cibus non sumatur cum voluptate, regurgitat ventriculus ex Gal. 1. acutor. 17. vel 18. ubi agit de laudibus ptissanæ, & 2. aph. 38. & 6. epid. comm. 4. cap. 8. secundo conditurum obseruo propter febrem, coquendo cum cibis lactucam, cucurbitam, & similia. Respicio aliquando caussam, vt cum incoquo radicem petroselini, vt urinas moueat, & aperiat, & rarefaciat. Respicio etiam symptomata, ut si quis habeat uentriculum imbecillum, exhibeo illi far, aut ptissanam cum succo granorum malipunici, aut cum granis sumach. Tertio condio ratione ciborum, ut corrigam eorum qualitatem, vt cum exhibemus lactucas, & adijcimus illis saccharum; aut ptissanam cum pipere, vt in tertiana notha; & ad corrigendum far exhibet Gal. porrum, uel acetum. & hæc omnia fiunt, ut cibus melius concoquatur. Secundum caput circa apparatum erat modus substantiæ, ut si solidus, aut liquidus cibus exhibendus sit. Et hoc fit primum in ægri gratiam, quia aliqui oderunt sorbitiones, aliqui masticationes. Vel ratione etiam debilioris ventriculi liquida damus. Aliqui etiam gaudent siccioribus, aliqui humidioribus: & hoc respiciendo naturam ægri, & consuetudinem. Hæc de apparatu circa modum substantiæ: sequitur de qualitate.

De qualitate Alimenti, Cap. VI.

Qualitatis tres differentias inuenimus; nam aliquis cibus offertur actu frigidus; aliquis calidus; aliquis sub fontanæ aquę frigiditate: de tepido nihil dicimus, quia tepida uentriculum laxant, & vomitum cient ex Gal. 8. meth. 5. In his differentijs duæ apertæ sunt, ut caliditas, & frigiditas; fontana uero qualitas quid est? nam fontes non semper eodem modo se

habent;

habent; aliquando enim frigidissimi sunt, ut in æstate; aliquando calidißimi, ut in hieme; aliquando temperati, ut in medijs temporibus. Hoc uocabulum fontanæ frigiditatis usurpabatur tempore Gal. & censendum est, quod sumptum sit a natura rei. Cum .n. fontes habeant tres qualitates, intelligendum est de moderata illa qualitate, quæ mane per ver sentitur ex Gal. 10. meth. vltimo, vbi ait fontanam frigiditatem esse, quæ non feriat, & mordicet: ita vt sit media inter tepentem, & frigidam. Quærimus ergo nos, sub qua qualitate cibus offerendus sit. Considerabimus primo morbum, & caussarum naturam: nam si febris sit ardentissima, frigida exposcit, & non solum potentia talia, sed etiam actu. Quod si morbus mitior sit, potentia tantum frigida requiret, actu vero calida; quia tunc caussas respicimus, nam si caussæ sint frigidæ, potentia tantum frigida, actu vero calida exposcunt: quoniam actu frigida condensant, & augent caußam. Considerabimus præterea naturam ægri, vt si eger assuetus sit potare aquam calidam, calida est exhibenda, nam consuetudo maxime indicat, licet non consueti simus nos calidam aquam potare, & tunc de caliditate tantum demēdum est, quantum morbus indicat. eodem modo si æger frigidis aßuetus sit. Aër etiam est attendendus, qui si calidus vehementer sit, augebo frigiditatem in cibis, similiter de alijs aëris qualitatibus. Si vero eger nec multum frigida, nec multum calida quærat, sub fontana frigiditate cibi exhibendi sunt, & fontana qualitas tunc conuenit, cum adest indicationum contrarietas, vt si febris indicet frigida, & caussa, calida: similiter si æger debilis sit. Hæc de qualitate ciborum: agamus nunc de arte coquendi.

De arte coquendi cibos. Cap. VII.

Cocturam ciborū diuidimus in assos, & elixos; & hoc primo facimus in gratiam ægri, quia aßa sunt sicciora, elixa vero humidiora. Attendimus etiam in hoc naturam ipsius morbi, vt si febris sit, exigit vt febris est, humidos cibos. Ex natura caussarum, si bilis sit, elixos cibos propinabimus, & sic de alijs. Ratione etiam virium, si debiles sint, elixa damus; si vero fortes, assa. Ratione etiam eduliorum, quorum aliqua sunt meliora, si elixentur; aliqua contra. Hæc de coctura, & de omni apparatu dicta, sint satis: dicamus nunc de ordine.

De ordine ciborum. Cap. VIII.

Contingit, vt aliquando varia ciborum genera offeramus, quod ex Gal. valde effugere debemus in 3. alim. 29. nam ciborum varietas ventrem turbat, ita vt sit occasio cruditatis. Sed quia habemus sępe ægros contumaces, ideo vt illis aliquando pareamus, plures cibi exhibendi sunt in eorum gratiam, vt in ceteris sint medico obsequentiores. Sed in hoc plurimum euitare debemus, ne remaneant inconcocti. hoc autem qua arte faciendum est? sciendum, quod plures cibos offerimus in ægrorum, vt diximus, gratiam, cum nolunt nobis obtemperare, quod vitare debemus, ne lædat. Aliquando in vtilitatem ægri offeruntur, quam assequi maxime quærere debemus; vt si velimus ciere vrinam, aut aluum mouere, & ægri nolunt parere, admiscemus cibis lenientia, & mouentia vrinas. Sed procurare debemus, vt id, quod intendimus, assequamur: quod fiet, si quæ concoctu sunt faciliora, præmittantur; duriora vero postponantur: quia quæ cito concoquuntur, nisi properent a ventre descendere, ad prauam qualitatem conuertuntur, & corrumpuntur. locus huic contrarius est in lib. de solutione continui, quem facile est soluere, licet ille liber non sit Gal. Sunt ergo dandi cibi eo ordine, vt intentam vtilitatem aßequamur, & hoc erit, si quæ molliunt ventrem præmittantur, & adstringentia postponantur; nam adstringentia roborant superiorem partem ventris, & sic iuuant alui deiectiones: contra vbi quærimus aluum sistere, adstringentia sunt præmittenda. & hæc de modo cibādi: superest, vt de potione agamus.

De potione. Cap. IX.

Potionum aliæ sunt potiones tantum, aliæ habent vim nutritoriam: potiones solum sunt aqua ipsa, & aquæ stillatitiæ ex plantis: potiones, quę vim habent nutritoriam, sunt vt vinum, oximel, mulsa, aqua hordei, & aqua, quæ vi ignis ex carne gallinarum, & coclearum extrahitur. Primum vires earum perpendamus, & incipiamus ab aquæ frigidæ potione. Hipp. aquam frigidam videtur ægris omnino prohibere, quia nihil illi vtilitatis insit, & multa afferat incommoda ex 3. acutor. Sed

nos mittamus eius potum, vt medicamentum, & dicamus de ea, vt potus est, quia non possumus semper eius potum prohibere, sed eligemus aquam, quæ optima sit, quæ quomodo eligatur, habetis a Paullo, & Aëtio, & a Gal. 6. epid. comm. 4. cap. 10. vbi docet aquam coctam. Qualitates aquarum ab incolis sunt quærendæ, & maxime ab ijs, qui ea frequenter vtuntur: experientia alia est ex his, quæ excoquuntur, nam si bona sit, omnia ab ea facile elixantur. Considerantur etiam vasa, in quibus aqua coquitur, & detinetur, quia malam habet subsidentiam. Sed cum suspicio est de malitia aquę, eam prius elixamus plus, & minus, iuxta malitiei paucitatem, vel multitudinem, & cum elixata est, refrigeretur per noctem sub dio, nam ex hoc partes minerales fundum petunt. Soleo ego aliquando parum saccari admiscere, quia mel, & saccarum ad distributionem faciunt. hæc de aqua pura. Aquis distillatis vtimur ad varios vsus, & maxime ad refrigerandum, vt aqua acetosa, & maxime quæ distillata est in balneo Marię.

Transeamus ad alias potiones, & primum ad mulsam, quæ dicitur, vel meracior, uel dilutior. Meracior est, cum plus saccari addimus, ut si uni libræ aquæ, tres, aut quattuor uncias saccari, uel mellis inijciamus. Quæ meracior est, minus sitim sedat, & magis nutrit; dilutior uero magis humectat, & refrigerat, & sitim leuat, sed minus nutrit, & iuuat ad ducendas urinas, cum meracior magis aluum moueat. Noxę huius sunt, ut facile bilescat, & multo magis meracior, quam dilutior. Oximel quoque uel meracius est, uel dilutius: meracius est, quod multum mellis, & aceti accepit, ut cum ad libram unam aquę adijciamus sex uncias saccari, & tres uncias aceti. Dotes oximellis eædem fere sunt cum mulsæ dotibus, nisi quod non facile in nutrimentum transit ratione aceti, humectat, & refrigerat ex Hipp. 3. acutor. Oximel meracius non adeo sitim leuat, ut dilutius. Noxę sunt, ut abradat intestina, ita ut facile ea possit exulcerare, & maxime meracius: lædit etiam neruosas partes, & ideo mulieribus non dandum est ratione aceti. Ceterę potiones, ut quę extillantur ex carnibus, & cocleis, habent uim humectandi, & reficiendi uires. Aquę coclearum magis nutriunt, & magis refrigerant, & ideo exhibentur in febribus tabidis. Modus apparandi decoctum carnium gallinaceorum, quod consumatum uocant, non laudan-

laudandus est: quia accipit nitrositatem, & salsedinem: sed destillatio debet fieri, vt carnes mittantur in multa quãtitate aquæ cum buglossa, acetosa, lactuca, intubo, & similibus, & destillentur igni moderato.

Restat modo dicere de vinis, sed priusquam ad ea transeamus, supersunt potiones quędam, vt aqua hordei, quæ sæpe hodie in ægrorum vsum vsurpatur, cuius non est mentio apud antiquos, præterquam apud Hipp. 4. acutor. in fine, vbi Gal. in comm. dicit, se nescire quid sibi velit Hipp. per aquam hordei. Nos tamen videmus eius potum vtilem esse, in cuius apparatu non debemus pręscribere quantitatem aquæ, & hordei, vt facimus in ptisana, quod dicemus infra in edulijs tertianæ nothæ: sed satis est, vt aqua sit quadrupla, aut quincupla ad hordeum, cuius aliqua est tenuior, aliqua corpulentior: & tenuior paruam vim hordei imbibit, & crocea tantum apparet. Corpulentior vero multam vim hordei accepit, vt & crocea, & rubra appareat, qua vtimur vt potu, & vt nutrimento, & cum frigida sit, & humida, prodest febri, & habet vim abstergendi intestina, sed generat flatus in ventre tantum frigido, quamobrem admiscemus illi saccarum, vt ad libram aquæ sexuncem saccari inijciamus; admiscemus quoque coriandros pręparatos, cinamomum, & passulas, quæ flatus prohibeant. Hæc de aqua hordei: agamus nunc de vinis, quantum attinet ad sitim, cum comedimus.

De vinis. Cap. X.

CVM multa sint vinorum genera, non omnia veniunt in vsum medici. Nam dulcia, cum sint crassa, non conueniunt; quia faciunt obstructiones ex Gal. 5. de tuenda valetudine. Austera etiam augent obstructiones. Vtilissimum est album, tenue, & pauciferum; album, id est in colore aquæ proximum; tenue, id est diaphanum, & pellucidum; & pauciferum, id est non vinosum, & paucam ferens aquæ admixtionem, quæ omnia oportet experiri. Horum maximus est vsus in febribus, vtimur aliquando & subflauo, flauo numquam vtimur, nisi ex aliquo accidente, ex Gal. 12. meth. 2. Noxæ vinorum sunt calefacere, quam noxam corrigimus per aquæ admixtionem, iuxta vini vires, & febris magnitudinem, & ægri consuetudinem; sunt

enim qui ex aquæ admixtione læduntur. & aqua vino debet admisceri multo ante, vt melius simul contemperentur. Quantitas non potest pręscribi, nisi vt pręscribit Gal. 7. meth. circa finem, quod tanta debeat esse quantitas potus, vt in ventriculo cibi non fluctuent, quia tunc non potest fieri bona concoctio; nam ventriculus, quia intercedit potus, non potest cibum bene complecti. Et hæc de victus ratione in vniuersum.

De purgatione, Cap. XI.

IN capite de purgatione quinque consideranda veniunt: primum, num in omni febre putrida sit purgandum, & si in aliquibus, quæ nam ę sint; hoc enim primo quæritur a medico: secundum quęsitum est, quibus remedijs purgatio fiat: tertium est de quantitate: quartum de occasione, quando tempestiua sit purgatio: quintum de modo offerendi medicamentum. Ad primum, num in omnibus febribus purgatio conueniat, & si non in omnibus, in quibus. Si volumus imitari Arabes, hi in omnibus vtuntur purgatione, & Neoterici hoc semper obseruauerunt. Nos alias contra istos inuecti sumus, & nunc dicimus, quod raro in febribus opus est medicamentis vti; aliquando tamen id fieri potest. Et primo supponimus, quod febres, quas curat natura, varijs modis finiuntur, & soluuntur; aliæ enim finiuntur per crisim; aliæ vero per concoctionem. Rursus, quæ per crisim finiuntur; aliæ per absceßum; aliæ per excretionem. Secunda diuisio, quæ per excretionem creticant; aliæ sanguinis fluxu; alię sudoribus; aliæ vrinis; aliæ vomitu; aliæ vero alui deiectionibus. Explicemus nomina hæc. Finiri per crisim definitur a Gal. primo de crisi ad principium, & 2. eiusdem 2., videlicet crisis est subita morbi mutatio, in qua vel statim salus sequitur, vel saltem magnum momentum salutis, & hoc fit, vel subita excretione, vel absceßu. Et quæ prorsus morbum soluit, perfecta crisis est; quæ vero contra se habet, imperfecta. Solui per coctionem, est paullatim solui, & est contra solutionem factam per crisim, & dicitur sic ex Gal. 2. progn. 65. & 3. eiusd., 25.; quoniam in hac solutione duo fiunt naturæ opera, concoquere scilicet, & paullatim expellere: & quamuis sint duo opera, dicitur tamen concoctio, quia expulsio occulta est, quia natura in excer-

excernendo, non facit impetum; ob id non eſt notatu digna, ſicut concoctio, quæ cognoſcitur a principio morbi vſq; ad finem. Sed cum dixerimus, quod criſes aliæ fiunt per excretionem, aliæ per abſceſſum: abſceſſus eſt, vbi non extra corpus, ſed ad aliquam partem natura morbi reliquias traducit. His ſtantibus, videamus, quomodo febres in his modis ſoluendi ſe habeant. Et dicamus, quod febrium aliæ magni morbi ſunt, aliæ parui; id eſt, alię mites, alię uehementes. quę ſoluuntur per criſim, magnæ ſunt ex. 3. de criſi. 4.: paruæ uero paullatim ſoluuntur, ita ut paullatim, id eſt ſenſim humores concoquantur, & euacuentur. Sunt aliæ febres, quę per abſceſſum ſoluuntur; nam aliæ ſunt longi temporis, licet ſint magnæ; aliæ breuis: quæ longi temporis ſunt, faciunt criſim per abſceſſum; quia materia longorum morborum eſt craſſa, & uiſcida, & non poteſt facile expelli: quia ſi natura velit illam per ſudorem expellere, hæret cuti; ſi per deiectiones facit abſceſſum in inguinibus, & ita de aliis excretionibus. breues vero morbi non faciunt abſceſſus, quia horum materia tenuis eſt. His habitis, ſi conſideremus naturam curantem febres, videmus ne eam pro remedio ſemper uti alui profluuio? certe id rariſſime facit, & licet per excretionem, quæ multiplex eſt, natura expurget, per deiectionem raro id facit; ſępius .n. per fluxum ſanguinis narium, per ſudores, & ſimilia, quia plures habet expellendi uias. In longis autem morbis plerumque per abſceſſus materias traducit: & ita cum raro natura per aluũ tentet excretionem, raro & nos ea uti debemus, ſi naturam recte operantem uolumus imitari. Sed nihil adhuc docuimus; eſt .n. ulterius quęrendum, in quibus febribus ſit utendum pharmaco purgante. Et in hoc nobis proponere debemus ægri tolerantiam, & purgandi facilitatem, & tunc uti purgatione, cum natura eam tentat, ſed lente id facit: ut ſi bis, uel ter natura alum mouet, & tamen febris adhuc ſequitur, debemus tunc pharmacum exhibere, quia quo natura repit, eo ducere conuenit, ex. 1. aph. 21 Secundum exemplum eſt, quando natura criſim fecit imperfectam, per eamdem regionem, per quam ipſa tentauit, nos quoque purgare debemus: & hoc accidit in declinatione morbi, ubi natura excretionem tentauit, & non perfecit; tunc .n. ne ſequatur recidiua, ei auxiliari debemus. Tertium exemplum eſt, quando natura tentat alias uias, & non perficit; ut cum concoctis

humoribus natura per urinas, & sudores quotidie excernit, & tamen febris adhuc durat: in hoc casu, quando tentauerimus cum ureticis, & sudorificis, ad purgationem per aluum ueniendum est, & hoc ex lib de constitutione artis medicæ; quia humores per proximas uias ducendi sunt, ut qui sunt sub cute, per sudorem; qui inter inguina, & alas, per urinas: & licet unaquæque excretio totum corpus purgare possit; quia tamen natura eas uias tentat, quando non perficit, easdem & nos tentare debemus, quod si non perficiamus, per aluum purgationem faciemus. Quartum exemplum est, cum natura nullam excretionem tentat, quod raro accidit, contingit tamen aliquando, tunc ex ægri tolerantia, & utilitate pharmacum deiectorium propinamus: & ratio utilitatis est ex Gal. 7. meth. ad finem, quia intestina assueta sunt excrementis, & eorum uiæ latæ sunt; quod si per alias uias traducerentur, cum strictæ sint, æger maxime læderetur: ergo eo ducenda sunt excrementa ad faciliorem ægri tolerantiam. Quintum caput est, cum natura impetum facit, & in hanc, uel illam partem humores commouet, tunc enim commodissimum est per secessum purgare; quia naturam habemus adminiculantem, & humores sunt in motu. & ideo in acutis morbis raro est utendum purgantibus medicamentis ex Hipp. 1. aph. 24.: in longis uero morbis, quando natura non tentat, uel tentat, imperfecte tamen. Et hæc de primo capite, in quibus sit utendum pharmaco purgante.

Sequitur secundum caput, quibus pharmacis sit utendum: sed prius sciendum est, quod nos loquimur in febribus, quatenus febres sunt, seclusis symptomatibus; nam ob dolorem uentriculi, uel coli, cogimur aliquando pharmacum dare. Cum ergo nobis mens sit purgare, uenit statim consideranda electio medicamentorum, quæ multa capita habet: primo enim distinguendum est, quod medicamenta alia mollientia sunt, alia soluentia. Mollientia sunt, quæ non habent uim notabilem attrahendi, sed duram, & adstrictam aluum molliendi, & dicuntur procoga, hoc est ester corum eductiua. Soluentia uero sunt, quę plurimum succum, & proprios humores ex uenis trahunt: ut Agaricus pituitam, Rhabarbarum flauam bilem, & sic de ceteris. Ex mollientibus duplex genus est; alia enim uere mollientia dicuntur; alia autem non uere: uere mollientia sunt, quæ solas feces educunt, &

nihil

nihil trahunt ex uenis: non uere autem, quæ uim aliquam habent humorum attractiuam, quamuis non sit notatu digna. Exempla vere mollientium sunt ea omnia, quæ quia proritant aluum, leniunt; vel quia humectant, & lubricant duras partes intestinorum. Proritantia sunt, aqua mulsa quia saccarum propter vim detersoriam abstergit, similiter & mel, oximel, acetosus simplex, aqua hordei, præcipue si sibi admistum sit saccarum, succus ptisanæ, cappares ex oximelite, beti, & oliuæ salitæ; similiter iuscula ex carnibus, & ex crustosis piscibus quia sapiunt quid nitrosum, & salsuginosum: hæc omnia proritando, aluum mouent. Humectando vero, vt simplex oleum, vel herbæ oleo incoctæ, sicut malua, blitum, & attriplex, si oleo, & sale condiantur; oleum quoque amigdalarum dulcium, & amararum: hęc omnia molliunt non attrahendo humores. Non vere mollientia, aut simplicia sunt, aut composita; simplicia, ut cassia fistula, manna, aloë, quod & si bilem attrahat, inter mollientia numeratur: composita vt confectio ex sena, ex prunis, diacatholicon, & electuarium mesue, quod rosatum appellatur: quæ mollientia sunt, et non notatu dignam habent humorum attractionẽ.

Soluentia medicamenta alia bilem, alia pituitam, alia melancholiam, alia serosos humores trahunt. Alia diuisio est ab eorum viribus accepta, quia alia soluunt leuiter, alia vehementer. In febribus soluentia sunt rhabarbarum, agaricus, & hæc simplicia sunt: composita vero diaphenicon, cuius duæ sunt compositiones, electuarium de psilio, medicamentum ex succo rosarum, & compositio amech. Inter quæ sunt quędam media inter mitia, & vehementia medicamenta, vt syrupus rosatus solutiuus, & syrupus violatus solutiuus. In genere etiam soluentium sunt pilullę, vt aggregatiuę dictæ: alijs nescio an uti debeamus. Nunc æstimemus horum medicamentorum vires: & quoniam omnia habent vim deleteriam ex Gal. 2. acutor. 12. debemus eorum mensuram pręscribere, ne lædant; quare eorum doses pręscribamus. Primo vere mollientium nulla est dosis; quia familiaria sunt naturæ nostrę. nam ex oleo simplici propinamus 12. vnc. Ex oleo amigdalarũ dulciũ, vnc. VIII. Mollientia non vere dosim habent, & primo simpl. dosis est vnc. II. quam non debemus transcendere, vt cum propinamus cassiam, mannam, & bieram simplicem. Compositorum vero non transcendimus vnc.

I. aut

I. aut drach. X. præsertim si solutiua admisceamus. Solutiua, & primo media eamdem habent dosim cum non vere mollientibus, & hoc est ad vnc. I. vsq; ad II. & aliquando fortibus hominibus vnc. III. propinaui, & bene cessit, quia veritus erã medicamenti vetustatem. Solutiua vehementer, & primo simplicia habent dosim, si sola exhibeantur, drach. II. Compositorum multæ sunt doses, & primo est diaphenicon minus, & maius; minoris dosis est vsq; ad drach. VI. aliquãdo obtuli robusto corpori drach. VIII. sed vt plurimum circa vnc. ſ. consistimus. In electuario de psilio raro vnc. ſ. transcendimus: in febribus vero damus drach. III. similiter de alijs electuarijs. hæc prius proponenda erant: nunc ad rem veniamus.

Primo considerare debeo, vtrum molliente, an soluente medicamento vti debeam, & hoc indicat morbi natura, quæ si sit purgatu facilis, vt bilis flaua, mollienti vtor; contra difficultas humoris purgandi, vt pituita, indicat de soluente medicamento. Indicat etiam situs humoris, qui cum situs est in propinquis, quoniam a vicinioribus facilius trahuntur humores, molliente vtar; si in remotis, soluente. Tertio indicat naturę impetus, vt si ad aluum natura impetum faciat, quod cognoscitur cum æger sentit tormina, flatus, & rugitus in intestinis, tunc mollientibus vtor. Quarto indicat ægri natura, quæ diligenter perdiscenda est, & ex natura propria, & vniuersali, vt Hispani male se habent ad purgationes, similiter fortia corpora, vt agrestia; contra mollia corpora, vt pueri, & mulieres. In indiuiduis quoque sunt naturæ, quæ facile, alię quæ difficile purgantur; & ideo modo mollientibus, modo soluentibus medicamentis est vtendum. Vltima indicatio est ex viribus ægrotantis; nam si vires sunt debiles, solutiua offerre non audemus, sed contenti sumus mollientibus: similiter si ex soluente aliqua noxa expectetur, vt in pregnantibus. hæc de electione medicamentorum secundum genus. Vbi coniecturam fecerimus, quod medicamentum est propinandum; quoniam aliud bilem, aliud pituitam trahit, conueniens est eligendum, & hoc ex natura ipsius morbi, vt si pituitosus sit morbus, exhibebimus medicamentum, quod pituitam purget, & sic de ceteris: quæ habentur a Gal. in lib. de plenitudine ad finem, & 3. de locis affectis. 6. & 1. aph. 2. & 4. aph. 2. in quibus locis agit, quæ faciant humorum diuersitatem, vnde peccantes humores coniecte-

niectemur. Vbi coniectabimur, quod bilis est purganda, inter bilem purgantia differentia est magna, vt aloë, rhabarbarum, & scammonium purgant bilem, inter quæ est latitudo, quia aliud magis, aliud uero minus purgat: & hoc faciunt medicamenta, alia ex proprietate sua, vt rhabarbarum ex sui proprietate soluit; alia vero id faciunt, & solutiua fiunt, si eorum dosis augeatur, vt cassia, manna. Ideo primo considerantes medicamentorum vehementiam, eorum dosim præscribemus: secundo spectantes humorum contumaciam, vt si humor solutu difficilis sit, ut bilis exusta, & crassior facta, fortius medicamentum eligemus, & dosim augebimus: contra si humor sit ad soluendum facilis; similiter si uires sint debiles, aut fortes. fit etiam coniectura ex natura ægri, interrogando eum de medicamentis, quibus solitus sit purgari, quod aliqui optime referre sciunt: & si nota erit natura, quæ forti medicamento purgetur, dosis est augenda; contra, si leui medicamento soleat purgari. At si ignota erit ægri natura, dicit Gal. in lib. quos, & quando purgare conueniat, &. 2. acutor. 10. & 12. quod debes eam quærere per communes rationes, vt numquid habitus corporis sit mollis, aut durus; similiter regio si sit calida, aut frigida, & sic de ceteris. Quod si adhuc times vim medicamenti, dicit eligendam esse dosim mediam, vt si maxima dosis diaphœniconis sit drach. VI. & minima drach. I. ſ. media erit exempli gratia drach. III. aut IIII. Ego uero aliud præceptum addo, quod si times, & tempus suppetit, leuibus primo medicamentis naturam ægri debes experiri, vt exhibendo pilullam vnã, quę dicitur ex diatrion, & si leui medicamento magnum videas alui profluuium, non audebis super magno medicamento: & hęc de electione medicamentorum dicta sufficiant. Sequitur de quantitate purgationis.

De quantitate purgationis. Cap. XII.

QVantitas purgationis tanta esse debet, quantus est humor purgandus, proinde non semper una purgatione contenti erimus, sed aliquando bis, aliquando ter purgabimus, vt ueram quantitatem purgationis assequamur. Sed quonam signo debitam mensuram cognoscamus? Respondeo, quod considerandum est ægri corpus, num supersint aliqua ex superioribus sympto-

matibus

matibus ex Hipp.2.aph.8.nam si supersint simptomata, signum est adesse prauorum humorum reliquias, quæ ne fiat recidiua, purgandæ sunt. hæc de quantitate purgationis: sequitur de occasione.

De occasione purgationis, Cap. XIII.

MAgni momenti est purgationis occasio, cuius signum est, quod natura, quę sola morbos curat, si non in tempore purget, non modo ægros non iuuat, sed lędit, ut fit in crisibus symptomaticis, quæ vi morbi fiunt ex. 4. aph. 56. & 1. epid. 2. cap. 23. Si ergo natura non iuuat, nisi tempestiue purget, quanto magis medicus occasionem perdiscere debet. Hinc longa orta est disceptatio inter nostri temporis medicos de occasione purgandi, & ratio est, quia non sequuntur methodum ipsam, sed verbis tantū scriptorum innituntur. Duplex ergo est inter Galenicos secta; alij .n. nolunt propinare medicamenta, nisi post concoctionem, nisi natura turgeat ad excretionem, sed nisi humores sint in motu perpetuo, expectandam eße concoctionem asserunt, quod confirmatur ex Hipp. 1. aph. 22. concocta medicari &c. & in lib. de humoribus: nec satis est dicere, quod per cruda intellexerit pituitosa, quia sic non satisfacimus; nam Hipp. & calidos humores crudos intelligit, dummodo distent a mediocritate, subiungit .n. nisi turgeant, quod non potest tantum intelligi de frigidis, qui immoti manent, sed de frigidis, & calidis. Experientiam quoque ad id adducunt, quia dicunt se vidisse purgationes ante concoctionem ægros lædere, ut aliquādo febres duplices factę sint, & ex salubribus insalubres. Innituntur etiam ratione: quia si video naturam recte operantem, in omni humorum genere expectare concoctionem, debeo eam imitari, & non prius mouere, quam natura parata sit ex Gal. 1. aph. 22.: hæ sunt fere omnes rationes, quibus prima secta innititur.

Altera secta eorum, qui Gal. profitentur, licet putent purgationem in principijs commodissime fieri poße, & maxime his tēporibus; diuidit purgationem in minoratiuam, & eradicatiuā; & minoratiuam in principio, eradicatiuam vero in fine dicunt esse propinandam: & nituntur auctoritate Hipp.2. aph. 29. vbi ait, in principio si quid tibi videtur mouendum, moue, & Gal. in comm. dicit, vel phlobotomia, vel pharmaco, uel vtroque. Et

dicunt

dicunt isti, quod id, quod Hipp. commisit arbitrio medici, nostra ætate, quia ob crapulam homines excrementis plurimis abundant, in principio semper faciendum est, ut natura super reliquū melius se habeat, nam temporibus Hipp. homines in uictu parcissimi erant. Adducunt alium locum. 2. acutor. 10. & 11., ubi Hipp. primo phlobotomat, deinde purgat in principio. Experientia quoque comprobant, quia sępius uiderunt ægros, in principio purgatos morbo leuari. Adducunt etiam rationem, & ratio potissima est ista. quæro, qua de caussa prima secta non purget in principio. dicit, quia non est occasio, debet adducere impedimentum, quod non video. Ponamus humores attractu faciles, ęgri tolerantiam, & corpus paratum, quod per unum, aut duos dies parari potest; quomodo fugere possunt primæ sectę uiri, saltem tenues humores in principio posse purgari. quod confirmatur ex Gal. in lib. de purgatione, vbi ait tenues humores in principio purgandos esse. Itaque secunda secta diuisa est, quia aliqui uolunt, quod omnes humores in principio febris purgari possunt; alij vero minoratiua concedunt in acutis morbis, & qui calidis, & tenuibus humoribus constant. Sic stant rationes ab utraque parte, quarum iudicium methodo, & rationi committendum est. incipiamus ergo, & prius persequamur nostram methodum, mox soluemus sectarum rationes.

Cum occasio sit, ut diximus, cum aliquid facere opus est, & nihil impedit, methodus hanc inuenire quæret, & ideo indicat de purgatione, quando opus est, & nihil obstat; purgationem uero quæ indicent, diximus supra in cap. illo, in quibus febribus purgare conueniat. Impedimenta purgationis in tria capita reducuntur; aut enim se tenent ex parte corporis ęgrotantis; aut ex parte humorum; aut ex externis caussis. Incipiamus a primo capite. primum impedimentum ex parte ęgrotantis est, cum uiæ sunt occlusæ: nam humor purgandus, qui est in internis corporis partibus, primo per vias strictas, deinde per latas transire debet; quæ si occlusæ sint, nihil perficiet medicus, & si medicamentum attrahat, quantum uelit. Venæ obturantur obstructione, ut si aliquis humor eorum oscula claudat: intestina uero occluduntur fæcibus, & flatibus. Obstructio fit, aut multitudine, aut crassitie, aut lentore humorum, quod impedimentum nisi remoueatur, corpus nullo pacto purgari potest. Vnde oritur præ-

ceptum illud, corpora cum quis purgare uoluerit, oportet fluida facere. & id uerbum, cum, melius est legendum, qua parte, ut non denotet tempus, sed locum, ex quo humores sunt ducendi. Obstructiones contrarijs remouendæ sunt, ut si multitudo obstruat uenæ sectione, ex Gal. 4. de uictu acutor. 21.; si uero crassities, & lentor humoris, madentibus, abstergentibus, & extenuantibus. hæc sunt impedimenta ex parte viarum. Ex parte etiam uirium sunt impedimenta respectu corporis ægrotantis, nisi ęger indigeat purgatione, & uires non sint ualidæ, uel si æger uentriculo laboret, ex Gal. 12. Meth. 2. & 3. & ratio est, quia facile in syncopem incidit, & tunc nec phlobotomia, nec pharmaco purgandum est, quia pharmacum maxime lædit os uentriculi, ex Gal. 2. acutor. 12. similiter morbi magnitudo purgationem impedit; tunc .n. natura maxime affligitur, quam si ulterius pharmaco affligas, periculum est, ne deficiat: & ideo scriptum est; inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, in statu quiescere melius est; quia tunc morbus maximus est, & non solum ex morbi magnitudine, sed ex incommodis, quę sequuntur, quia tunc natura dimouetur ab opere suo contra morbum: similiter quia eo tempore natura solet excernere, & tu forsan eam auertes ab excretione, si diuerso modo ab ea euacues; quod si cum ea in opere concurras, pessimum erit, quia plus euacuabit, quam opus sit. quare in statu non est purgandum: simili ratione in accessione, quia si magnitudo impedit, tempore accessionis morbus est magnus, ergo tum non est purgandum: & ita tria tempora vitanda sunt, & vbi cogaris, in declinatione purgandum est. Ratione humorum impeditur purgatio, si sint imparati, vt si sint crassi, crudi, & lenti; tunc .n. resistunt trahenti pharmaco. quare pauca erunt corpora, & humores, qui ijsdem remedijs parantur, vt dicemus. Vltimum impedimentum est ex externis, vt aër impedit, & tempus anni, vt æstas, & hiems, & maxime æstas; cum dixerit Hipp. sub cane, & ante canem difficiles sunt purgationes, & ratio est, quia medicamentum trahit contrario modo ab aëre estiuo: magna vero frigora impediunt, quia vias occludunt, & humores craßos reddunt. Habemus ergo, quando purgandum est in febribus, ita vt euitemus accessionem, & statum ratione magnitudinis morbi, & principium, quia tunc humores crudi sunt, licet quo ad morbum purgari posset.

De

De hora propinandi pharmaca, Cap. XIV.

Hora propinandi medicamentum commodissima est, in qua æger melius se habet, & ita quando febris inclinat: quod si multa sit inclinatio, tempus matutinum est eligendum, quia tunc ęger a somno leuatur, quando cibum concoxit, & ventriculus vacuus est rursus humores melius parati sunt; quia ex somno petierunt interiora corporis, & vigilia non dum ad extima traxit, nam ortus solis ad extima trahit humores, vnde facile a medicamento attrahuntur, & hinc fit, quod medici a medicamento somnum præcipiunt. habemus ergo, & vniuersale tempus propinandi medicamenta, & particulatim horam. Superest, vt soluamus litem supra positam.

Quærebamus occasionem purgandi, quæ erat quando non aderant impedimenta, quę tria genere erant: vnum ex parte ægrotantis, cum viæ erant occlusæ: aliud ex parte virium, cum erant imbecilles: aliud erat ex parte magnitudinis morbi, vnde non erat purgandum in statu, & in accessionibus: aliud ex parte externorum, vt ex aëre. His positis, respondendum est ad quęstionem, quæ est, numquid inter initia sit purgandum. Cui respondemus, quod erit opportuna purgatio, nisi aliquid impediat, at in principijs sunt impedimenta ex parte humorum, qui sunt crudi, crassi, & lenti, qua ratione hærent, nec facile ex corpore mouentur. Vnde multa sequuntur incommoda ex Gal. 4. de tuenda valetud. circa medium; sequuntur enim tormina, quia gignuntur flatus ex inconcoctione humorum. Generantur vertigines, dolores capitis, quia humores attracti, & non euacuati mittunt vapores ad caput. Sequuntur animi deliquia, quia cum humores retenti hærent circa præcordia, facile ventriculus, & cor ex vicinia compatiuntur: & id est primum impedimentum. Secundum est ex parte viarum, quia in principio non potest esse, quin sit obstructio in primis venis, & intestina oppleta sint mucilaginibus, & cruditatibus, & maxime nostris temporibus ex hominum ingluuie: & ita dicemus propter has duas rationes non esse purgandum in principijs.

Sed quæret statim aduersarius dicens, accipio ægrum, qui in nullam cruditatem antea inciderit, sed parco victu vsus sit, vt

non sit suspicio de aggregatione cruditatum in illis venis, rursus iste eger laboret febri ex humoribus tenuibus, ita vt nihil impediat, in hoc casu possumus purgare in principio. Confirmatur ex Gal. qui tali via vsus est 14. meth. 8. vbi cum phlobotomiam omisisset, statim medicamentum purgans exhibuit, nec expectauit concoctionem humoris, quia tenuis erat; aderat .n. tumor in lingua sine dolore: quare in tenui humore poterit inter initia pharmacum propinari. Idem dixit Gal. in lib de purgat quod tenues humores in principio sunt purgandi. Ad hoc duplex distinctio ponenda est; & primo, quod aliud est purgare in febribus, aliud in alijs morbis. In febribus, quia plus periculi adest in purgatione; si .n. in febricitante error superueniat, multo deterior, quam in ijs, qui pustulis laborant: & errores sunt, quia aliquando fit superpurgatio, quæ est, cum natura adeo irritatur a medicamento, vt furere incipiat, & transmittat humores omnes vsq; ad sanguinem.

Dices id euenire potest etiam concoctis humoribus. Dico, quod quamuis semper euenire possit, sæpius tamen fiet ab intempestiua purgatione, raro a tempestiua, quia tunc natura minus molestatur, & minus affecta est a cruditate humorum, quia iam illos euicit: & ideo crises symptomaticæ periculosæ sunt, quia si fiat superpurgatio in febribus, necessario febres augebuntur ex illa maxima humorum agitatione. Primum vires maxime debilitabuntur, quæ non poterunt ægrum ad statum perducere, quia ex superpurgatione, & humores boni euacuantur. Alius error est, quando medicamentum maxime afflixit, & nihil eduxit, & hoc fit ex inobedientia humoris, qui crudus est. est alia ratio, quia medicamentum attrahit humorem per suam vim innatam, sed maximo sibi auxilio est natura, si cooperetur, cooperatur autem, quando cum medicamento attrahente & ipsa pellit; & tunc est impedimentum in principio, etiam si humores sint parati, & viæ apertæ, quia natura non fert opem; post concoctionem vero naturam habemus adminiculantem ex 1. aph. 22. quæ secernit humores, hoc est transmittit humorem, cum segregauit vtilem ab inutilibus, & ad vias excretionis diuertit, & tandem excernit. Secunda ratio est, quia non scimus in principio, qua via humor sit euacuandus, quoniam multæ sunt euacuandi viç: at in principio quia nescio, vbi humor decumbat, nescio quoque qua via

ſit vacuandus; poſt concoctionem vero natura mouet, & viam monſtrat, vnde facilis ſit vacuatio, aliter autem medicamentum contra aget, & bonum humorem cum malo educet.

Queret adhuc aduerſarius, ſi tu reijcis purgationem in principio, non ſaltem reijcienda ſunt medicamenta mollientia, quia a vicinis tantum trahunt. Dico ad id, quod iſta expurgatio inteſtinorum, & venarum meſeraicarum ſit per medicamenta leuia, & nobis familiaria, vt mulſa, & oximelle, quæ primas venas bene expurgant. Mollientia vero, vt caſſia, & ſimilia, noui ego, quod valde nocent delicatis hominibus; appetentiam enim deſtruunt, & ſimilia ſymptomata cauſſant: ſi tamen æger ſit robuſtus, & non deterreatur a medicamento, & ſolitus ſit purgari, non inconuenit in principio, & augmento purgatio per mollientia. Eſt alia ratio, quia numquam fere ſumus vocati in principio morbi, vt in acutis aduocamur tertia, vel quarta die, cum iam principium præterijt. Quæret rurſus aduerſarius, ponatur exemplum ægri, in quo humores ſint tenues, & mobiles, vt natura turgeat ad expulſionem, num in principio purgandum eſt? in hoc caſu omnes conſentiunt, quod in principio purgandum ſit ex Hipp. 4. aph. 10. & ratio eſt, quia tunc impedimentum nullum adeſt, & cogimur accelerare, quia humores tenues ſunt, & in motu, vnde facile trahentur. At ſi vię obſtructæ ſint? dicit Gal. parabo vias cum medicamento incidente, vel cum cliſtere in vna tantum die; nam in acutis morbis non multæ fiunt cruditates, quæ tamen ſi adſint, & a calore febrili, & inedia facile poterunt conſumi. habemus præterea naturam adminiculantem ex Gal. 1. cris. 9. & 1. aph. 22. quia humores a natura per corpus mouentur, & egent tantum, ut medicus oſtendat naturę locum excretionis. Cogimur etiam accelerare, quia occaſio præceps eſt in his morbis; paullo enim poſt aduenit augmentum, & magnitudo morbi, quæ impedit: uel quia periculum eſt, ne humores moti ad locum nobilem tendant, & ibi reſideant, & maxime lædant. Eſt & alia ratio, quia in principio vires ſunt ualidæ, & periculum eſt, ne, ſi morbus augeatur, flaceſcant.

Si quærat aduerſarius, num in augmento ſit purgandum. Dico, quod ſi humores turgeant, & erratum ſit in principio, quia non purgatum ſit, cogar purgare in augmento, ſed cum multo minori commoditate, quam in principio. Et ideo veteres in principio

pio raro purgarunt, sed eo tempore venæ sectionem prelegerunt, vt si quid mouendum sit, venæ sectione id faciamus: quia in ea multo minus periculi est ex Gal. in lib. contra Erasist. & 2. acutor. 10. & 11. Respondeamus ergo his, & primo ad primum, cum dicit ex Hipp., in principio si quid videtur mouendum &c.; dico, quod vera est ista sententia, quia cum videtur mouendum, quando copia adest, cum phlobotomia mouebimus; similiter cũ natura turget, quia adest humorum malitia, pharmaco purgandum. hinc dixit Gal. raro per pharmacum, quia raro natura turget. Cum dicebant verificari his temporibus ex hominum ingluuie: dico, quod ingluuies contrarium monstrat, quia corpus ex cruditatibus, quæ abundant, imparatum est, ex Gal. 2. de fracturis 27. Ad aliam rationem, cum inducebant exemplum Gal. de pleuritide: dico, quod in hoc casu humores erant in motu, & iam cœperant facere phlegmonem, vnde purgandi erant, quia medicus fluentes humores querit auertere, & euacuare, que omnia facit purgatio per inferiora, quia saltem proritando aluum, humores auertit, qui ad loca proritata facile feruntur. Cum experientiam addunt, nos contra eam adducimus. Illi viderunt a minoratiuis ægros leuari: dico id sæpe contingere in tertianis, in quibus in prima, & secunda die apparent signa coctionis, vnde purgatio fit in declinatione, non autem in principio. hæc sunt, que in hac controuersia dicenda erant: sequitur de modo purgationis.

De modo purgandi, Cap. XV.

Circa modum purgationis, primo videndum est, qua parte sit facienda purgatio: secundo quomodo sit facienda, an vna vice, an pluribus: tertio, quomodo sint applicanda medicamenta: quarto, qui sit ea applicandi modus. Circa primum, sciendum, quod duæ sunt purgandi viæ, per sursum, vel deorsum, vt per vomitum, vel per secessum. Ad hoc consideramus facilitatem purgationis, & conferentiam, & si vomitus ægro facilior sit, ea via purgamus; si secessum, per secessum. Primo ergo naturam ægri consideramus, num melius per inferiora, an per superiora purgetur, quia sic ægro tolerabilius erit: secundo motum naturæ ad maiorem etiam tolerantiam, ex Gal. 1. ad Glauc. cap. de tertiana, & 11. meth. 9.: tertio loco situm humorum, num

flu-

fluctuent in ventriculo , an potius circa intestina versentur , vt circa iecur lienem,& circa præcordia ; si circa intestina non vtemur vomitu , ex Gal. 4. aph. 12. nam per vomitum illæ partes non poßunt expurgari , nisi magno motu , & impetu . Consideranda eſt etiam humoris natura , si nec situs indicet , nec naturæ inclinet, vt pituitosus humor per inferiora , bilis vero per superiora purgabitur, ex Gal. 4. aph. 4. & 5. similiter indicatio sumitur ab habitu corporis, & tempore anni : sed iſta indicatio licet accepta sit ab Hipp. , est debilissima , quia quicunque humores purgandi sunt,qua natura ducit,sed id intelligendum est,quando natura non mouet : quod si nihil plus indicetur ex inclinatione naturæ, vel situ humoris ,semper per inferiora potius est purgandum , vt diximus supra ex 7. meth. ad finem , & caußas adduximus .

Secundum caput eſt circa modum offerendæ purgationis,vtrũ sit partienda, an vnica vice , & confertim sit exhibenda . Quod confertim sit facienda,monstrat velox motus morbi,vt sunt acuti, qui breuem habent ſtatum,ex quo non possumus purgationem partiri : & ideo dixit Hipp. deiectiones non multitudine sunt æstimandę ; qui enim partito purgat , multas leues purgationes facit : at Hipp. vult in morbis velocis motus vno impetu purgandum eße . Alius casus est, quando natura turget : quia occasio præceps eſt ex Hipp. 4. aph. 10. tunc .n. non possumus differre purgationem ; quoniam differre malum . Aliud etiam indicat, vt non confertim ,sed iterato fiat purgatio , vt quando vires sunt debiles : nam purgationes vsq; ad animi deliquium suspectæ sunt, & ideo ille aph. 1. aph. 23. parum eſt in vsu ; quoniam non possumus cohibere vim medicamenti , licet in phlobotomia id fieri possit, semper tamen inspecto pulsu, vt inquit Gal.

De apparatu medicamenti, Cap. XVI.

TErtium caput est de apparatu medicamenti : in quo medicus primo considerare debet,num simplex, an mixtum propinandum pharmacum . Mixtio hæc multis modis fit , vt multorum medicamentorũ purgantium simul ex 2. acutor. 10. quod fit ex diuersis scopis purgandi : quia caußæ morbi purgandi diuersę sunt, vt in semitertiana , & in tertiana longa neceße est admiscere,

miſcere, quæ bilem, & pituitam purgant; & hæc mixtio ex Hipp. fiet, ſi iſta habeant vim eandem purgatoriam, vt rhabarbarum, agaricus, & ſimilia. Admiſcemus & mollientia purgantibus, & hoc fit habita ratione maximæ febris, quia molliens corrigit caliditatem, & ſiccitatem febris; hæc enim eligimus frigida, & humida, ut caſſia, iuleb violatum, & ſimilia. Primum molliens temperat vim medicamenti purgantis, ut modis omnibus non exerceat vires ſuas. Vlterius non ſinit medicamentum ſoluens a longinquis attrahere, quia mollientia facile deſcendunt, & ſecum afferunt medicamentum purgans: vt accipimus caſſiæ vnc. I. ſ. & adijcimus electuarium de pſilio, aut agaricum, aut rhabarbarum, iuxta doſes ſupra dictas. Fit etiam mixtio ad vim medicamenti hebetandam, vt ſcamonium habet maximam vim, quod vt hebetemus, incoquimus in malo cotoneo, & dicitur diagridion. Miſcemus & ad augendam uim medicamenti, vt cum ſal, gemma, & zimziber miſcemus agarico; & ſpicam, uel cinamomum rhabarbaro, & ſic de ceteris. Admiſcemus etiam, vt tollamus noxas purgantis medicamenti, ut cum propinamus lapidem lazuli, admiſcemus aliqua, quę uim eius, & noxam cōprimant. hæc de mixtione.

Conſideramus & artificium: quia alia ſolida propinamus; alia liquida; alia in ſui ſubſtantia; alia in infuſione: ſolida ſunt, vt pilullę; liquida, ut potiones. Solidum medicamentum indicatur ab humore purgatu difficili, ne vis eius facile euaneſcat: liquidum uero, cum humor eſt purgatu facilis, vt in febribus bilioſis. Cum uero infuſum, aut in ſubſtantia propinamus, id facimus, ut tollamus aliquam qualitatem, quæ nos impedit: ut rhabarbarum habet vim adſtrictoriam, ſimiliter & roſa, quā ut remoueamus, infundimus; nam ex hoc terreſtris pars, quæ adſtringit, ſeparatur.

De modo applicandi medicamenta. Cap. XVII.

VLtimum caput eſt de modo applicandi, qui multiplex eſt: & primo per potiones; ſecundo per infernas partes, vt per cliſmata, per balneum, & per ſuppoſitoria; tertio, vt extrinſecus uentri illinantur, & hoc diſtinguendum eſt: ſed primo modus ille per illinitionem a febribus eſt arcendus, quia eo non vtimur.

vtimur. De potione, vel clismate indicat ęgri natura; alij enim nolunt clismata; alij vero potiones; sunt etiam, qui valde læduntur ab altero horum. Secundo indicant vires, quæ si languidę sint, vt non audeatis potiones propinare, optimum est clismata potius imponere; quia ex his minus afficiuntur ægri, nam attingunt partes magis ignobiles: verum cauendæ sunt mulieres grauidę, quæ a clismatibus propter loci vicinitatem maxime offenduntur; nam clismata purgantia magnum faciunt motum. Indicatur etiam ex facilitate purgandi, vt si quis sit facilis ad purgationem, & humor tendat ad intestina, per clismata purgandum est; quia facilius toleratur.

At dices, potestne per clisma totum corpus purgari? difficile enim videtur, quod vis purgatiua transeat per omnes venas; nã inquit Gal., quod clismata non perueniunt ad ieiunum intestinum 13. meth. 16. primo tamen medicamentorum localium totum corpus per clisma purgauit. Dico, quod medicamentum per clistere non transit ieiunum intestinum, nisi innitaris, hoc est vim clisteris intendas: quod tribus modis fit, primo quantitate; secundo si sæpius itereris, ex quo augetur vis purgatoria ipsius; tertio adiuncto medicamento purgante, vt si dissoluamus in decocto eorum cassiam, diaphenicon, & infundamus rhabarbarum, & similia: & ita facimus tres ordines clismatum. Primo mollientium vere, quæ tamen fęces intestinorum expurgant, vt oleũ simplex, siue oleum violatum, siue oleum amigdalarum dulcium, quæ addant vim abstersoriam, similiter ex oleo, aqua, & melle, vel addimus mulsam, vt fecit Gal. Secundus ordo est eorum, quæ paullo maiorem vim habent, vt si incoquantur herbę, quæ extergere possint, postea adiungantur sales, qui non erant in priori, adijcitur saccarum, & mel, & vitellos ouorum cum oleo, & his vtimur ad febres, cum sunt mites: quæ clismata adhuc non sunt purgantia, sed media, quibus vtimur, cum sensus intestinorum est obtusus. Tertius ordo est purgantium clismatum, in quibus aliquod medicamentum purgans immittitur: & dosis horum debet esse duplo maior in clisteribus, quam in potionibus; quia intestina habent minorem vim actuandi medicamenta, & citius deijciuntur, ita vt minus operentur. Balani, seu glandes propter easdem caussas immittuntur, & in horum ordine sunt glandes exigui motus, vt factæ ex melle solo, vel ex larido salito. Alia

ſunt fortiores, quibus additur ciminum, ſales, & flores rutæ, & ſimilia. Aliæ adhuc ſunt fortiores, cum adiungimus agaricum, colocintin, hyeram, & huiuſmodi, quæ vim habent purgatoriã, quibus vtimur in ægrorum gratiam, vt cum ſunt prope mortem, vel ſopiti, & veternoſi, vt cum non poſſint accipere potiones, nec cliſmata.

Vltimo conſiderandi erant errores purgationum, in quibus multa præmeditatio eſt adhibenda, & primo vt bene medicamenta eligamus, & eius vires, & doſes perpendamus, quod ſi recte faciemus, raro error continget. At ſi erratur, quid agendum? errorum capita duo ſunt, aut cum nihil purgatur, aut cum purgatur immodicum, quæ dicitur ſuperpurgatio, & vterque eſt maximus error; cui hoc pacto ſuccurremus. Primo, ſi non deijciat medicamentum, debetis dimouere corpus ægri, quantum poteſt: ſecundo propinabitis medicamentum adſtringens, quo ventriculus roboretur, & expellat, vt medicamentum ex malo cotoneo, vel ſolidum, vel miuam ſimplicem: vltimo inijciemus per inferna, quod inferne attrahat.

Dicamus nunc de ſuperpurgatione: in qua debemus primo potui dare confertim aquam calidam paullo tamen ſupra teporem, & ab huiuſmodi potione iubendum eſt, vt æger euomat: & hoc ratione auerſionis impetus humorum ab inteſtinis: hoc etiam fit, quia cum medicamentum habeat malam quandam qualitatem, hebetat eam aqua calida. Poſt hęc vincire debemus crura, & brachia, donec æger dolorem ſentiat, & paullo poſt ſoluere, & rurſus vincire, vt humores diuertantur, & retrahantur ad ligaturas. Poſtmodum ſomnum imperabimus, & quietem, & ſi opus ſit, ſomniferum quid propinare, id faciemus cum diacodion, vel pilulla vna de cinogloſſa. Deinde exhibebimus, quæ ventriculum roborent, vt vinum album auſterum, & naribus odorata admouebimus, & perfricabimus os ventriculi. His addendum eſt, quod noſtri temporis medici ab aſſumpto pharmaco ablutionem propinare ſolent, quam lauatiuam appellant: & errant multis modis; primo, quia ignorant, in quibus medicamentis id faciendum ſit; nam vtitur his Hipp. vt ptiſſana, in medicamentis deleterijs, ne os ventriculi lædatur a mala qualitate medicamenti, quod illi inhæreat. In ceteris non debemus ablutione vti, quia hebetatur vis medicamenti a cibo, & maxime in noſtris

medica-

medicamentis, in quibus nihil est deleterium, & maxime quibus vtimur in febribus. Errant etiam, quia non capiunt occasionem propinandi, nam Hipp. statim ab assumpto medicameuto id propinabat; hi vero, cum incipit purgare, quando eius vis impeditur. Est etiam aduertendum, quod aliquando præcipiunt somnum, aliquando non, videamus quando id conferat. Profecto si medicamentum sit valde efficax, & plurimum deleteriũ, superdormire malum est; pertransit enim venas: si medicamenta mitia sunt, vel purgantia sunt, vel mollientia; si purgantia, bonum est dormire, quia humores ex somno, & calor ad intestina tendunt, & facilior fit purgatio. Si medicamenta sint mollientia, superdormire paruo tempore bonum est, ne a nimio somno impediatur eorum actio: nam a calore naturali retracto in somno, vis eorum obrui potest, & transire in nutrimentum. Hæc de purgatione per medicamenta: sequitur de venæ sectione.

De missione sanguinis, Cap. XIIX.

Sanguinem mittimus scarificatione, venę sectione, & eius apertione, quod est tutissimum, promptissimum, & celerrimum remedium. Tutissimum ex Gal., comparando ad purgationem per pharmacum; quia in ea non potest contingere superpurgatio, quia potes claudere, quando vis, & quantum vis sanguinis trahere. Promptissimum, quia est ad manus. Celerrimum, quia vis eius apparet breui tempore respectu pharmaciæ: ut ergo vtilitatem multam ex hoc remedio habeamus, artem prescribere neccesse est. In hoc primo quærimus, in quibus febribus debeat sanguis mitti: secundo quantitatem: tertio occasionem: vltimo modum vsus, qua ratione vena secunda sit.

Videamus primo, in quibus febribus mittendus sit sanguis. Certe febris qua febris non indicat missionem sanguinis, sed potius refrigerationem. Caussæ vero ipsius, vt obstructio, & putredo, siue maßa sanguinis excalefacta, sanguinis missionem requirunt: & ideo inter ephemeras sola ea, quę fit ex obstructione, sanguinis missionem indicat; similiter ex synocha, & eæ omnes, quæ sunt ex putredine humorum: ceteræ uero, cum non fiant ex humoribus, eam minime quærunt. Sequitur videre, num in omnibus, quæ ab humoribus pendent, sit venæ sectio adhibenda.

Gal. 11 meth. 15. monet nos, in omni febre putrida conuenire sanguinis missionem. Paullus præceptionem hanc uniuersalem accepit, quod in omni febre putrida sanguis mittendus sit. Ratiocinatur id Gal. loco supra citato, & 8. meth. 4., quia natura leuata onere, melius concoquet, & excernet, quod excernendum est. hæc est prima ratio Gal., quam repetit. 2. aph. 29. Altera ratio est 8. meth. 4. similiter 11. meth. 15. quod si a principio statim euacues, tutius poteris adhibere remedia, quæ conueniunt; quia sic corpus præparatur. Remedia autem sunt omnia ea, quæ possunt tollere obstructiones, & putredinem sanare; tollunt uero obstructiones magna ex parte calida, & liquantia humores. Alia remedia sunt, quæ faciunt transpirare cutim, & sunt relaxantia, & aperientia, ut cataplasmata, & quæ sudores cient, quæ suspecta sunt, nisi corpus prius uacuetur; cum enim calida sint, attrahunt ad cutim, & caussant obstructiones. Si uni tantum parti applicentur, ut iecinori, lieni, & similibus, antequam totum corpus uacuetur, maxima incommoda eueniunt, ut phlegmone, ædemata; attrahunt namque humores ad partem affectam. Hæ sunt duæ rationes, quibus in principio mißio sanguinis expedit ex Gal. & Paullo.

Inueniamus id modo per methodum. Dicebamus missionem sanguinis conuenire propter caussam febris: sed distinguendum, quod febrium aliæ sunt morbi magni; aliæ uero parui: & rursus, si non sit magnus; aut suspicio est, ne magnus euadat; aut non. Si morbus magnus sit, & nihil impediat, prorsus mittendus est sanguis: quia magnus morbus magnam habet caußam, quam minuere debemus, & hoc sanguinis missione. Si morbus sit paruus, & suspicamur, ne magnus fiat, mittimus sanguinem ex Gal. in lib. de uenæ sectione. Si paruus sit, & nulla suspicio sit, ut magnus fiat, a missione sanguinis abstinemus. Suspicio est de morbi magnitudine, cum in uenis adest copia sanguinis, uel simplicis, uel admixti cum aliijs humoribus: sed aduertendum plures esse plenitudinis species, ut alias diximus. Nulla est suspicio magnitudinis morbi, quando nulla adest in uenis copia uitiosorum humorum: ut si quis usus sit tenui uictu, & equitauerit sub sole, & febre correptus sit, non mittendus est ei sanguis. Gal. quoque 1. ad Glauc. cap. de febre continua, ait quod sanguis mittendus est, cum morbus est magnus, & intelligit de magnitu-

dine

dine presenti, & cum uenarum intensio, & rubor plenitudinem indicat. Id quoque opere confirmat: primo si aduertamus curationes ipsius, considerabimus tertianam exquisitam, in qua nulla habetur mentio missionis sanguinis, quia raro est, vt tertiana pura fiat cum copia sanguinis; quia hęc est in iuuentute, in temperamento calido, & sicco, & in æstate. Sequenti capite de tertiana notha scribit, si videatur, sanguinem mittes; hoc est si caussæ morbi copiam indicabunt. In cap. de quartana inquit, cum æger copia sanguinis abundat, sanguis mittendus est. Dicimus ergo non expedire in omni febre putrida sanguinis missionē: dicimus quoque, quod considerata nostrorum temporum victus ratione, raro non abundabit sanguis, & ideo raro non mittemus sanguinem. Et ego in tertiana notha sanguinem mittere soleo, nisi æger inopia detentus fuerit, & hoc perpetuo intelligendum est, nisi quid contra indicet. quod ex multis scriptoribus est, cum æger sit vehementer gracilis; in temperamento calido, & sicco; citra 14. annum; & vltra 60; sub Cane, cum quis extenuatus sit, & longas perpessus sit ægritudines, vel quod plus iusto venere vsus est. hęc sunt multa, & superflua horum scriptorum. Verum vnum tantum est, quod contra indicat, vires videlicet, quia ad eas omnia reducuntur, & earum ratione cetera cōtra indicant: medicus .n. non tam presentes, sed & futuras vires considerat, quia vires etiam post sanguinis missionem debent robustæ permanere, aliter maximus esset error. Vires vero robustas, vel languidas dicimus cum multa latitudine; quia dantur valde robustæ, & minus robustæ, similiter languidæ in extremo, vel minus: & iuxta virium languorem dememus phlobotomiæ quantitatem, & quando sunt imbecilles iterabimus potius. Considerandum quoque est, quod vires languidæ dicuntur, quando plenitudine laborant, vel magna obstructione, vel inquietudine. Languidæ quoque indicantur ex inęqualitate pulsus: robustæ vero, quando ægri clamant, & surgunt. Ne ergo decipiamini a pulsu, distinguimus primo coniectura quadam artifici, & consideramus naturale robur, a quo æger, impossibile est, vt destitutus sit; quia purgationem non passus est, & adhuc solidas habet carnes, & venę ex copia sanguinis tument. Secunda ratio est a pulsu inæquali, sed inæqualitas hęc est ab imbecillitate vera, vt cum quis famem passus est; & a falsa, & onerosa, vt ex copia superabun-

abundante : ex his .n. pulsus fiunt inequales in magno, & paruo, vehementi, & languido. & hoc, cum languor virium modicus est, & non verus. Si autem verus, numquam erunt magni, & vehementes pulsus, sed eodem modo semper se habebunt: & ita alia est inæqualitas pulsus a vera debilitate, alia a falsa. In vera fiunt omnes pulsationes languidæ, & debiles; in falsa vero aliquæ erunt magnę, & fortes, aliquæ languidæ. In vera debilitate non mittimus sanguinem: in falsa vero mittimus, prout copia humorum indicabit, & coniectamur, quod vires robustæ sunt. Et sic vidimus, quæ venæ sectionem contra indicent, quorum ab antiquis ponitur catalogus, vt ab Auicenna, qui accepit a Gal. 1. ad Glauc.: quæ contra indicantia, aut sunt secundum naturam, vt ex parte corporis, cum quis sit calidus, & gracilis natura, & sit puerulus, vel ętate decrepitus: aut sunt præter naturam, ut affectus oris ventriculi, mulier quando concepit, & ęgritudines longæ pręteritæ, ut si corpus sit extenuatum, similiter immodicæ exercitationes, & immodicus usus ueneris. Vltimo externa contraindicant, ut aër uehementer calidus, uel frigidus: hæc & tanta ponuntur ab antiquis contraindicantia. Cum unum tantum id contraindicet, ad quod omnia ista, vt diximus, reducuntur, ut est uirium imbecillitas, quod ostendemus, quia est res omnino utilissima. Vnum tamen uos moneo, ne, si uidear paradoxa afferre, prius me redarguatis, quam rem ipsam bene perpendatis.

Incipiamus ergo primo ab ætate: ætas prohibet uenæ sectionem, ut puerilis intra 14. annum, & senilis ultra 60. ex Gal. 11. meth. 14., & in lib. de uenæ sectione; dicit .n. Gal. senes non ferunt venę sectionem ex imbecillitate uirium: pueri uero habent vires robustas ex Gal. 4. acutor. 19., sed in his non mittitur sanguis, quia superfluum est ex 11. meth. 13. & 14., nam si copiam in pueris euacuare uelis, abstinentia id probe efficies, quod in alijs non erit; quoniam tantum corporis effluuium non est in ipsis ex Gal. 1. acutor. 45.; inquit .n. Gal. non sufficit in his inedia per uenæ sectionem contra Erasistratum. Nos autem monstrabimus, quod pueri non hac de caussa, quam ponit Gal. a venæ sectione arcendi sunt, sed ex virium imbecillitate. Et circa id primo suppono, quod ætas, aut nihil indicat, aut contraindicat: quoniam numerus annorum nihil indicat ex Gal. in lib. de

venę sectione, ubi agit de missione sanguinis in sene, & ait, quod ætas nihil indicat, sed uires. ætas autem, quatenus ostendunt nobis uires, similiter habitus corporis aliquid indicant, uel contra indicant. Secundo suppono, quod cum dicimus uirium robur necessarium esse ad missionem sanguinis, non solum de præsenti sollicitos non eße oportet, sed & de futuro; quia si postridie uires erunt imbecillę, cogeris nutrimentum dare: ubi duplex erit error, primo quia renutries ægrum ante statum, quod infestissimum esse diximus; secundo quia cogis eum denuo sibi nutrimentum conficere, quod prius, & partum, & concoctum habebat, nam melius erat ęgrum frui sanguine in sanitate concocto, quam postea renutrire, & cogere eum, ut denuo sibi alimentum conficiat, maxime quod natura in morbo non bene concoquit, vt in sanitate; & ista ratio est Gal. 11. meth. 14.: & ita cum uires respicimus, nō solum præsentes, sed futuras quoque respicere debemus, similiter & conseruare. His positis colligimus facile, quod in pueris non sunt uires robustæ: quia vbi facile concidunt, non sunt robustæ, in pueris facile concidunt, ergo: & hoc patet, quia in his ex tenuitate suæ substantiæ plurimum sanguinis, & spiritus effluit.

Sed quæstione dignum est, num subito a uenæ sectione pueros arceamus, ut numquam ijs sanguinem mittamus. Gal. id aßerit 9. & 11. meth. 13. & 4. acutor. 19., ubi inquit Hipp. quod sanguinem mittes, si uires robustæ sint, & in ætate florida. Gal. dicit, quod Hipp. ætatem florentem dixit propter pueros: Paullus uniuersaliter hoc pręceptum accepit. Nos id nolumus esse uniuersale, & ratione monstramus. Puerilis ætas propter uires infirmas contraindicat ex diffluuio substantiæ; istę rationes nihil monstrant, nisi morbus longus sit, aut medij generis, aut simpliciter acutus, id est quod debeat vsq; ad 14. protrahi: si uero biduo, aut triduo morbus debeat terminari, id non est aßerendum, quia in tam paruo tempore uires non concidunt, & ita non erunt imbecillæ. Itaque sic distinguendum est, ut in exemplum mihi assumo puerulum morbo acutissimo laborantem, ut est angina, spasmus, & similia: si in hoc expectetis, ut profluuio euacuetur, prius millies morietur, quam uacuatus sit, quia hi morbi in prima die occidunt; quare si huic succurrere debemus, mißione sanguinis id faciendum est, neq; uirium infirmitas nos impedit, quia

ægrum

ægrum breui tempore inedia detinebo, ita ut ante statum, cum prope sit, non cogar eum renutrire: quare prohibemur in pueris a missione sanguinis, si ex longo morbo timeatur uirium imbecillitas. Prima ergo distinctio est, ut morbus sit breuis: secunda est, si coniectemur puerum illum non esse imbecillum, neq; in presenti, neq; in futuro; & hoc colligitur, quia pueri aliqui sunt robusti, & succo pleni, quos non timemus uehementer debilitari. Debemus etiam considerare ambientem, num in eo fiat plurimum effluuium, ut in aëre ardentissimo; tunc enim sanguinem non mittimus. Et ego cum hac distinctione multis utiliter sanguinē misi, non tamen intra septennium. Mirum ergo est, cur Gal., & qui Gal. sequuntur, omnino pueros arceant a missione sanguinis, sed bene multo minus in quantitate mittendum est pueris, quam adultis.

Alterum caput contraindicantium erat ambiens aër, ut si sit æstuosissimus, ex Gal. 1. ad Glauc. penult. non est mittendus sanguis, & maxime si simul conueniant aër, regio, & pars anni calidißima, ut sub cane; similiter si fuerit aliqua constitutio aëris calidißima: parcius vero mittes, cum aliqua horum, & non omnia dehortentur, ut in hac nostra regione non omnia semper conueniunt, & ita semper conueniet missio sanguinis. similiter dicendum est de regione, & aëre frigidissimo, & reliquis, ut de calidißimo dictum est. Sed hic apud nos minuetur quantitas tantum, quia regio nostra non est in extremo caliditatis, nec frigiditatis. Sed aëris status nihil indicat, nisi ratione uirium; nam calidissimus plurimum dissoluit, & ita corpora cito infirma fiunt: ex frigidissimo uero calor naturalis, & uires minuuntur, unde periculum est, ne deficiant; & ita uirium tantum ratione indicant. Tertium caput erat corporis natura, ut si sit extenuatum, & calidum, & siccum, non phlobotomamus, & hoc uirium ratione; quia ista corpora a uiribus prima die destituuntur ex Gal. 10. meth. ad principium. In his etiam corporibus non est sine distinctione procedendum, ut si morbus sit acutissimus, uel reuellendi, uel uacuandi gratia sanguinem mittemus, ut supra diximus de pueris. Similiter affectus corporis contraindicat, ut affectus uentriculi, & ut dixit Auicen. qui fastiditi sunt, & hoc intellexit, ut Gal. 12. meth. ad principium, & 1. ad Glauc. ultimo, & hoc semper ratione uirium contraindicat: similiter in

illis, qui passi sunt longas ægritudines, & re uenerea immoderate vsi sunt.

Vltimum caput est de prægnantibus: dixit Hipp. 2. aph. 31., mulier prægnans secta vena abortit, & ita Hipp. in prægnantibus perpetuo uenam secare prohibet; & hoc, quia uires in prægnantibus non sunt robustæ, quod si matris uires sint robustæ, eæ tamen infantis robustæ non seruabuntur vsq; ad statum ex defectu alimenti; quia membra matris id, quo ipsa indigent, non dimittunt, & ita fetus inedia peribit. Subiungit postea Hipp., & maxime si fetus sit magnus, id est quanto magis approximat partui: cuius demonstratio pendet ex Gal. in lib. de potentijs naturalibus, vbi habetur, quod partes principales magis retinent, quam sibi vtile est; minus uero principales magis expellunt, quam retineant, ita vt maior sit uis retinentis, quam attrahentis, præcipue si uires sint ualidę. Vnde vidi ego ex dissectione corporum in tabidis, uiscera esse plena sanguine, cum reliquum corpus esset omnino exangue: ita in grauidis cum membra retineant nutrimentum, fetus non potest attrahere, & ita inopia perit, & hoc semper ex Hipp. obseruandum est. Experientia tamen uidimus innoxie grauidis missum esse sanguinem. Quod si abortus sequatur, caussam distinguere medicum oportet, ut si casu, an per accidens, an per se eueniat; si .n. sit acutus morbus, & symptomata vehementia, facile potest abortus fieri, vt si sit tussis in pleuresi, dysenteria: & ob id licet missus sit sanguis, non statim indicandum est a sanguine misso obortisse mulierem, cum multę alię sint abortus caussę. Non enim in quacunque natura, nec in quacunque missione sanguinis sequitur exhaustio nutrimenti; nam alia corpora sunt succo plena; alia media; alia cachochima: & ita alia bene tolerant; alia medio modo; alia uero nequaquam. Consideranda ergo hęc sunt, & si cetera non prohibeant, in morbo acutissimo poßumus sanguinem mittere; quia cum status morbi prope sit, cito renutriemus, & ita mater saluabitur, & fetus. Quamobrem bene dixit Hipp., si fetus sit magnus, nos addimus, si corpus sit sanguine exhaustum.

Quæres statim, esto quod abortus periculum certum eßet, prohibemur ne perpetuo a missione sanguinis? vt si corpus cachochimum, laboret angina, sit mulier grauida, & fetus magnus: hic est morbus magnus, qui indicat de mißione sanguinis, sunt

.n. diuersi humores fluentes; at instat ab una parte periculum matris, ab altera ab ortus. Medico opus eßet in hoc casu peritissimo, qui si a calumnia tutus esse vult, sinat ęgrum sine remedijs; si vero non, quod melius est, præeligere oportet, & ideo sanguis mittendus est, vt mater, si possibile est, tuta reddatur: qua saluata, & fetus forte saluabitur, quod si mater pereat, & fetus absq; dubio peribit. Et ideo dixit Hipp. 5. aph. 31., grauida, si acuto morbo corripiatur, letale est. Reddit rationem Gal. in comm., quia si non nutriamus, periculum est abortus; si vero nutriamus, periculum est, ne mater pereat, & ita minus malum est eligendum, hoc est vt mater saluetur, qua saluata, & fetus forte saluabitur. hæc de isto capite.

Transeamus ad consuetudinem. Est .n. error nostratum mulierum, vt prima missio sanguinis sit euitanda, quia credunt hanc liberare a quocunque morbo, & ob id rogant, vt differatur, quantum potest: vnde autem iste error emanauerit, nescio, qui omnino vitandus est. Dicimus enim nos, quod consuetudo sanguinis mittendi facit, vt multo vtilius sanguis mittatur; cum dicat Gal., qui assueti sunt, facilius eam tolerant: & ideo ægros rogare soleo, num alias, & cum tolerantia sanguinem sibi detraxerint, quando assueta facile toleramus ex 6. meth. de vlceratione auris, & 1. ad Glauc. vltimo, vbi inquit Gal., quod consuetudo magnam vim habet in cognoscenda quantitate euacuationis per sanguinem; similiter 14. meth. 8. de sene, cui linguæ intumuerat: hęc de consuetudine. Sequitur de quantitate missionis sanguinis.

Quantitas non potest, nec calamo scribi, nec verbis proferri, sed artifici coniectura id assequendum est, cuius methodum tcodemus. Quantitas habetur comparando, quæ indicant, cum his, quæ contraindicant. Indicant caussæ morbi magni, ergo quanta erit caussa morbi magni, tanta debet eße quantitas mittendi sanguinis. Itaque quo maior erit copia humorum, eo etiam maior erit missio sanguinis. Sed obseruandum est, quod non semper morbo obsequi debemus, vt inquit Gal. 11. meth., sed contraindicantia respicienda, vt si vires sint robustæ, nec ne: si robustæ sint, nihil contraindicant, ita vt tantum sanguinis mittendum sit, quantum indicat affectus. & hac ratione Gal. 9. meth. 2. sanguinem misit vsq; ad animi deliquium, quæ est maxima quanti-

tas

tas missi sanguinis. Cuius mensuræ Gal. multa habet exempla in lib. de venæ sectione, nam quando affectus erat magnus, & nihil contraindicabat, affectui parebat. Sed de missione sanguinis vsq; ad animi deliquium dicemus infra, cum de febre synocha agemus. Si vero æger contrarium statum habeat, ut sit extreme imbecillis, quamuis affectus exigat, venam non secabimus. Si uero medius sit status ægri, pensitandum est, quantam vim habeant, quæ indicent, & quæ contraindicent missionem sanguinis: & ita artifici coniectura, quantitatem eligere debemus. Nunc de occasione agendum.

Occasio aliquando præceps est, præsertim in acutis morbis, & vt diximus in generali methodo, occasio est, si adsint, quæ exiguntur, & nihil impediat: impediunt autem venæ sectionem, hoc est occasionem ipsius, vt inuenio apud Gal., tria maxime; primo, si adsit cruditas in ventriculo; secundo si corpus non sit vacuatum ab excrementis; tertio morbi magnitudo. Cruditas obstat, si inuenias ægrum pridie bene cenasse, & coniecteris ea nō descendiße, & inconcocta esse; nam venæ inanitæ a missione sanguinis attrahunt inconcocta a ventriculo, vnde fiunt obstructiones. Corpus vacuari debet excrementis, ne venæ sanguine vacuatæ, semiputridum succum attrahant. Euitamus morbi magnitudinem: quia tunc natura afflictata est, & si nutrimentum auferas, forte morbo succumbet. Quęret quis, num semper expectanda sit concoctio cibi in missione sanguinis, ne venæ inanitę attrahant. Dico, quod non est credendum, istam attractionem sequi in quacunque missione sanguinis, sed in maxima. Et aliquando in morbis acutissimis non possumus expectare cibi coctionem, sed bene in minori quantitate sanguinem mittemus. Et ego aliquando vomere ægrum iussi, ne istud contingeret, licet in febribus raro accidat, vt non possimus expectare, donec cibus concoquatur.

Est aliud quæsitum, vtrum in principio tantum mittendus sit sanguis. Gal. reprehendebat eos, qui id obseruabant, & si nihil impediebat, & morbus exigebat, vsq; ad 40. diem sanguinem mittebat. Dices, num in statu, si error contigerit, quod in principio, & augmento sanguis mißus non sit, id agere possimus, cum id prohibeat Hipp. 2. aph. 29. dicens in statu quiescere melius est. Dico, quod si nihil impediat, & morbus requirat, faciendum

est: sed raro id accidit in statu, quia tunc aut morbus est letalis, & ideo non oportet sanguinem mittere; aut tendit ad salutem, & tunc quia natura morbum euicit, non amplius opus est missione sanguinis, ne sibi medicus infamiam paret: in principio vero, & augmento, si nihil impediat, mitti omnino potest. Hora commodißima, si nihil impediat, vt vehementia febris, & huiusmodi, est matutina. Sequitur, vt de modo missionis sanguinis agamus.

In modo mittendi sanguinis multę sunt quæstiones: prima, num iterato, an vno impetu mittendus sit: secunda est de parte, a qua sanguis mitti debeat; nam non æque iuuat, si ab hac, vel illa parte mittatur: tertio quærimus de instrumento: quarto quomodo sanguinis missio administretur. Ad primum, num partito, aut vno impetu sanguis mitti debeat. In primis consideremus, num aliquid vrgeat, quod si nihil vrget, melius est partire ex Gal. in lib. de venæ sectione; & hoc, quia medicus studere debet, vt tuto agat ex 14. meth., at partire tutum est; quia in partitione quies adest, in qua natura, & spiritus reficiuntur. Tutius ergo erit iterare, si nihil vrgeat, vrget autem magnitudo morbi, & velocitas motus ipsius ex Gal. 1. aph. 23., vbi ait, quod nullum melius remedium in magnis morbis inuenit, quam missio sanguinis vsq; ad animi deliquium; similiter si morbus velociter moueatur, de vnica tantum missione sanguinis indicat. Secunda indicatio est ex viribus ægrotantis, quæ si robustę sint, integram ferunt vna vice sanguinis missionem; infirmæ vero de iterata indicant, vt reficiantur; quia integram confertim non ferunt: vbi ergo multa euacuatione opus sit, & vires non ferant, iterare optimum est. Tertia indicatio est, si cum euacuatione reuellere intendamus, quod non accidit in febribus, cum sint morbus vniuersalis, reuulsio vero respiciat partem aliquam affectã; vt si cum febre sit aliquis affectus, tunc ratione affectus, non ratione febris reuellimus ex Gal. in lib. de venæ sectione. Et ratio est, quia si iteretur missio sanguinis, natura desuescit mittere ad locum affectum, & aßuescit alio transmittere ex reuulsione, quia aperimus illi viam, quo transmittat; & quo sæpius id fit, eo natura magis assuescit, atq; hac de caussa facimus iterationem. Quod si missio sanguinis debeat eße non multa, & morbus sit uelocis motus, uno impetu id facimus: neq; credendum est, nostras euacuationes magnas eße, vt erant illæ antiquorum, quare vno

impe-

impetu vacuabimus. Secundum quod quærebamus, erat locus, & pars, per quam missio sanguinis fieri debeat, quæ cum in febribus fiat per multas partes, præcipuum est brachium, crura, & venæ sedis, & cutis ipsa, debemus nos distinguere, ex quo loco melius sit sanguinem haurire. Primo si febri nullus alius affectus adiunctus sit, qui indicet de reuulsione; & nihil contraindicet, a superioribus mittendus est sanguis: & ratio est, quia in febribus ratione copiæ mittimus sanguinem, & illa via melior erit, quæ celerius id facit; at venę brachij propter propinquitatem, & propter consensum cum visceribus, & caua vena maxime conferunt, & præsertim basilica in dextro brachio; quia dextrum brachium per directum respicit iecur: quod si media non appareat, ad ramos cephalicæ, aut basilicę confugimus, & si hæ non appareant, ad manum confugimus: hęc de venis brachij.

Venis crurum, vt tali, & poplitis in febribus non utimur, sed ad reuellendum a superioribus, & plenitudinem vacuandam. Venas sedis aperimus non ratione febris, sed alia de caussa, & maxime ratione virium, quia inde sanguis non confertim, sed sensim, & guttatim egreditur: & ideo non confertim spiritus vitalis euacuatur, vt in vena secta, & ex consequenti vires minus læduntur; quia non est sanguis miscellæ, sed collectus in parte ignobili, & hac de caussa ægri minus læduntur. Vtimur secundo venis his, indicatione accepta a reuulsione, vt cum volumus reuellere a cerebro, aut a pectore, vel parte aliqua nobili, ut natura alio sanguinem traducere aßuescat. Tertia indicatio est, cum videmus naturam per eam partem repere; vtilis .n. est ea euacuatio, in qua naturam habemus adminiculantem. Vacuamus & per cutim, idq; scarificando, & cucurbitulas applicando, quæ in ea parte debent applicari, in qua a visceribus possint melius euacuare, qui locus est inter omoplatas media spina dimissa, similiter in lumbis, & clunibus, vbi est copia venarum. Hanc vacuationem indicant ea, quę de venis sedis indicabant, vt propter vires debiles, videlicet in pueris, & pręgnantibus; quia ex his multo minus vires dilabuntur: similiter id agimus reuulsionis gratia, quia cucurbitulæ cum scarificatione reuellunt a superioribus. Id quoque facimus, indicatione accepta a motu naturæ, quæ si ad cutim vergat, non est impedienda, vt euenit in variolis, & exantematis, quibus plerumque iungitur febris synocha.

cha. In quo casu debemus aliquando copiam minuere, & non vena secta, quia suspecta est, nam trahit potius ad interna, quam externa: hæc de locis omnibus. sequitur de instrumentis.

Instrumenta, quibus mittitur sanguis, est scalpellum, quod duplex est, phlobotomum, & lanciola, quorum quod sit magis eligendum nescio, nisi quod in pinguibus phlobotomum magis confert, quia venæ minus apparent. Aliud instrumentum est scarificatio cum cucurbitula admota, quæ plurimum sanguinis euacuare potest, & vires ex ea non multum debilitantur, vt patet in his, qui sibi affigunt cornua, & scarificant, nec debilitantur. In horum vsu aduertendum est, ne decipiamini in lib. de scarificatione, qui profecto non est Gal., sed alterius: scribitur .n. ibi, cucurbitulæ non sunt admouendæ, nisi vacuato corpore, & non affertur ratio; sed ratio est, quia cucurbitula, cuicumque parti applicueris, attrahit, & pars illa repletur ex Gal. 13. meth.: vt si scirrhosæ parti in viscere affixeris, non vacuato prius vniuerso corpore, attrahitur ibi copia sanguinis, & augetur affectus. Quod si accedas ad ægrum, & videas eum non ferre poſse sanguinis missionem per venam sectam, cucurbitula potest admoueri, etiam si corpus non sit purgatum, quia non admouetur parti affectæ, sed sanę: & sic sententia illius non est perpetuo vera, vt patet. Modus administrandi instrumenta per hirudines, omnibus patet. Quare vltimum caput capiamus, hoc est, quomodo administranda sit venæ sectio.

Modus hic requirit, ut utiliter id fiat, & æger nihil lædatur, quod fiet si ægro accumbenti vena secetur ex 1. aph. 23.; sic enim uindicatur ab animi deliquio, quod si accidat, non amplius mitti potest sanguis: quia in eo est maxima agitatio humorum, nam spiritus, & sanguis ad interna feruntur, ex quo poſſunt fieri obstructiones: quare prouidendum est, ne æger animo delinquatur. Quod si fiat, aut timemus ne fiat, quia ęger non sit aſſuetus, & habeat debile os uentriculi, corroborabimus illud prius cum aliquo adstringente. Auicenna enim, quando æger in syncopem incidit, dat adstringentem cibum; sed iste modus malus est, immo tunc damus calida, & tenuia. Verum adstringens præmittendum est, ut roborato ore uentris, non cadat ęger in syncopem, ut est pomum adstringens, aut cum modico panis, aut solum. Quod si ęger animo deliquerit, aqua frigida facies eius insperga-

tur;

tur; si grauius, detur vinum. Sed sciendum est, antequam id opus expediamus, circa sanguinis missionem per hirudines, quod auctor ille, qui fecit tractatum de hirudinibus, dicit, quod attrahunt tantum a superficie: quod si eßet uerum, essent inutiles in febribus, quare debent applicari extremitatibus uenarum, & ita mittitur sanguis in maiori copia. Quod si sanguis crassus sit, & diffluere sistat, debetis præcipere, ut maneat supra aquam calidam, ut uapor ille excipiatur. Et priusquam recedamus ab hoc negocio, de uenæ sectione duo restant documenta: quorum primũ pertinet ad missionem sanguinis, hoc est ut euitetis maximum malum, quod aliquando ex imperitia medicorum, & ministrorum contingere solet, ne uidelicet pro vena arteria secetur; quia nunquam sanatur, & ex eo aut sequitur mors, aut ulcus ex Gal. 5. meth. 7. Quare debetis adesse, cum mittitur sanguis, & deligato brachio tentare, num uena sit, aut arteria, quod cognoscitur, quando pulsat; nec faciendum est, ut ministri, qui eam incidunt, quæ magis attollitur, quod uitandum est, nisi prius inspiciatur, si pulset.

Aliud documentum est, quia plerisque medicis est persuasum, ut in melancholicis affectibus secent uenas sedis, ex quibus sanguinem melancholicum uacuari credunt, & inducti sunt ex 6. aph. 21., ubi habetur, insanientes hemorroides apertæ sanant, & ualde decipiuntur; quia ex his tenuis, & floridus sanguis sæpe educitur, & si natura eum humorem per eam partem non tentet euacuare, nec medicus tentare debet: quia natura secernit, & educit quacunq; uult, quod arti non competit, quia ars nescit, nũ eo natura humores ducat. Quare illæ uenę non ad melancholicum humorem, sed ad plenitudinem euacuandam conferunt, nisi natura eo uergat; quoniam inde omnis sanguis educitur. Hæc de uenę sectione.

De externis. Cap. XIX.

IN hoc capite duo agemus, & dicemus de urinatiuis, & sudorificis. Agamus primo de urinam cientibus, & eius materiam distinguamus; quia Gal. paullo negligentius hanc rem tractauit, qui 5. simpl. 12. unum tantum genus posuit, cum tamen alibi tria posuerit, & dixit, quod ista sunt calida, & sicca, & te-

& tenuium partium. Et ratio est, quia sic ut coagulum in lacte crassum coagulat, & serosum separat; sic urinatiua crassum sanguinem cogunt, & separant serositatem, quę deinde a renibus trahitur. At si sine Gal. hanc rem uolumus considerare, nulla necessitas cogit, ut dicamus ista coagulare, quia separent crassum a serositate, quam separationem renes faciunt. Attrahunt enim serosum sanguinem, & separant, dum attrahunt, ut faciunt medicamenta attrahentia humores, separando eos ab alijs; & ita urinatiua per accidens agunt, quoniam fusis ab his humoribus, renes facilius attrahunt. quomodocunque sit, in hoc genere continentur calida, & sicca, ut aromata omnia, sicut cinamomum, appium. Secundum genus urinatiuorum est ea omnia, quæ multam aquositatem habent admixtam, ut aqua mulsa, oximel dilutum, decoctum glycyrrhizę, uinum tenue, & album, & aqua hordei: ista .n. humiditas cum in uenas facile distribuatur, facile etiam sanguis prius crassus liquatur, & funditur, & ita facile trahitur a renibus, unde sequitur multa urinatio; quia ista medicamenta secum trahunt sanguinem crassum. De his non meminit Gal. loco supra citato, alias tamen meminit in 8. meth. de uino albo, & 3. acutor. de mulsa, quam dixit urinam ciere. in hoc genere sunt succus cucumeris magni, & cucurbitæ. Quod si ista medicamenta habeant aliquid abstersorium, multo melius urinas ducent; quia ui sua excitabunt naturam ad excernendum, ut est mulsa, & alia quædam, quæ aliquam habent abstersionem: & ita duplici de caussa ista urinas cient, & quia fundunt humores, & quia excitant naturam ad excernendum.

Tertium genus est, ex natura propria quę trahunt serosum humorem, ut medicamenta quædam uomitum cient, alia secessum, & similia. Quod neceße sit ponere hanc proprietatem ratione demonstro, quia antiqui posuerunt quędam urinas cientia, quæ neque ratione primi, neq; secundi generis id agunt, ut fructus rusci, & halicacabi semen, quod frigidum est, & siccum, glycyrrhiza, & radix rubiæ, quæ nullam, aut exiguam habent caliditatē, similiter semen hederæ, & cucumeris, & peponis, & cucurbitæ. Statim dices, fateor aliqua horum frigida eße, & sicca, & ideo non poßunt urinam ciere ratione caliditatis, neq; multę humiditatis admixtæ, sed habent aliquam acrimoniam, quæ confert ad ducendam urinam. Istud nihil est, quia si debent urinas mouere, acri-

re, acrimonia illa debet esse sensilis, vel gustu, vel olfactu, hæc autem non apparet; ergo aut non adest, aut nullius est momenti. Primum, esto quod ibi esset acrimonia, quare ad vrinas potius, quam ad ventrem ducit? quę .n. potantur, si acria sunt, ventrem potius proritabunt, cum propius sit, quam vrinam: quare dicendum est, ea id facere ex proprietate.

Instatur vlterius, & fortius, esto quod hæc proritatio renes attingat, nihil aliud faciet, nisi quod naturam moueat, & proritet, vt recordetur sui muneris, & relaxet illam aquositatem: quare si nihil aliud ibi sit, quam proritatio, nihil plus facient ista in renibus, quam enema, aut balani, si in eis non sit aliquod medicamentum admixtum: atq; his rationibus moueor tertium esse genus vrinatiuorum. His positis dico, quod aliqua horum sunt fortia, aliqua leuia: fortia in primo genere sunt cinamomũ, casia, & similia; leuia vero assarum, & camomelum: in secundo genere sunt leuia decoctum appij, & glycyrrhizæ; fortia vero, mulsa aqua, & similia: in tertio genere leuius est semen ex cucumere, aut pepone, & capillus veneris; fortius vero halicacabi semen, & rubia. His positis, videamus qua arte ista sint propinanda: primo, duplex commodum habetur ab vrinatiuis; primum, quia expurgant quotidiana excrementa, quæ a cibis generantur: quod cum non fiat in ęgris, quia natura non fungitur suo munere, debemus nos adhibere vrinatiua, quæ naturam prouocent. Secundum commodum est, vt per vrinas expurgentur humores peccantes, & morbi caussæ, vt biliosa, & pituitosa excrementa. Si quis ergo quærat, qua de caussa vrinatiua adhibeamus; dicemus, vt separemus excrementa ciborum, & caußæ morborum euacuentur. Et horum trium ea materia eligenda est, quæ respicit febrem, & caussam: vt si sit magna febris, & calor magnus, exhibenda sunt, quæ minimum caloris habeant. Si caußa morbi parata sit, vt educatur, satis erit leue medicamentum dare, videlicet si sit humor tenuis, vt bilis flaua, & aquosa pituita, & serosus sanguis. Si caussa sit rebellis, vt pituita crassa, & humor melancholicus, fortiora exhibẽda sunt.

Veniamus ad occasionem: vrinatiuis vtendum est, quando nullum adest impedimentum: impedimenta vero sunt ex parte viarum, vt si sint obstructæ; tunc .n. si humores attrahantur, maiores fiunt obstructiones. Secundum impedimentum est, si adsit

multitudo humorũ; quia cum magna copia sanguinis ducatur ad uias urinæ, quæ angustæ sunt, fit ibi obstructio. Tertium impedimentum est ex qualitate humorum, vt si crassi sint, & lenti, quia resistunt, stultum est urinas ciere; uel .n. ex multitudine, vel ex crassitie obstructiones faciunt maiores. Quare cum corpus uacuum est, & humores concocti, & attenuati, ista erunt adhibenda. At dices, numquam ergo in principio ista erunt adhibenda, quia tunc semper humores crassi sunt, & obstructiones in corpore: attamen Gal. 1. ad Glauc. cap. de tertiana exquisita, prima die utitur urinas mouentibus. Debetis meminisse, quod medicamenta vrinas cientia, alia sunt fortia; alia mitia: mitia tantum iuuant naturam, & non habent multam vim attrahendi ex toto corpore; fortia vero contra se habent. Dico ergo, quod leuibus a principio possumus vti; fortioribus vero minime, nisi uacuato corpore. Et leuia adhibere debemus in principio, quando vacuata est copia sanguinis ex uenis, & si humores crassi sunt, & obstructiones minime ablatæ: quod voluit Gal., qui solum melicratum exhibuit, in quo maduerit anethum, absinthium, & appium; & dixit, maduerit, non autem incoctum sit, indicans leuia tantum exhibenda esse.

Dicetis, in capite de quotidiana non ne dixit Gal., vtitor oximelite, & ijs, quæ fortiter vrinas mouent in primis diebus; ergo non solum leuibus, sed fortibus quoque vti debemus. Gal. vtitur verbo protrepei, quod significat cohortationem tantum quandam, & non impulsionem, & ideo male expositus est locus ille a Leoniceno, qui traduxit, ciet: & dixit Gal., valenter hortari, vt in eo genere mitium vrinatiuorum persistamus, nullo modo illud transcendentes, ita vt ex leuibus valentiora eligamus, vt prius madefaciebamus appium, & anethum, nunc incoquamus. Vrinatiua exhibentur, aut in substantia sicca, aut humida: in sicca, ut cum in tenuissimum pollinem reducuntur, quia debent ad longinquas partes peruenire, & ita debent eße valde penetrantia, ut sunt trocisci de rosis, & eupatorio cum melicrato, & vino albo, uel cum succo glycyrrhizæ: preparantur & in coctione, & infusione, & mane ieiuno exhibentur: hæc de urinatiuis. Sequitur de sudorificis.

De sudorificis agentes, materiam eorum primum explicabimus; quæ duplex est, alia .n. per se, alia uero ex accidenti id faciunt.

tiunt. Quæ per accidens sudores cient, humores parant, & uias latas reddunt, per quas humores deferri debent: quod quidem si in urinatiuis requirebatur, multo magis in sudorificis requiritur; quia uiæ sudoris adeo strictæ sunt, ut sensum effugiant. Præparant ista uias, dilatando eas, quæ strictæ sunt; humores uero, fundendo eos, liquando, incidendo, & attenuando: quare sudores mouent per accidens; quia & uias, & humores præparant, natura uero postea excernit. Aliud genus, tum ex accidenti, tum ex propria ratione sudorem mouet, ut sunt, quæ rarefaciunt, & attrahere ad cutim, & abstergere possunt: & quatenus incidunt, & parant humores, dicuntur per accidens sudores mouere; quatenus vero ad cutim trahunt, per se id facere dicuntur. Quæ vias parant, sunt potiones, quæ aperiunt, & habent calorem cum tenuitate, ut decoctum camomeli, siue sicci, siue uirentis, & flores eiusdem ex 5. de simpl. med. 8.: huius etiam generis est decoctum appij, & maioris uis est eius succus, si extrahatur ex agresti appio, quod dicitur oreoselinum, & clarificetur: similiter mulsa, & aqua hordei, si calida propinetur: demum uinum tenue, & moderate calidum. hęc est potionum materia, quæ ex accidenti operatur.

Secundum genus est eorum, quę dilatant meatus, & trahunt ad cutim, & sunt ea, quæ cutim rarefaciunt, & unctiones, & medicamenta acopa, vt oleum camomelinum, sicioneum, & ligustrinum, & similia: fomentum etiam omne dilatat, & ad cutim attrahit, & ita sudores mouet, per frictiones, & balnea: hęc est materia vtriusq; generis, idest per se, & per accidens. Sed distinguendum est, quæ inter potiones, & extrinsecus admota, sint fortiora, & leuiora. Ex potionibus leuia sunt, mulsa, aqua hordei, & vinum album: fortiora, decoctum camomeli, & appij, & eius succus. Ex extrinsecis fortissima sunt balnea, & eorum aër, & unctiones: minus fortia sunt, frictiones, & fomenta, præsertim si frictiones fiant inunctis manibus. Sudorifica utilitatem afferunt, quia in primis excrementa circa cutim, quæ quotidie fiunt, expurgant. Quod si non cieatur sudor ab his medicamentis, id saltem commoditatis afferent, vt excrementa illa in uaporem eleuentur, & per insensibilem transpirationem expurgentur. Secundus usus est, ut sanemus putredinem, quæ fit ex meatuum densatione, & constrictione; hæc .n. fundunt, & li-

quant humores, & aperiunt meatus, unde calor naturalis uentilare potest. Tertius usus est,& maximus, quia expurgant caussam febris, ut putrida excrementa, & caussam antecedentem, ut humores, qui sunt aceruati in uenis, qui per uarias uias expurgantur. hæc de vsu: sequitur de occasione.

Occasio his utendi est, vbi adsint ea, quæ iuuant, & morbus exposcat, & remota sint impedimenta. In quo distinctione utendum est; cum .n. medicamenta sint alia leuia, alia fortia; leuia parum tantum rarefaciunt,& non multum commouent: quibus statim a principio morbi uti possumus, dummodo ablatum sit impedimentum multitudinis; quia si copia humorum fundatur, & liquetur, transfertur per totum corpus, & auget obstructiones,ut supra diximus de urinatiuis: non ergo his utendum est,pleno corpore,siue bibantur,siue extrinsecus adhibeantur. Vsus uero fortium debet esse statim ab initio, sed tollenda sunt impedimenta: & hoc est, ut non solum copia tollatur, sed crassities,& lentor humorum; quia aliter ex liquatione humorum fieret uniuersę cutis obstructio, & maior febris accenderetur. Id uoluit Gal. 11. meth. 8., ubi dixit, priusquam corpus uacuaueris,eius habitum rarefacere non conuenit; uacuato uero corpore, licet, nisi febris obstet. Ad finem uero cap. ita scribit, quare tunc audacter, & uinum damus, & balneis utimur, & corpus rarefacimus, cum signa coctionis apparent: & ita cautissime locutus est Gal. in primo, & secundo apparatu; in primo .n. necesse est corpus esse uacuatum, in secundo uero satis est, quod humores parati sint. Modus exhibendi facilis est, quia aut matutino tempore, si febris non obstet, aut in fine status, aut in declinatione adhibentur, quæ extrinsecus apponuntur, quando natura incipit iam sudores mouere:quæ uero potantur,mane ieiuno stomacho capiũtur.

Apparatus facilis est, debent .n. leuiter calida exhiberi. Reliqua præsidia, quæ extrinsecus adhibentur, sunt epithemata, & fotus. De epithematis, cum non uniuerso corpori, sed partibus admoueantur, dicemus in curis particularibus: dicamus de fotibus. Fomentorum usus hodie omissus est, quamuis ego in febribus longis aliquando his usus sim ad roboranda uiscera. Materia horum duplex est, ita ut relaxantia cum adstringentibus semper admisceantur, vt habetur 11. meth. a Gal., qui laxantia tantũ cataplasmata reprehendebat, non quod cataplasmata reprehendat,

dat, sed materiam, qua illi utebantur, & occasionem, quia pleno corpore ea apponebant: & ideo nos his uti debemus admiscendo astringentia. Occasio vero his vtendi est post vacuationem, ne ratione caloris attrahantur humores ad viscera. Gal. hos reprehendebat, quia non distinguebant, in quibus morbis ijs vtendum esset: si enim in febribus synochis, aut ardentibus, vbi refrigeratione opus est, hæc adhibeantur, non ne maximum erit incommodum? & hæc de horum vsu, & de omnibus remedijs, quę possunt venire in catalogum febrium putridarum. superest, vt earum curationem, instituamus.

De curatione febrium putridarum. Cap. XX.

Circa curationem putridarum, quędam in primis supponenda sunt: primum, quod febres aliæ solæ fiunt, aliæ cum aliquo insigni affectu; solæ fiunt, quæ nullam partem affectam secum habent, contra se habent febres cum affectu. Secundo supponendum est, quod putredo, ex qua febres accenduntur, aliquando est in partibus corporis, vt in carne, & cute, veluti in intermittentibus; tunc enim humores e venis extra venas dimittuntur, & in meatibus cutis, & musculorum imbibiti, & infarcti, ibi putrescunt: aliquando vero putredo ista in venis est, & vel in aliqua parte earum, vel in omnibus. In vna parte, vt si focus putredinis accendatur in venis iecinoris, lienis, quod tamen sit sine phlegmone; quia simplicem adhuc febrem proponimus. Cum vero putredo est in omnibus vasis, aut in maximis, febris fit synocha: vbi putredo est extra venas, prorsus tollitur, & deinde reuertitur, & hoc quia obstructio tollitur, & reuertitur, vnde & noua caussatur putredo a noua obstructione. quare cum cessat obstructio, & putredo cessat; quia humores omnes in partibus illis imbibiti consumuntur a calore febrili, & excernuntur. In febribus vero continuis proportionatis non cessat putredo, quia non soluitur obstructio, sed remittitur; quia humores sunt veluti in vase contenti, & non possunt omnino tolli; prius .n. quam illi tollantur, alij reaggregantur; unde & febris remittitur tantum, non autem omnino tollitur. Cum febris est homotena, nulla remissio fit, nec obstructionis, nec febris, donec excrementa omnino excernantur. Ex his colligimus, quod caussa febris est pu-

tredo,

tredo, putredinis vero caussa obstructio, quę si in venis sit, antecedens caussa dicitur; si vero sit in partibus, vbi humores putrescunt, proxima caussa dicitur. Quare omnis febris putrida duplicem habet caußam, antecedentem in venis, & continentem, siue coniunctam, vbi humores actu putrescunt, siue in venis, siue extra. Vt ergo tollamus putredinem, obstructionem remouere oportet, quæ transpirationem prohibet, cuius caußa est crassities, lentor, & copia humorum: quæ obstructio habet caussam fouentem in venis, ad quam, vt remoueatur, accedere oportet, ita vt quod vltimum est in resolutione, sit primum in executione. Hinc .n. methodum curatiuam inuenire nobis propositum est, hoc est scopos curatiuos elicere, qui in putridis febribus indicantur; & remedia inuenire, quibus his scopis satisfiat, quod ideo difficile est, quia a Gal. confuse tractatur. Sciendum est ergo, quod proponimus nobis febres, quæ non pendent a particula læsa, ut peripneumonicæ, pleuriticæ, & huiusmodi, nec quæ fiunt cum validis symptomatis; sed simplices tantum: cuius initium ab ipsa rei natura ordiemur ex methodo ipsa, quæ a rei natura, quæ immutabilis est, & vnum semper indicat, scopos accipit, sicuti fecit Gal. qui a definitione putredinis incepit. Quid sit putredo, alias a nobis disputatum est; diximus enim, quod fit a calore extraneo excitato in humido: rursus diximus, quod calor natiuus fit extraneus a prohibita transpiratione, prȩsertim si humores, qui sunt materia putredinis, ad eam parati sint; & hæ omnes caußæ resoluuntur in suas priores caussas. Prohibita transpiratio fit, quia meatus occlusi sunt; occluduntur autem, vel obstructione, uel densatione: parui meatus sola densatione occluduntur, vt a frigore, vel medicamentis habentibus vim restringendi: magni vero meatus, vt uenæ, & arteriæ ab obstructione clauduntur, quæ fit aut ex influxu humorum in angusta vasa sua multitudine obstruentium, aut ex eorem lentore, vel crassitie. Hæ sunt caussæ proximæ febris, quæ habent caussam antecedentem in venis, quæ dicitur antecedens, quia prius erat genita, & continuo potest generari, & transmitti a venis extra, & facere obstructiones, ut supra dictum est: sunt enim excrementa in venis, quæ singulis periodis transmittuntur, aut attrahuntur extra venas; & hæc, vt diximus, peccant, aut multitudine, aut crassitie, aut lentore: hæc est methodus resolutiua a febre vsq; ad supremam

premam caussam, quę dicitur antecedens qui ergo febrem putridam vult sanare, ab omnibus his indicationes sumere oportet. Videamus ergo quid vnumquodque indicet: est hic febris, est putredo, est obstructio, & sunt humores obstruentes, & caussa antecedens in venis. Febris se tolli demonstrat, quoniam præter naturam est, tollitur per contraria, ergo refrigerantibus: putredo requirit, vt quod ipsius factum est, a corpore abijciatur tanquam præter naturam, & in futurum ne fiat, prohibeatur; aliter nihil faceret medicus, si putredo continuo reaceruacetur: quare inhibenda est putredo, quod duplici via faciendum est; primũ, si tollamus obstructiones, vt calor uentiletur, nam putredo fit ex malitia caloris extranei ratione obstructionis: secundo procurandũ est, ut bona concoctio fiat, ne adsit materia putredini apta. Obstructio monstrat, ut præsens tollatur, & futura prohibeatur: præsens tollitur, auferendo caußas ipsius, vt multitudo, crassities, & lentor humorum, quæ tolluntur abstergendo, attenuando, & incidendo: futura uero tollitur, ablata caussa antecedente, quæ est copia humorum in uenis. hæc de his indicationibus.

Nunc uidendum est, quo ordine, & quibus instrumentis hęc fieri debeant, ex Gal. 11. meth., qui dixit, uidendum est, quando est occasio huic, vel illi remedio, & quando huic, uel illi scopo sit attendendum. Si methodum consulamus, ordo agendorum erit iste, vt incipiamus ab eo, quod ultimum inuenimus, & hæc erat prima caußa; nam alia non poterat tolli, nisi ea ablata, quæ est copia humorum in venis, quæ caussa antecedens dicta est, & indicat sui vacuationem. Ceterum ista occasio non potest statim integra, & perfecta fieri; quia multa impediunt, ut humores crudi, & corpus imparatum: facimus ergo, quod poßumus, & materiam hanc minuimus, quæ minoratio, ut supra diximus, teste Gal. 2. aph. 29. fit plerumque uenę sectione, aliquando & per pharmacum, cum natura concitata est ad expulsionem: quare initium curationis est ab ipsa minoratione materiæ, quæ erat caussa antecedens, quia tota non potest tolli statim in principio; deinde alia exiguntur remedia. Cum ergo aderit abundantia excrementorum in venis, statim si nihil probibeat, mittemus sanguinem ad hauriendam partem materiæ peccantis; deinde veniẽdum est ad obstructiones tollendas ex 8. met. 4. Ex minoratione enim multa sequuntur commoda, quia natura melius agit in reliquum,

liquum, & postea alijs remedijs tuto uti possumus. Neq; cum dicimus copiam, sanguinis tantum copiam intelligimus, sed satis est, vt cum in uenis adsit copia excrementorum, & vires sustineant; cum enim uires adsunt, si non sit copia sanguinis, tantum saltem adest, quantum satis est ad corporis nutrimentum. At dices, si uires non adsunt, & sit in corpore copia excrementorum, quid faciendum. debemus ne transire ad alia remedia, neglecta caussa antecedente? Dico, quod faciemus, quod possumus, vt fecit Gal. 12. meth. ad principium: & ita alijs vijs excrementa minuemus, propinando scilicet ea, quæ excrementa primarum uenarum extergant, ut sunt mollientia medicamenta trium generum, uel inedia instabimus: ita ut in biliosis, quia cito alterantur, mollientibus medicamentis utemur; in pituitosis uero, quia natura maiori ex parte conuertit ea in sanguinem, inedia procedemus. Et ita habemus initium curationis a caußa antecedente: quo peracto, idest uacuata multitudine, primo respicimus febrem, quæ aliquando parum, aliquando uero maxime indicat, & hæc refrigeratione tollitur.

At dices, si sit pituitosa, calefaciemus ne? dicit Gal. quod febris, qua febris semper refrigerari postulat. At refrigerans triplex est, ut triplicia sunt contraria, actu, potentia, & ex accidenti: contrarium actu dicitur calido frigidum: potentia contraria sunt, quę uim habent contrarij, non autem speciem, ut prima facie non sint contraria, sed latenter contrarientur, vt lactuca contrariatur febri, non actuali frigiditate, sed quia uim habet refrigerandi. Ex accidenti contraria sunt, ut quæ euacuant humores putridos, refrigerant febrem; quia euacuant materiam calidam: quare medicus, cum putridam fuliginem euacuat ex corpore, dicitur corpus refrigerare, ut si quis in balneo calido ponatur, & sudet, ita ut euacuetur humor putridus, dicitur per accidens refrigerari. Cum ergo febris mihi monstret refrigerationem, non semper actu frigida exhibemus, sed aliquando his, aliquando alijs, ut si febris sit ardentissima, omni genere refrigerantium utemur, quia maximis morbis maxima remedia requiruntur. quare exhibebimus aquam frigidam, quæ actu refrigerat, & cucurbitam, quę potentia refrigerat, deinde obstructionem curabimus, quod erit per accidens refrigerans. Si vero febris sit debilis, ut quotidiana, non expediunt actu, nec potentia frigida, sed satis

erunt frigida ex accidenti, vt satis sit apertis meatibus putridam materiam euacuare. Si mediocris sit febris, ut tertiana notha, mediocribus utemur, vt his, quæ potentia, & per accidens refrigerent, & hoc statim post uacuationem procurandum est ex Gal. loco supra citato. Putredo quid indicat? vt quod putridum est, tollatur, & quod non est putridum corrigatur, cuius exemplum dat Gal. in carnibus semiputridis, a quibus quod putridum est, tollimus, reliquum aëri exponimus, ut uentiletur, hoc idem fieri dicit in corporibus nostris. Vacuatur, quod putridum est, per consuetas uias ipsi naturæ, ut sudoribus, insensili transpiratione, deiectionibus, urinis, & aliquando uomitu: medicus uero naturam imitatur, ut quæ excrementa ad intestina descendunt, per clisma uacuentur, quare in febribus quotidie clisma est inijciendum; quæ uero in uenis remanserunt per urinas, exhibendo oximel, acetosum, incoquendo etiam, quę uim habent ciendi urinas, ut appium, petroselinum, eligendo fortiora, aut mitiora, prout febris magna, uel parua est. Sentimus aliquando uaporem putridum, uel sudorem ex corpore ægrotantis efferri, & tunc pannis ægrum operimus, vt apertis meatibus uapores non occludantur, & hoc, modo mitius, modo uehementius iuxta excessum caloris, & tempus anni. Si natura per uomitum tentet excretionem, uomitus ciendus est, neq; dixit Gal. in alijs excretionibus, si natura tentet, ut in uomitu, quia uomitus est difficillima omniũ euacuatio, & corpus uehementer perturbat, & maxime in his, qui ad uomitum non sunt apti. Quare his tantum, qui uomere facile consueuerunt, uomitoria exhibebimus, & hoc, quando natura ad uomitum prouocat, quod cognoscitur, cum ęger nauseam, & morsum uentriculi, & huiusmodi sentit. Futuram putredinem reprimimus, probibendo ne amplius fiant obstructiones, & corrigendo humores, qui sunt in uenis, quod fit syrupis, & potionibus; nam præparant corpus ad expulsionem, & concoctionem iuuant. Obstructio indicat, ut quæ præsens est, contrarijs tollatur, propinando quę attenuent, incidant, & abstergant, ut mulsa, oximel, acetosum. Fututam uero prohibemus, caussam antecedentem, vbi occasio præbetur, radicitus euacuantes, quod non potuit fieri in principio; quia ratione crassitiei, & cruditatis humorum, non erat occasio, quę maxime est in statu; tunc enim humores, & corpus paratum est: quod si humores tunc a natura nõ

sunt ad bonum redacti, nec euacuati, medicus naturæ defectui supplere debet, & eos euacuare. In quo considerare debetis negligentiam Paulli, qui artem a Gal. non assumpsit, sed de his tantum, quę ad antecedentem caussam pertinent pertractauit. Hæc dicta sint de curatione putridarum in generali; & quia nihil, quod ad eas pertineat, reliquimus; superest, ut hanc methodum in particularibus exerceamus: & incipiemus a vehementissimis febribus, quare de synocha prius tractabimus.

De Synocha. Cap. XXI.

DE Synocha tractaturi, ordiemur primo ab eius natura, a qua indicationes sumuntur; deinde de speciebus, & caussis eius; postea de signis, & curatione agemus. Sed ad eius naturam inueniendam necesse est repetere diuisionem, quam supra fecimus, quod febrium alię periodicę sunt, aliæ non, ut synochæ, quæ non habent periodos; nam synechis, hęrens, & esse continuum significat; non enim hæ perpetuum habent uigorem, vt omotenæ febres ex Hipp. 1. epid. 1.: ceteræ uero continuę, quia periodo reuertuntur, synechis, & simpliciter continuæ dicuntur: & quoniam febrium differentia sumitur a differentia caloris, caloris autem differentia ex materia, ex qua fiunt ex 1. de diff. febr. 1., videndum est, a qua materia hæ fiant. Et primo occurrit nobis Auicenn. cap. 1. de febribus putridis, quam sententiam aperte etiam demonstrat in cap. de febre sanguinis, quod omnis synocha fit a sanguine; & si sanguis sit ex calfactus, fit synocha sine putredine; si vero sanguis putrefiat, fit synocha putrida: quare in eo cap. imponit Gal., quod senserit nullam putridam esse a sanguine; & ratio Gal. fuit, vt inquit ipse, quia sanguis, dum putrescit, transit in humorem alterius naturæ; ex parte enim fit bilis flaua, ex parte atra: quare febres illæ non a sanguine, sed a bile fiunt. Contra hanc sententiam instat Auic. ex Hipp., qui posuit synocham ex putredine sanguinis. Ratione etiam instatur, quia ratio Gal. nullam vim habet: quid .n. intelligit, cum inquit sanguinem ex parte fieri melancholiam, ex parte uero bilem flauam? aut intelligit, dum mouetur ad putredinem, & tunc finis eius est corruptio, non generatio bilis; aut intelligit, cum putrefactus est, & tunc est cineritium, non bilis. Confirmatur

etiam hæc ratio, quia si non fit febris ex sanguine, quæro si sanguis, dum putrescit, conuertatur in bilem, cur potius biliosa sit, quam melancholica febris, vnde colligitur dari febrem a putredine sanguinis, quæ nullum habet periodum, & habet naturam ab alijs distinctam. Subiungit Auic., quæ fuit etiam sententia Gal., quod febris hęc sit simplex, quę sententia fortasse non ita secure accipi debet, quia non habet ex toto veritatem.

Hic multis modis errauit Auic., primo quia testem adducit Hipp., & nullum eius locum citat. Præterea synochus non reperitur apud Hipp., quia est vox iuniorum. Vlterius Gal. omnino contrarium ponit ab eo, quod dicit Auic., nam Gal. dicit dari febrem ex putredine sanguinis distinctam ab alijs, ex 2. de differentijs febrium 9. & 2. de crisi 12. circa finem. Dicimus secundo, quod febris ex putredine sanguinis est simplicior omnibus alijs, quæ a putredine fiunt: sed istud simplex non distinguitur contra compositum, sed contra prauum, maleficum, & immite, & similia ex Hipp., & Gal.: sic Aristoteles 9. de hist. animal., cum distinxit mores maris, & feminæ, dixit mares esse simplicissimos; feminas uero habere quid cacochimię: ita etiam accepit Hipp. 3. progn. ad principium, cum dixit, simplicissimæ enim febres; cui subiungit postea, quod hæ fiunt cum signis securissimis: Gal. quoque 2. de diff. febr. 9. dicit, febres ex putredine sanguinis simplicissimæ sunt, idest mitissimæ; quia sanguis est mitior omnibus alijs humoribus; & addit, tum in alijs, idest quo ad symptomata, tum quo ad calorem, quia mitior est comparando eas reliquis continuis. quare dixit etiam Gal. 1. ad Glauc. cap. de ephemera ex bubone, quod calor in his multus est, & mitissimus præ ceteris omnibus, & hoc fit ex putredine sanguinis. Tertio dicimus, quod hæc febris est quodammodo biliosa ex 2. de crisi 6. & 12., & dixit quodammodo biliosa, quia ab ea non multum distat; similis namque est, quia facit periodum tertianarium, quod experientia patet in febribus pleuriticis, & pulmonijs, & omnibus febribus a sanguine, quæ habent periodos tertianæ: similis est etiam, quia participat de natura ipsius, quia sanguis, dum putrescit, biliosus euadit, & acquirit bilis naturam, & eius accidentia. Hęc est sententia Gal., nec uerum est, quod dixit Auic. Galenum non ponere febrem sanguinis.

Ad argumenta, quibus instabat Auic., cum quærit, quid si-

bi voluerit Gal., cum dixit, cum sanguis putrescit, pars in bilẽ, pars in melancholiam conuertitur: dicimus Galenum aliter intelligere, quam Auicennam, nam intelligit Galenus de caussa antecedente, ut de putredine in uenis, quia protracta febre sanguinis, id absque dubio contingit; Auic. uero intelligit de caussa nunc febrem faciente. Cum vlterius dicit Auic., si putresceret sanguis, non magis fieret biliosa, quam melancholica: verum est, quod si non bene curetur, uertitur in quartanam, sed prius in biliosam, quia in initio humor melancholicus non est genitus; quia maius tempus requiritur ad sui generationem, quam ad generationem bilis, & ita prius fit biliosa, quam melancholica.

Nunc respondendum est ad principale quæsitum, a quo humore putrescente fiat synocha, Auic. dicit, quod vtraque fit a sanguine. Gal. uaria scribit; in 6. epid. lib. 1. cap. 1. dicit, quod synocha fit ex putredine sanguinis in magnis uenis; in 2. uero de diff. febr. 2. inquit synocham esse ex genere biliosarum. Eadem scribere uidetur 2. de cris. 6., vbi ait synocham esse ex genere ardentium, quæ sunt ex bile: rursus ait 2. de crisi vltimo, quod vbi succi putrescunt in magnis uenis, aut in omnibus, fit synocha, & per succos uidetur intelligere omnes humores. Si consideremus 3. & 4. cap. 9. meth., idem dicit, quod fit synocha, cum æqualiter succi in magnis, aut omnibus uasis putrescunt. Dicamus nos ex Gal. 6. epid. lib. 2. cap. 38., & 1. de potentijs natural., & in lib. de atra bile, quod sanguis duplex est, alter qui est quartus humor ab alijs; alter vero accipitur pro miscella quattuor humorum, & vna serosa humiditate, quæ perpetuo sanguinem comitatur. Secundo supponamus, accipiendo sanguinem secundo modo, quod aliquando purior est, aliquando impurior ex 2. parte 6. epid., & ex lib. de atra bile; & hoc fit duobus modis, uel ut sanguis solus increuerit, uel omnes humores æquabiliter; diximus enim alias, tertium genus plenitudinis eße, quando cum sanguine creuit, & alius quidam humor. His habitis, a sanguine eoq; sincero, & calefacto fit ephemera, quæ est synocha sine putredine; a sanguine uero putrefacto fit synocha putrida: & quia sanguis aliquando purior est, aliquando impurior; similiter & synocha, aliquando erit magis vergens ad unum humorem, aliquando ad alium. Neq; credendum est, quod cum dicimus humores putrescere in magnis uenis, omnes putrescant; sic .n. non

fieret

fieret nutritio, sed putrescunt serosæ partes humorum, quæ ad putredinem magis aptæ sunt; quilibet .n. humor habet suum serum ex 6. epid. lib. 2. cap. 38. Quare cum erit putredo in sero sanguinis, erit synocha sanguinis, & erit mitis: si vero in sero bilis, tunc erit synocha biliosa, id est in qua putrescit sanguis biliosus, quę omnium pessima. Vnde facile erit respondere: cum dixit Gal., quod est ex genere ardentium, intellexit de synocha biliosa. Alias dixit synocham fieri ex sanguine putrefacto, hoc etiã eße potest, vt diximus, a sero sanguinis. Cum dixit, omnes succi æquabiliter putrescunt in magnis venis: illud verbum, æquabiliter, referendum est ad locum putredinis, id est quod succi non magis in hoc, quam in illo loco putrescunt, et hoc patet 11. meth. 4. Vnde habemus, quid sit synocha, & a quo humore fiat; & vidimus, quod duplex est, alia quæ similitudinem habet cum ephemeris, alia quæ fit ex putredine sanguinis, & de vtrisque agendum est: nunc de caussis ipsarum tractandum est.

De caussis synocharum. Cap. XXII.

PRincipium inuentionis erit proponendo naturas corporum, in quibus solet accendi synocha, hoc enim multum confert ad cognitionem earum: in qua re ducem habemus Gal 9. meth. qui scribit, neutra synocha gignitur in frigido temperamento, nec vbi sit sanguinis inopia, nec in gracili corporis habitu, sed opus est, vt corpora prehensorum quacunque synocha sint dura, id est solidę, & densæ carnis, non mollis, qualis est puerorum, & mulierum, & adsit copia sanguinis, & sint temperamento calido: videtur ergo nobis describere habitum athletarum, de quibus scripsit Hipp. 1. aph. 3., quæ sunt corpora pletorica abundantia sanguine, & carne: necesse est ergo, vt talia corpora sint in iuuenta, & non in senectute, vt incalescant ex ętate, & modo viuendi. Cum dicimus, quod in his abundat copia sanguinis, intelligendum est, vel de copia sanguinis puri, vel admixti cum alijs humoribus; quoniam corpora sanguinea, vel ex uictu, vel ex tempore anni, ex sanguine possunt aggregare bilem; pars enim subtilior sanguinis in bilem resoluitur. Quod synocha non possit fieri in frigido temperamento, monstratur primo de ea, quæ est sine putredine, quæ fit a sanguine in venis calefacto; quod si cor-

pus sit frigidum, quomodo poterit ad eo accendi sanguis, vt faciat febrem synocham? vbi vero sit inopia sanguinis, non potest hæc febris accendi: quia cum hæc febris multum calorem habeat, necesse est, quod sit multa substantia calida, a qua multus eleuetur vapor, vnde necessario aderit copia sanguinis, vel humorum; quia sanguis, vt diximus, modo purus est, modo biliosus. Quod in gracili corpore nulla fiat synocha, patet; quia ista corpora sunt latis poris, & facile transpirant ex Gal. 2. de temperam., non potest ergo obstruì vniuersus eorum habitus; & hæc est prima caussa, propter raritatem habitus. Secunda est, quia in gracili corpore non aceruatur copia humorum ex multo eorum defluxu. Tertia est ex humorum tenuitate, qui non facile possunt obstruere, immo a bile non fit obstructio, nisi in carne sit aceruata, vnde meatus cutis constipati sint: hęc de corporibus, quæ ab hac febre prehenduntur. Agamus nunc de generatione, & de caussa, a qua fit.

De generatione synocharum. Cap. XXIII.

CAußa harum est ex meatuum constipatione, a qua uentilatio innati caloris, & euaporatio uaporis fuliginosi prohibetur, unde calor naturalis augetur; quia vapores eleuati ab humoribus, ex venis non expurgantur, quare vtraque synocha fit a prohibita transpiratione: quare necessario magna est, quia magni calores in toto corpore non possunt accẽdi sine magna caussa. Magna autem hæc stipatio fit, vel in finibus vasorum, uel in tota cute, ex Gal. 9. & 11. meth., vbi per fines vasorum intelligit Gal. orificia venarum, per quæ fit ventilatio caloris, quæ facile stipantur, quia admodum stricta sunt. Cutis pręterea meatus facile stipantur, vnde perspiratio caloris prohibetur, & sequitur febris synocha vtriusque generis.

Stipationis caussa duplex est, fit enim aut ex densatione, aut obstructione; densant, quæ stipant, ut patet in his, qui in frigido aëre ambulauerint: sed hæc stipatio, cum parua semper sit, accendit tantum ephemeram vnius diei, quæ relaxantibus facile soluitur. Synocha vero fit ex obstructione meatuum cutis, & orificiorum venarum, quæ, si adsit etiam densitas cutis, erit hæc secunda caussa primam adiuuans, vnde potest eße vna caußa, & plures:

plures: fauet etiam huic caussæ totius corporis apparatus, cum caro densa est, similiter cum adest copia humorum. Adstrictio habet euidentes caußas, vt aërem frigidum, & balneum aquæ frigidæ, aqua aluminosa, aut quæ aliquid adstringentis habeat. Obstructio fit ex copia irruentium humorum in angustum uas, ita vt ex multitudine fiat obstructio, fit etiam ex lentore, & crassitie humorum: at synocha potius est a multitudine, quam a lentore humorum; quia quando adest copia bilis, aut sanguinis, non est multa copia pituitæ, aut melancholiæ in corpore. Isti humores irruunt in angusta vasa, quia per corpus mouentur ad cutim, & fines vasorum; qui motus fit a caussis fundentibus, & liquãtibus humores: sicut videmus fluuios, cum niues in vere liquantur, diffluere; ita etiam humores in vere a calore fluunt, & obstruunt multitudine cutim, & venarum orificia. Ponit harum caussarum procatarcticarũ exemplum Gal., in primis aër æstuosus, qui prius erat frigidus, vt si simus adhuc verno tempore, in quo plena adhuc sunt corpora, & vigent, & contingat constitutio aëris calida, funduntur humores, & ratione caloris ambientis, qui attrahit ad extrinseca, trahuntur humores ad cutim, vnde fit obstructio, aut in omnibus, aut maioribus vasis. Cum dicimus obstructos esse meatus, non credatis, vt sint adeo obturati, vt nihil inde effluat, quia non viueret animal, sed bene exiguum effluit. Ex Gal. ergo habemus caussam vnam aërem ambientẽ, similiter inquit Gal. balneum calidum, præterea si quis valde exercitetur, in hoc facile fundũtur humores, et caussatur synocha; ex ira quoque, & furore mouentur humores, & sanguis ad extra, qui subitus motus obstructionem caussare potest. Et sciatis, quod hanc febrem plurimum fieri vidi ex immodicis laboribus; qui enim soliti sunt in ocio viuere, & exerceantur, & sint corpora pletorica, in his prius fit lassitudo flegmonosa, quæ est præcursor synochę febris; quod fit, quia sanguis bonus fusus est, & liquatus in carnes, & caußat punctiones illas, & dolores in omnibus musculis, vnde intumescunt, & rubent, & ęger afficitur in toto, vt qui phlegmone laborant, in vna tantum parte afficiuntur: quia sanguis est aceruatus in musculis, & nisi æger sanetur in vna die, transit in synocham sine putredine, quod si synocha non curetur intra quartum diem, transit in putridam; quia humores non poßunt tamdiu imputres permanere, & hoc maxime fit,

cum

cum calidi, & æstuosi sunt, & exponunt se aëri frigido.

Dices, cur fit, quod modo accendatur synocha putrida, & modo non putrida, stante stipatione? respondeo, quod caussa, cur fiat putridę, est quia corpus est magis putredini paratum; est enim refertum malis humoribus: si autem bono sanguine plenum sit, caussat vel synocham sine putredine, vel lassitudinem phlegmonosam: similiter maior, vel minor obstructio, aut putridam, aut imputrem synocham gignit. Secundo vnde fit, quod istę non habeant periodos? dico, quod id est, quia hic non adsunt caussæ periodi: hi enim finiuntur ex aceruati humoris consumptione, & rursus fiunt, cum materia reaggregatur, & accenditur: sed in hac febre materia non reaceruatur, ergo non possunt esse periodi; quia cum hi humores calefiant, aut putrescant in magnis venis, numquam deest materia illa, donec febris omnino absoluatur. Atque harum febrium tres sunt species: alia dicitur acmastica, alia paracmastica, alia omotena: acmastica est, quę semper crescit; paracmastica semper decrescit; omotena semper sibi similis est. fiunt autem hæ species vtriusque synochę ex Gal., quia parua, aut multa est copia diffluuij, id est uel plurimum exhalat cõpositione eius, quod eleuatur, & sic fit paracmastica; quia plus diffluit vaporis, quam in corpore remaneat: si vero plus remaneat, quam expurgetur, acmastica fit: si res æqualis sit, omotena: plus autem, aut minus effluit ex maiori, vel minori obstructione.

At dices, non ne hæ febres habent quattuor tempora? quæ enim semper crescit, tota videtur esse augmentum; quæ semper decrescit, tota declinatio; alia, tota status. Dicimus, quod medicus accipit denominationem a præpollenti: istæ .n. febres habent quattuor tempora, sed adeo breuia, vt sint insensibilia, & nihil indicent medico; quare hæc ab eo non curantur. Quæ enim semper decrescit, breui tria alia tempora perficit, ita vt fere sint insensibilia: similiter & aliæ. Hæc de caussis: supersunt signa, & curatio.

De signis synocharum. Cap. XXIV.

DE signis agentes, nostrũ sermonem diuidemus: prius enim de dignosticis, id est de his, quæ affectum demonstrant; mox de pro-

de prognosticis agemus. Circa dignostica, primo genus ipsum distinguendum est; verum natura ipsius synochę prius cognoscenda est, & in hoc habenda sunt signa patognomonica, quæ inseparabilia sunt. Paullus hanc artem nobis innotescere volens, dicit hanc maxime habendam esse ex pulsibus, & vrinis. Pulsus enim sunt magni, veloces, vehementes, æquales, & non mordaces, quę omnia assumpsit a Gal. 9. meth.: vrinæ vero non multum a naturalibus distabunt. quæ signa, nisi recte considerentur, erunt potius occasio errandi, quam eas cognoscendi. Quod in his pulsus sint magni, verum dicit: hoc enim fit ex copia caloris, & virtute forti, vnde erunt communes omnibus synochis. Æquales sunt, qui nec in vno ictu, neq; in diuersis inæqualitatem præferunt: quod signum, si intelligatur de inæqualitate vnius ictus, non erit omnibus synochis commune; quia vna species synochæ habet notas putredinis, vnde est inæqualitas in vno ictu; contractio enim inæqualis est. Vehementia pulsus, alia est naturalis, alia præternaturalis: naturalis proficiscitur ex viribus robustis: pręternaturalis vero fit a caussis præter naturam, non tamen sine virium robore. sunt ergo vehementes non semper, sed vbi vires sint robustæ; quę tales erunt, nisi morbus mortalis sit. Mordaces pulsus dicuntur, quia in contactu modo mitis, modo mordax calor sentitur: & ideo Gal. 1. ad Glauc. cap. de tertiana, dixit calidos pulsus. Quod in synocha non sint mordaces pulsus, non est verum: quia id signum conuenit tantum febri, quæ est sine putredine. quare non bene positum est a Paullo inter generalia signa febrium continentium, cum non competat synochę cum putredine. Vrinæ non habent notas putredinis, id cum competat tantum synochæ sine putredine, non bene positum est a Paullo; nam synochæ putridæ habent notas putredinis. hæc Paullus.

Ponamus nos signa dignostica vera; hæc enim a pulsibus, & vrinis, neq; propria sunt, neq; inseparabilia synochis, sed communia ardentibus, & tertianis. Dicamus ergo, quod genus synocharum primis diebus non potest recte cognosci, quod patet ex Gal., qui cum alias glorietur se prima die, & prima inspectione morbi speciem cognoscere, in hac febre dicit se suspicari, & vsque ad tertiam diem spectat: quia omnes notæ harum febrium sunt communes, & alijs, nam signa a pulsibus, & vrinis sunt communia omnibus alijs. Quare in hero illo Gal. dimisit missionem san-

guinis vsq; ad tertiam diem, vt bene hanc dignosceret: in seruo similiter vsq; ad tertiam diem non bene cognouit, an vere esset synocha. In 2. vero de crisibus 6. dixit, hanc febrem in prima die non posse cognosci, neq; tamen id esse medico dedecori, cum signa hæc sint communia cum alijs febribus: hanc enim prima die semper augeri videt medicus; secunda die, aut augetur adhuc, aut est in maximo vigore, & tunc incipit suspicari de synocha, non tamen id certo scit: tertia vero die, cum nullam habeat exacerbationem, cognoscit, quod est synocha; quia si non erit tertiana, neq; etiam erit quartana, nam quartana non affert talem periodum: synocha vero non affert exacerbationem, neq; periodum vsq; ad tertiam, & ita genus distinguemus. Sequitur vt distinguamus species synocharum, quod facile est, immo prima die cognosci potest, cum alias distincta sint signa putridarum ab imputridis: species vero athomæ, vt si sint omotenæ, vel acmasticæ, cognito genere facile cognoscuntur.

De signis prognosticis. Cap. XXV.

IN prognostico multa sunt medico necessaria; primo, quis erit morbi euentus; secundo, quo modo solui debeat; tertio quando finietur: ad quas quæstiones artifici coniectura procedendum est, ne in prædicendo erremus, vnde infamiam subeamus. Primo proponitur, quis sit morbi euentus: in quo debetis habere ante oculos vulgarem illam, & empiricam coniecturam, quæ nō methodo, sed experientia tantum procedit: medici enim inuenerunt, morbos aliquos letales esse; aliquos periculosos, & non mortales; aliquos mites: vt tertiana febris est benigna, & saluberrima; hemitriteus letalis est; synocha est in medio harum. quare id vobis experientia notum esse debet: cognito enim genere, quod synocha febris est, magnus statim est morbus, & magnum imminet periculum; putrida .n., & non putrida vtraque periculosa est, sed magis putrida, quia putrescit sanguis in magnis venis, vnde vires non possunt perstare, quia corpus non potest nutriri: similiter periculosa est non putrida, quia breui potest in putridam conuerti ex magna, quæ in ea contingit, obstructione. Periculū id durat ex Gal. in non putridis vsque ad quartum diem: nam in secunda, aut tertia, aut quarta videntur notæ asci-

tæ ascititiæ putredinis; fit autem, vt magis id appareat, aliquando in secunda, aliquando in tertia, aut quarta, ex diuersitate apparatus corporis, & maiori, aut minori obstructione, & sanguine magis, vel minus puro: vbi enim sit corpus magis paratum, & maior obstructio, & sanguis impurior, citius transibit in putridam. Hac vulgari coniectura dimissa, videamus artificem, quæ consistit in natura morbi, & hoc considerando eius morem, qui dicitur ex similitudine quadam ad animantia, quę modo mitia, modo sæua dicimus. Considerabimus ergo malignitatem, & benignitatem huius febris, quę omnia habent latitudinem, & cognoscuntur ex superuenientibus symptomatis, quæ post apparentia appellauit Hipp.: quorum duo sunt genera, alterum, quod pertinet ad habitum corporis; alterum, ad functiones. Quod pertinet ad habitum corporis, tale est: primo, ægri vultum contemplator, an mutatus sit a sui natura, vel non; & hoc maxime in oculis spectatur, qui si hilares sint, bonum erit signum; sin minus, malum: considerandus est etiam decubitus, si enim sanorum modo decumbat, bonum est signum; si exagitetur, morbum esse magnum, & prauum significat: consideranda & æqualitas caloris, qui cum sit vehementissimus, si æqualis erit per totum corpus, bonum erit; si inæqualis, ita vt interna vrantur, & exteriora frigeant, letale, & pessimum signum erit. Quod si functiones consideremus, vt naturales, vitales, & animales: si naturalis sit debilis, vt non possit concoqui materia morbi, letale est indicium, & necessario ęger non euadet: quando autem naturalis calor a præternaturali superatur, cognoscitur ex excrementis, vt si vrinæ aliquid concoctionis præseferant, prima, vel secunda die bonum erit signum, licet ante statum non sit sine periculo, & nihil certi polliceri possimus propter symptomata crisis: si vero vrinæ sint vehementer rubentes, aut liuidæ, aut nigræ, pessima hęc sunt signa. In facultate vitali pulsus inspiciuntur; qui si secundum naturam sunt, vt sunt vehementissimi, & æquales, morbi benignitas indicatur; si pulsus sint inęquales, & parui, & languidi, mors est expectanda. In animali operatione sensus, & motus, & agitationes considerabimus, & primo respirationem, ad quam cum concurrant omnes musculi, si pectus vsq; ad iugula adscendat, & pinnæ narium valde aperiantur, malum est signũ; significat enim maximum incendium in corde. Si vero æger be-

ne assurgat, & facile vertatur, mitis est morbus. Si vero non possit se mouere, malum est signum. Si distorqueatur aliqua pars faciei, vt labrum, vel oculus vnus; si adueniant tremores crurum, & brachiorum, & si hallucinetur, & non possit loqui, malum est signum. Si valde sitiat, & potum non expetat, pessimum est; significat .n. virtutem appetitricem mortuam esse. similiter si deliret, & sic morbi magnitudinem ex symptomatis cognoscimus. Aduertendum tamen est, quod cum hęc symptomata, vt difficultas spirandi, deliria, & huiusmodi, magna ex parte soleant in crisi euenire, ne fallatur medicus, si ea vt letalia iudicet; sunt enim distinguenda critica ab alijs, nam quæ veniunt cum signis concoctionis critica sunt, quæ vero sine concoctione, ex malignitate morbi fiunt. Hæc de prima quæstione, quæ quærit de exitu morbi: cui addendum est, quod ista omnia symptomata ad vires sunt comparanda, quę si validæ sint, non est desperandum; contra, si debiles.

Secunda quæstio est de solutione morbi, hoc est an cum crisi, an sine morbus solui debeat: in hoc primo consideratur morbi magnitudo; secundo virium robur. Morbi magnitudo; quia crisis non fit, nisi in magnis morbis, parui .n. sine crisi soluuntur: sed adiungendum est virium robur; quia & si sit morbus magnus, & natura debilis, sensim, & paullatim quæret eum vincere; si vero sit fortis, non poterit morbum ferre, & faciet crisim; si media sit inter fortem, & debilem, crisim faciet imperfectam. Sed sciendum est, qualis sit futura crisis: si enim scio crisim futuram esse in synocha, cum sit morbus magnus, & qualis futura sit, non committam errores perturbando eam, & melius remedia adhibere potero: hoc autem in primis diebus non potest sciri; sed experientia compertum est, hunc morbum solui solitum eße per sudorem, & largum sanguinis profluuium: paruum namque profluuium pessimum est signum. Solet etiam terminare per exantemata, per variolas, per morbillos, quos nostri rosellìam vocant; quod maxime in pueris contingit, vbi materia est crassa, quę cum non possit expelli, retinetur intra cutim. In primis ergo diebus non scio, quę sit futura crisis, sed cum instabit, natura ægrum exagitabit, & ostendet tibi viam, & modum solutionis morbi: vt si per fluxum sanguinis narium futura sit crisis, apparebit rubor in facie, & venæ capitis tumebunt, & fient dolores capitis, &

deliria;

deliria: si per sudores, tunicæ arteriarum humectę erunt, & pulsus molles, quia humiditas illa sudoris arterias humectat, vnde pulsus molles fiunt.

Postremum circa prognosticum erat tempus solutionis, quod necessarium est medico, vt sciat, quod tempus ægro difficillimum sit futurum, & quando morbo sit liberandus, quod maxime pendet ex cognitione status; quia crisis, aut fit in statu, aut parum ante. Quomodo tempus status præcognoscatur, alias tradidimus: erat enim methodus illa duplici modo, nam considerabamus velocitatem morbi, quia qui veloces mouentur, cito ad terminum veniunt; velocitas vero motus considerabatur in augmento symptomatum, & signis concoctionis, quæ si velociter procedit, cito erit status; contra, si tarde. Cognoscimus etiam statum ex natura morbi: experientia .n. nos docuit quosdam morbos non pertransire primum septemnarium, & synocha non transcendit septimam diem, quia cum sit morbus valde acutus, aut in septima, aut ante septimam, vt in tertia, aut quarta, aut quinta terminabitur, & hoc cognoscitur ex velocitate morbi, & symptomatis. Cum instat crisis dies, vel nox præcedens manifesta fit per symptomata; tunc .n. multa fit perturbatio, & multa symptomata vulgo timorosa contingunt, ex Hipp. qui inquit, cum futura est crisis, nox præcedens molesta. Hæc de signis: agamus de curatione.

De curatione synocharum. Cap. XXVI.

PRoponitur febris curanda, quæ vnica est, id est synocha, sed duplex est eius natura, putrida, & non putrida: quarum curatio cōmunis est, nisi quod putrida ratione putredinis aliquid addit, quæ cum sit difficilior, & ex eius cognitione aliam facile cognoscamus, ab ea incipiemus. Primum nobis proponere debemus, quæ putrida febris, vt febris est, proponit: deinde indicationes, quæ sumuntur a synocha, quatenus synocha est, coniungere. est ergo prius proponenda vniuersalis methodus putridarum, & modus continuæ putredinis addendus. Febris putrida, vt putrida, diuidebatur, quia alij erant scopia febre, alij a caussa: febris enim indicat refrigerationem; ratione caussę antecedentis mittimus sanguinem, deinde ratione obstructionis rarefacimus, incidimus, & abstergimus. Synocha, quia habet magnam, &

vehementem caliditatem, & putredinem, hæc omnia, quæ diximus, maiora exposcit: quare quo ad generalem curam synocharũ, quia vtraque plenitudine laborat, indicatione sumpta a caussa antecedente, sanguinem mittemus; caussa quoque coniuncta, vt obstructio, quæ a multitudine, crassitie, & lentore humorum fit, licet synochæ fiant plurimum a multitudine, nihil tamen obstat, quin & crassities sit, de missione sanguinis indicat. Monstratur etiam ex uacuatione putridorum excrementorum; nam uenę sectio cum sanguine omnia putrida excrementa euacuat: quod si synocha sit sine putredine, euacuat cum sanguine uapores fuliginosos, & sanguinem excalefactum. Indicatur quarto a febre, qua febris est, quę cum omnes modos refrigerationis requirat, & quę actu, & quę potentia, & quæ per accidens; missio sanguinis est ex his, quæ per accidens refrigerant: quare omnibus modis mittendus est sanguis.

Sed nunc uenit in censuram mensura mittendi sanguinis. Quod si consideremus magnam copiam, & obstructionem magnam, & febrem magnam, & multam putredinem, magna ex his missio sanguinis indicatur: quæ quantitas, cum non possit scribi, duobus modis a Gal. 11. & 9. meth. delineatur; & aliquando, inquit, usq; ad animi deliquium mittendus est sanguis, aliquando quantum uires sustinent. Sed in hac describenda, prius affectus magnitudinẽ inspicere debemus; deinde contraindicantia. Magnitudo morbi magnam quantitatem indicat, sed consulendæ sunt uires, quę aliquando nihil contraindicant, ita ut uno impetu sanguinem mittamus, quousque æger animo delinquatur. Quæ sit forma eorum, qui animo delinquunt, nosse ij possunt, qui adfuerunt his, quibus mittitur sanguis: pallet enim facies, & aliquo modo liuet ex 1. aph. 23. hebetatur etiã auditus, & uisus, & similia. Si uero uires sint mediocres, tunc mensura erit, ut non confertim usq; ad animi deliquium, sed iterato sanguis mittatur; ita ut non minuatur quantitas, sed modus tantum, ut id, quod una uice euacuabamus, iterato faciamus. Quod si uires sint imbecillæ, minuetur quantitas, aut omnino auferetur, ita ut nihil sanguinis mittatur. Dices, non ne melius esset iterare, quam uno impetu totam facere sanguinis missionem, cum uirium quantitatem ignoremus? respondet Gal., quod quo ad missionem sanguinis, idem esset partiri, & uno impetu mittere; sed inquit ipse,

expe-

experientia, & ratione inueni, quod ex missione sanguinis uno impetu facta, multa sequuntur commoda: ratione, inquit, quia in contrarium agitur corpus confertim refrigeratum, quod maxime fit ab animi deliquio; tunc enim refrigerato corpore solidæ partes contemperantur, & fere reuiuiscunt, quamuis uires deficere uideantur; cito enim robur suum rursus resumunt, cum prius a languore febris languerent. Experientia quoque id comprobatur, quia statim ab hac uacuatione sequitur sudor, alui deiectio, uomitus, & similia, quę possunt uel tollere febrem, uel minuere: quod, vt sciatis, esse vtile, & necessarium, dicit Gal. quod hoc auxilio prætermisso, in maximum discrimen ponitur æger, nisi ex magna aliqua excretione facta a natura, vel ex virium robore saluetur, vires .n. validę resistunt morbo, & symptomatibus; debiles vero facile succumbunt: rursus uirium robur caussas morbi cito deuincit, & horum exempla habetis plurima ab Hipp., & Gal. in epidem.: præter uirium robur larga sanguinis profluuia, & sudores ęgrum saluare possunt. Vbi mißus est sanguis, si sit synocha sine putredine, nullo est amplius auxilio opus; quia natura sua sponte uacuabit calorem febrilem: si vero sit synocha putrida, si qua excrementa relicta sint, expellet, uel conuertet in nutrimentum, si possibile sit. Si uero dimissa sit in principio venæ sectio, vt in seruo illo, de quo exempla ponit Gal., alia auxilia sunt adhibenda, quia non statim liberatur æger: & prima indicatio post uacuationem ratione febris est refrigeratio, quæ febris cum maxima sit, maxima etiam refrigerantia requirit, unde vtemur tribus generibus refrigerantium. Sunt etiam indicationes ratione obstructionis, & putredinis: obstructio requirit incisionem, & attenuationem; putredo requirit uacuationem citra multam calefactionem.

Remedia maxima ex parte sumi debent a uictus ratione, ut uictus non modo ad nutriendum, sed ad medendum quoque paretur. Et primo quo ad aërem: aër debet parari frigidissimus, & maxime in ęstate: de quo, ut paretur, dicemus in cap. de causone, & hoc quia cum cutis sit stipata, attrahendus est aër per os, & nares, ut cor, & reliqua uiscera refrigerentur: corpus tamen cooperiendum est, ut excernantur fuliginosa excrementa. In potu, & cibo exhibebimus actu frigida, ut succum ptissanę, & farris: quod si æger fastidiat ptissanam, dabimus panem lotum, qui fit made-

facto

facto pane in aqua bis, aut ter mutata, deinde super infunditur parum aceti, aut sacchari, & exhibetur. Datur quoq; lactuca cocta, & herba acetosa, & cucurbita, & huiusmodi. Potiones erunt mulsa diluta, hoc est unc. I. aut unc. ʃ. sacchari cum lib. III. aquę. Vtemur & acetoso simplici diluto, ita ut neq; acrimonia aceti, neq; aquę frigiditas lędat. Exhibemus etiā aquam intubi, uiolarum, acetosæ, adiecto saccharo, & parum aceti. Paramus etiam potiones ex decoctis herbarum, & ex seminibus cōmunibus in aqua coctis, quæ refrigerant, & urinas strenue mouent, quibus potionibus omnibus scopis satisfacimus: & his utemur, quousque febris ualde decrescat. Propter putrida excrementa uacuandum est non solum per sudores, & urinas, sed per aluum, & uomitum, si natura uomitum tentet: per aluum uero iniiciendo clisterem ex aqua hordei, oleo, & saccharo, & malua, & matre uiolarum, & brancha ursina, quæ coquantur in aqua, & cum melle uiolato, & oleo uiolato iniiciatur clistere, quod maxime refrigerabit. Quo ad externa remedia non possumus hic uti balneis, frictionibus, nec unctionibus. Hoc unum superest, ut ægrum decenter cooperiamus, ut quæ ex cute excerni debent, excernantur. Quod si omissa sit missio sanguinis quacunque de caussa, si occurras ægro, qui sit prope statum morbi, si adhuc status non aduenit, sanguis mittendus est: & in hoc errari potest, uel non mittendo sanguinem, uel non mittendo eius copiam. quod si vterque hic error commissus sit, adhuc uenam secabimus. Si status aduenit, confugiemus ad frigidæ potionem in multa quantitate: hæc enim sunt duo magna remedia ad cōtinentes febres; frigidę enim potio monstratur a magnitudine febris, & a caussa antecedente, & putridis excrementis: quia natura ab eius potione refocillata magnas molitur excretiones. Sed in ea aduertenda est occasio ex notis concoctionis: prius enim non est frigida exhibenda, quia nihil faceret, quamuis enim natura roborata sit, materia crassa impedit; quoniam uacuatio per eam accidentalis est, & oportet ut natura succos prius euicerit. Per succos concoctos intelligit Gal., non quod expectemus perfectam concoctionem, quia tunc est status, & instat crisis, unde natura forte impediretur ab opere suo, sed satis est, ut euidens sit concoctio, ut in augmento: nam dixit Gal., cum mediocriter concocti sunt humores 9. meth. in fine. quantitas frigidæ est vsq; ad satietatem ægri. Apparatus

uero

vero esse debet, vt aqua optima sit, quod si optima careamus, ea arte, qua diximus, coquenda est, & quam gelidissima propinanda. Sed multa contraindicare possunt, vt imbecillitas caloris viscerum, vt ventriculi, iecinoris, vel tumor aliquis in ipsis. Quod si ab eius potione aliqua de caussa impediamur, alia via ægrum vacuare queremus, & vtemur refrigerantibus mitioribus, vacuabimus per fortiora enemata, & exhibebimus lenientia, vt cassiam, mannam, & tamarindos, & similia. Similiter si puer sit, non mittemus sanguinem, nec exhibebimus frigidam, quia satis eorum substantia per se diffluit. Refrigerabimus etiã exhibendo aërem, cibos, & potiones frigidas. hæc est curatio communis synocharum.

Videamus modo, vtrum competat missio sanguinis vsq; ad animi deliquium. Auerroës inuehitur contra Gal., & Hipp., quasi periculosa præcepta doceant, cum dicunt sanguinem vsq; ad animi deliquium mittendum esse, & ratiocinatur sic. Si medicus est minister naturæ, debet eam imitari, quatenus licet, sed numquam vidistis naturam ex immodica euacuatione ægrum duxisse ad syncopim; verum id tantum fit in mala crisi, vt quę ad mortem ducit, vel est cum multa afflictatione, & cum magno periculo, & hoc accidit, quia natura agit ex proritatione morbi, & non ex proprijs legibus, nec exspectat, vt humores sint parati, sed ante tempus agit: sic ratiocinatio est, quod natura numquam ducit ægrum ad syncopim, si recte agat; ergo nec medicus id agere debet.

Aliter inquit Auerr., nihil aliud intendis, cum vacuas, quã tollere multitudinem, ex qua æger laborat; at tanta debet esse euacuatio vtilis, quanta est superabundantia: sed quæ est vsq; ad animi deliquium immoderata est, quia aufert, plusquam conueniat, & quod erat corpori vtile, quia aliter non concidisset ęger; ergo.

Tertia ratiocinatio est. quod ægrum ducit ad syncopim, eum valde debilitat; vacuatio vsq; ad animi deliquium talis est; ergo. Quid ergo accidet? certe non potuerunt vniuersæ caussę morbi euacuari, ergo reliquiæ remanserunt: quo modo has natura superabit, vel corriget, cum vires debiles sint? melius ergo erit infra subsistere. Hæc Auerr.

Gal. contra dicit, se & ratione, & experiẽtia vidisse huiusmodi va-

di vacuationem commodissimam esse, & ægrum sanare, quod idē sentit Arist. & Hipp.: sed sciendum est, quod ex magna vacuatione solent varij affectus euenire, qui arguunt virium debilitatem, & differunt ratione maioris, & minoris, qui solent diuersa nomina habere, quamuis vnum tantum genus sit, vt quemdam vocet Gal. eclipsim, id est exsolutionem, quæ potest intelligi, vt aliquando vidistis prægnantes mulieres in templis animo deficere ex prauis edulijs, quę mordicant os ventris, & tristem faciunt sensum, vnde pallet vultus, & oculi caligine quadam capiuntur, & is affectus in euacuationibus quoque euenire solet. Est affectus alius paullo grauior, quæ dicitur lipothymia, per quam vocem significatur gradus debilitatis leuis, si ad syncopim comparetur, & fortis, si ad eclypsim, quæ sensum, & motum ægris aufert, vt nec loqui, nec consistere possint: qui etiam solet euenire phlobotomatis, & adstantibus, dum magnum aliquid medici moliuntur, vt cum os ex craneo extrahunt, & similia: & in hoc nō vires, sed animi tantum vigor deficit. Syncopis est grauior adhuc affectus, & morti proximus: quia non amplius restituuntur, & corpus eorum friget, & sudat, & pulsus fiunt parui, & formicantes, vt solent perire, qui dysenteria laborant: quę syncopis terret medicum, vt multa vi quærat auxiliari, relictis omnibus alijs affectibus. hanc faciunt larga sanguinis effluuia, & largę euacuationes tam ab arte, quam a natura factæ. In his tamen omnibus consideratur a Gal. latitudo, vbi recitat historiā eorum, qui largas fecerunt sanguinis missiones in lib. de venę sectione, & 9. meth.

Est etiam hic animaduertendum, quod alia de caussa fit syncope, alia eclipsis, alia lipothymia. Syncope enim fit ex superflua vacuatione: eclipsis vero, siue lipothymia non solum ex magna, sed ex confertim facta euacuatione fiunt: multum .n. refert, quo modo fiat missio sanguinis; nam si larga copia sanguinis confertim effluat, lipothymia fit, quæ non fieret, si eadem quantitas guttatim mitteretur: ita enim non perterreretur ab hac natura; similiter si partireris phlobotomiam, non sequeretur syncope. His positis ad Auerr. reuertimur, qui in primis hallucinatur de nomine, quia neq; Gal. neq; Hipp. vmquam dixit, quod æger ducendus sit ad syncopim; sciebant enim hanc esse affectum morti proximum: sed ad lipothymiam, & animi defectum, vt pote le-

uiorem,

uiorem, & inter animi deliquia non ad extremum ducendus est ęger, sed in principio debet consistere ex Gal. 9. meth., vbi inquit vsq; ad animi deliquium, & alibi, quousque vires ferant, quod non contrariatur, quia vires tolerant uacuationem usq; ad animi deliquium. Cognoscimus autem, quousque vacuare debeamus, ex mutatione pulsus, ut inquit Gal. in lib. de venæ sectione: cum enim pulsus mutantur, non expectandum est animi deliquium, nisi prius aduenerit; quia cum pulsus mutantur, ita vt magni fiant parui, & ęquales fiant inęquales, vt una pulsatio magna sit, alia parua, & vehementes languidi, signum est, quod virtus uitalis debilitatur: quare tunc vena supprimenda, & ita in magnis uacuationibus, ne erremus, semper pulsus coniectandus est, & hæc est mens Gal., ut semper uires obseruemus. Cum dicit Auerr. natura imitanda est; reflecte argumentum, quod aliquando natura nō est imitanda, quia in crisi larga facit profluuia, quæ nos facere non debemus, quia natura commode operatur, & ægri tunc leuantur: de quo habemus historiam Eudemi Philosophi, qui in crisi semper se leuari a febre asserebat. Nos ergo non semper in nostris uacuationibus fugere possumus animi deliquia, quia minus commode agimus, quam natura. Ad secundum, cum dicebat Auerr., quod est superflua, negatur: monstrat, quia fit propter superfluitatem, negatur adhuc, quia uacuamus & propter putredinem. Præterea esto, quod uacuaremus propter multudinem, non tamen ualet, uacuatio duxit ægrum ad lipothymiā, ergo fuit superflua: similiter secuta est lipothymia, ergo uires debilitatę sunt; quia uidemus post eam sequi deiectiones, licet lipothymia sit perterrefactio uirium. Ad tertium, cum dicit, perstabunt reliquiæ morbi: respondeo, quod non est uerum, bene uerum est, ut dixit Gal., quod nisi quid urgeat, melius est partiri uacuationes, & maxime in exercitatis. His habitis, ad causum transeamus.

De causo. Cap. XXVII.

CVM ardens febris maxime affinis sit synochæ, siue spectemus vehementiam, siue magnitudinem, siue periculū morbi, cum etiam habeant affinitatem in remedijs; ideo de ea nunc agendum est. Prius tamen est soluenda dubitatio, quæ forte uobis orta est, dum legeretis Gal., num causus unam tantum spe-

ciem febris significet, an plura genera, quia Gal. accommodat hanc uocem synechis pluribus ex 9. meth. & 2. de crisi. 6., vbi eodem cap. hoc nomen tertianæ continuæ attribuit: dicit .n., quod unaquęque intermittens habet correspondentem unam continuā, unde tertiana intermittens habet sibi correspondentem ardentem febrem, quæ est tertiana continua: præterea solemus dicere, quod ex erisipelate uentriculi fit febris ardens. Pro solutione dicendū est, quæ sit natura causi: & accipimus definitionem Gal. 4. acutor., quam repetit 3. epid. 2. 34. & 46. Cuius prima condicio est, ut sit febris æstuosissima: secunda, ut habeat sitim uehementissimam, quę per frigidæ potionem non possit extingui, quā Auicenn. sitim clamosam uocat: & omnes febres, quæ habebant has condiciones, poterunt dici ardentes. Quod si hoc nomen largius accipiatur, aliæ febres multum calidę, sed non tantam sitim habentes, ardentes dici poterunt; strictius uero minime: licet .n. causus sit tertiana continua, non tamen omnis tertiana continua est causus, quia aliqua tertiana continua non tantam habet sitim, & habet aliquam intermissionem ardoris. Cum scripsit Gal., quod tertiana exquisita intermittens habet correspondentem tertianam continuam, uerum dixit, sed illa non est causus. Hæc est causi definitio.

Species eius duæ sunt: alius .n. est a bile, alius a pituita salsa; quę differentia accepta est a materia, a qua gignitur: salsa pituita facit causum, sed mitiorem, & quasi spurium, & nō simpliciter causum. Alia est differentia ex loco putredinis, quia neq; bilis, neq; salsa pituita, facit causum, nisi in loco determinato putrescant, & in hoc differt a tertiana continua, cui satis est, ut putrescat bilis in uenis; in causo uero putrescit in aliquo uiscerum, quæ habeant tantam affinitatem cum uentriculo, ut possint maximam sitim inducere. In primis ergo maximus causus erit, cum bilis putrescet in uenis uentriculi, & maxime oris eius. Secundo loco est ieiunum intestinum, in cuius uenis si putrescat bilis, facit maximum causum, quia facillime communicatur calor uentriculo. Post hunc sunt lactes, & mesenterium, quod facillime uentriculo calorem communicat. Post hunc iecur, & præcipue concaua ipsius pars, quæ per cauam uenam uentriculo facile ardorem communicat. Vltimo loco est pulmo, qui raro a bile, facile a salsa pituita corripitur: unde causus in affectu pul-

monis

monis plerumque est a pituita salsa: pulmo enim habet communicantiam cum uentriculo per asperam arteriam. habemus ergo caussas ardentis febris. Quo modo generetur pituita salsa, habetis iam alibi: fit .n. uel ex putredine, uel ex admistione cum serositate. Sed aduertendum est, cum dicimus, quod necesse est, ut causus resideat in aliquo uiscerum, quod id fiet, uel si bilis ibi putrescat, uel tumor præter naturam ibi generetur: sed id a tumore pituitoso non dicitur causus, sed lipyria, uel typhodes; a bile uero dicetur simpliciter causus.

Caussa antecedens causi est copia bilis in uenis, aut in carne, uel serosæ humiditatis, uel pituitæ salsæ: caussę, a quibus aceruantur isti humores, notæ sunt; fit enim bilis ab immodico calore: unde omnia, quæ calefaciunt, siue extrinsecus ad mota, siue intrinsecus aßumpta poßunt bilem aceruare, ut si quis multum exercitatus sit, uel potiones calidas biberit, ut uinum cum aqua salsa admixtum. Idem euenit his, qui salsis edulijs usi sunt: & ex his omnibus caussis fit materia ardentis febris; quæ si in uisceribus putrescat, facit causonem; si in alijs partibus, tertianam continuam. Hipp.4. acutor. dicit, quod uenę exsiccatæ attrahunt acres, & biliosos humores. Hic auctor ponit unam tantum caußam antecedentem, aërem .s. æstuosum, ex quo exsiccantur uenæ, & sanguis, & ichor qui est in carne, ab ambiente exustus, cum factus sit salsus, & uenæ ex aliqua caussa exsiccatæ, & inanitæ, ab his attrahitur, vnde generatur causus. Circa id dictum Hipp. dubitat Gal., quo modo uenæ attrahant a carne humiditates, cum vnumquodque attrahat id, quod sibi simile est, & utile, quo modo ergo inutile attrahunt. Contrarium etiam huic scripsit Hipp.6. epid.4. cap.23., vbi dixit, quod carnes viduatæ sanguine non attrahunt a venis, quia ille sanguis est nutritioni ineptus. Respondeo, quod uerum est vnumquodque attrahere, quod sibi utile est; non tamen id semper neceßarium, sed aliquãdo ex necessitate attrahunt multa excremẽta, quæ cum utili sunt admixta. Sciendum est .n., quod attractio naturalis duplex est, alia quæ fit per uillos, & hæc per motum est, ut in uasis; alia quæ fit ex proprietate naturę, vt medicamenta purgantia attrahunt humores: quæ attractio non fit per motum, neque per uillos, vt faciunt plantæ, & carnes: sed illa, quæ fit per uillos, non secernit utile ab inutili; illa uero, quæ fit per proprietatem natu-

ræ, secernit utile ab inutili: & ideo carnes non attrahunt a uenis serosas humiditates, quia non sunt sibi familiares; venę vero attrahunt a carne acres humiditates, quia non secernunt vtile ab inutili. Et ideo qui sunt calido ventriculo, frigidas habent carnes; quia caro non attrahit sanguinem, cum sit corruptus, & sibi non familiaris. Hęc de caussis: nunc de signis agendum.

De signis dignosticis. Cap. XXIIX.

Istud caput habet duas partes, dignosticen, & prognosticen. Dignostice secundum Paullum primum est, quod febris est vehemens, & sitis maxima, & lingua arida, aspera, & nigra: pręterea adest morsus ventris, deiectiones pallidæ, & vigiliæ, & deliria. Sed Paullus negligenter processit, quia non distinxit signa necessaria generis a signis specierum causi, multa .n. dixit, quæ non semper, & necessario, genus ipsum consequuntur: sed necessaria sunt signa, quæ perpetuo causum sequuntur, & sunt ea, quæ eius definitionem ingrediuntur, vt sitis maxima, & febris vehemens; ad sitim enim sequitur siccitas linguæ, ad siccitatem asperitas, ad asperitatem nigrities: reliqua signa non sunt propria causi, sed insequuntur etiam alias febres. Ponamus modo signa specierum, ordientes primo a natura loci, vt sciamus, cui parti sit prospiciendum: & primum a loco putredinis incipiamus. Cum causus sedem habet in ventriculo, & ieiuno intestino, quorum eadem sunt signa, in his sunt primo signa generis, sed sitis maior est, ardor vero minor, quia sitis est symptoma ventris: secunda ratio signorum est æstus, & morsus ventris; æstus tactu sentitur; morsus uero ibi fit ex confluentia humorum ad illam partem, qui non solum exsiccant, & calefaciunt, sed mordent internam illius tunicam, & præcipue os ipsius. Adest præterea maxima nausea ob naturam humoris putrescentis, qui lædit os ventriculi, vt bilem aliquando vomant. Adest inappetentia, profluit aluus ex confluxu bilis, qui prouocat ad excretionem, & quia cibus facile corrumpitur in ventriculo, ad expulsionem excitatur. Hæc de affectu uentriculi.

Cum causus est in iocinore, vel lactibus, sedes affecta monstratur ex calore, siti, & inappetentia, sed ista non adeo magna sunt; vt in affectu ventriculi. Adsunt deiectiones liquidę, sed magis

corruptę,

corruptæ, & biliosiores, quam cum afficitur ventriculus. Si causus sit in pulmone, adest sitis, sed longe diuersa ab ea, quam inferunt aliç partes ex Gal. 2. artis med. 64. Distinctio est, quia qui ex pulmone sitiunt, non multum frigidam aquam desiderant; & ego id experientia uidi in religioso quodam. Hi enim magis refrigerantur ex attractione aëris frigidi, quam ex potione aquæ frigidæ: post enim eius potionem adhuc non sedatur sitis. Cetera signa pulmonis sunt ex ipsius operatione, vitiatur enim respiratio, & fit magna, & crebra, sed pręcipue uitiatur exspiratio, quæ fit cum sonitu: quia natura magnam molitur fuliginosorum vaporum excretionem. In causo pulmonis ueniunt etiam ea signa, quæ Paullus communia posuit, vt deliria: quia læso pulmone afficitur cerebrum, similiter vigiliæ, quæ fiunt ex uaporibus ad caput tendentibus. Sed quia in causo sedes afficitur, aut ab humore, aut a tumore præter naturam, distinguendum est etiam in hoc, non quod curatio varietur, sed quia facit ad præcognitionem: quę distinctio difficilis est, quia vterque affectus habet sæua accidentia, maiora tamen fiunt, si tumor adsit; habet enim tunc naturam synochæ, quia fiunt fere sensibiles mansiones: sed egregium signum est, quod posuit Hipp. 4. aph. 48., vbi dicit, quod externa frigent, interna uero ardent, quod accidit in tumore, ex quo fit lipyria febris. Distinguitur causus nothus a legitimo, quia in notho sitis non est par calori, & iste euenit aliquando in hieme, & in æstate declinante; alius vero in iuuentute, & in æstate maxime: quę distinctio temporum habetur a Gal. 1. epid. 2. cap. 15. hæc de signis dignosticis.

De signis prognosticis. Cap. XXIX.

NVnc ad signa prognostica accedamus, & videamus, quo modo futurus sit morbi euentus. Causone correpti, uel periclitantur ex symptomatibus statim, uel in tabem incidunt. quo ad primam cognitionem, in primis naturam, magnitudinem, & morem affectus considerabimus. Quo ad naturam morbus periculosus est, & etiam est periculosior, si in uiscere sit erisipelas. Quo ad magnitudinem, quo mitior, minus affert periculi. Quo ad morem, qui morituri sunt, faciem habent tornatilem, oculos cauos, & nares acutas: hęc omnia prauum morem significant.

Consi-

Considerabimus excrementa, vrinæ in magnis causis nigræ esse solent: quia humores in uenis adusti sunt. Deiectiones quamuis semper sint pallidæ, & liquidę; in malignis tamen causis sunt plenę colliquationis, & hoc cum non solum humores ipsi colliquantur, sed caro, & adeps, ita vt excrementa pinguia, & oleaginea appareant, & longissime feteant, vt referant fetorem cadauerum, quod fit ex maxima putredine, quæ inuasit humores, carnes, & fere medullas ossium. Aliud signum ex excrementis est stilla sanguinis ex naribus, & præsertim merax, & quasi nigra: significat .n. male affectas eße venas, & iam totum sanguinem eße corruptum, & male habitum: significat & uirium imbecillitatem, quia natura per eam uiam tentat excretionem, nec potest eam perficere. Prauum quoque signum est, cum sitis minuitur, & siccitas, & asperitas linguæ persistit. Ego tamen uidi in affectu pulmonis id factum eße in aliquibus, & tamen euasisse: quod non accidet in affectu uentriculi, aut iocinoris. Similiter cum non sentiunt ardorem, licet non delirent, & asperitas, & siccitas linguæ adhuc durat: significat .n. defectum uirtutis sensitiuę. Similiter si fiat rigor, & non cesset febris ex Hipp. 4. aph. 46. si enim fiat iste motus, & non sit criticus, vel male criticus, naturam debilem testatur, & quod non poteris amplius crisim facere ex Hipp. in lib. de tumoribus. habetis ergo signa ad mortem prędicendam. Sed numquid si non letalis sit, permutabitur ad marasmum: hanc considerationem sibi medicus parabit cognita natura corporis, si sit apta marasmo, nec ne, vt si æger sit carnosus, & succo plenus, non est id periculi; contra si sit corpus calidum, & siccum, & gracile, & maxime in æstate, similiter qui male curatus est, ut medicus negauerit ei potum. Hæc de prædictione, vbi vidimus, quo modo quis exitum morbi pręcognoscat in causone. Reliquæ sunt duæ quæstiones: prima, qua ratione soluatur: secunda quando soluetur. Prima cognitio est ex morbi natura, vbi .n. cognouimus causum eße, & qualis sit, monstratur statim, qua uia solui poßit: experientia .n. compertum est, causum ob caliditatem, quæ fertur ad caput, & tenuitatem humorum, qui facile per cutim euacuantur, amare sudores, & sanguinis profluuium ex naribus. hos duos modos posuit Hipp. 4. acutor., adiecit & absceßus. Quo loco animaduertit Gal. Hipp. confundere duplicem causum, & nothum, & legitimum, cum

absces-

abſceſſus fiant a cauſſis frigidis: quare id non conuenit exquiſito cauſo, niſi raro, ſed potius ſpurio. Poteſt, & per vomitum, & per deiectiones ſolui: cum enim rigent, ſoluitur morbus, aut per ſudorem, aut per vomitum, aut per deiectiones, & quando prope eſt criſis, patet per ſymptomata, qua uia ſit futura morbi ſolutio.

Secunda quæſtio erat de tempore ſolutionis cauſi: hic rurſus ex rebus præter naturam, vt ex morbo, cauſſis, & ſymptomatibus id præcognoſcere debemus. Conſideramus prius in morbo ſpeciem, magnitudinem, & motum: ſpeciem, quia exquiſitus cauſus non tranſcendit ſeptimam; ſi non ſit exquiſitus ad ſecundam, & tertiam hebdomadam peruenire poteſt. Si magnitudinem conſideremus, quatenus eſt exquiſitus cauſus, quo maior, eo minus diſtat a ſtatu: ſimiliter & nothus. Ex motu morbi, ſi morbus ſit velox, quod cognoſcitur ex ſymptomatibus, & ſignis concoctionis in primis diebus, ſtatim coniecturam faciemus de diſtantia ſtatus, & die ſolutionis: ſi .n. non ſit multum velox, in nona aliquando ſoluitur; ſi ſit velociſſimus, cito finietur, & in diebus imparibus, vt in ſecunda, & ſimilibus. Natura quoque ægri plurimum facit ad hanc prǫcognitionem, & non tantũ, quia indicat mihi, quis humor putreſcat, ſed quia, ſi uires robuſtæ ſint, celerius terminabitur; contra ſi debiles, tardius iudicabitur. Idem de ætate, & temperamento dicendum eſt. Demum contemplamur externa, vt aërem ambientem, & tempus anni, quia ǫſtas facit ad celeritatem ſolutionis; hiems vero ad prolongationem. Tranſeamus ad curationem.

De curatione cauſi. Cap. XXX.

CVraturi ardentem febrem, indicationes ſumimus a morbo, & a cauſſis, hoc eſt a febre, & a putredine, & non ſolum ad morbum, ſed & ad magnitudinem eius reſpicimus. Rurſus ex parte cauſſarum, cum indicatio nobis offeratur a cauſſa proxima, & antecedente: a cauſſa proxima indicatur de euacuatione: ab antecedente duplex eſt indicatio, vt extinguatur, & temperetur, & vt euacuetur; & hæ duǫ indicationes non parum inter ſe pugnant: quia extinctio fit frigidis actu, & potentia, quod repugnat excretioni, quæ per calida fit, & hoc cum bilem extin-

guere volumus: quare tunc solum tutissime calor extingui potest, cum occasio præbetur euacuãdi. vltimo indicatio sumitur a symptomatibus. Cum ergo hęc nobis indicent, febris, caussa proxima, antecedens, & symptomata: curatio incipienda est a caußa antecedente, quæ primo summoueri debet; caussa .n. sublata, euacuabitur quod euacuandum est., & refrigerabitur corpus, & inde natura reliqua excrementa facilius concoquet, & expellet. Vacuatio hæc dupliciter fit, & per venæ sectionem, & per pharmacum: sed quæstio est, vtrum in causone competat missio sanguinis. Si consulamus antiquos, mirum est, cur Hipp. non fecerit mentionem de eo, nisi forte id velit in tex. 20. 4. acutor., nam cum statim de causone locutus est, dicit quod in omnibus acutis mittendus est sanguis, ergo & in causone, non tamen id expresse dixit. Si consulamus recentiores gręcos, Paullus, & Aëtius nihil de hoc locuti sunt. Auicenn. prohibuit potius, quam concederet, & dubius fuit, vt etiam apparet prima 4. cap. de venæ sectione, vbi dixit vetari sanguinis missionem, ne corpus inflammetur. Si consulamus rationem, ea videtur obstare, quia bili conuenit purgatio, non venæ sectio. Si Gal. consulamus in lib. de venæ sectionæ, ictericis venam secari prohibuit. Contra si quis ratiocinetur, sanguinis missionem conuenire inueniet, neq; id abhorrere a Gal., qui in phrenitide, qui est morbus biliosissimus, sanguinem misit. Si methodo procedamus, cum morbus sit magnus, & periculosus, necesse est vt auxilia sint maxima, & citissima. Et ideo missio sanguinis necessario conuenit in causone, quia citissimum est remedium, tutissimum, & certissimum: præsertim cum in principio non adsit tempus præparandi corpus, & in purgatione aliquando errores contingant: quare licet magis conueniat purgatio, facimus tamen quod poßumus. Nec obstat, quod dicit Auic., quia non tantum sanguis vacuatur, sed alij humores calidissimi, vnde sanguis potius refrigeratur, quam efferuescat. Quod dicitur de ictericis, non est par ratio, quia si simplex morbus sit, non exigit venæ sectionem: quia non est magnus, nec febris adest magna, vnde suspicemur humorum ebullitionem, licet aliquando & in regio morbo conueniat, vt diximus alias, non ex morbo regio, sed ex complicatione alterius affectus: quare uenam omnino secandam esse asserimus. Sed quoniam multa sunt aliquando contraindicantia, aduertendum est in causone: in synocha

nocha enim nulla erant contraindicantia, & aderant omnia, quæ requiruntur ad venæ sectionem. In causone vero est contraindicatio ex parte naturæ corporis, & tempore anni, licet omnes indicationes, vt diximus, ad vnam reducantur, vt ad uires: quæ aliquando minutionem sanguinis indicant; aliquando ablationem omnino; aliquando eam non exigunt: vnde in hoc morbo ratione contraindicantium considerandum est: vena secanda est: vena brachiorum.

Huic succedet alia intentio, euacuatio per purgationem: quã multa contraindicant, & ideo ita purgabimus, ut morbi magnitudinem semper timeamus, & purgationes illas eligemus, quas innuit Auic., vt clismata, & potiones: potiones erunt, quæ vim mollientium non transcendant, videlicet syrupum rosatum solutiuum, qui fit ex infusione rosarum; habet .n. vim bilis arcendæ, non tamen acrem, vt cieat tantum bilem, quæ est parata in primis venis, cuius accipiemus vnc. II. vel III., cassiæ fistulę adijciemus drach. VI. & addemus decoctum, quo dissoluantur, quod eorum vim adaugeat, & refrigeret, vt decoctum prunorum damascenorum dulcium, & carnosorum numero X. Addimus violas recentes, vel siccas, & hordei non nihil, ex quibus fiat decoctum ad dissoluendum medicamentum. Addimus quoque, si lubet, in decocto tamarindorum drach. II. vel III. Quod si æger cassiam fastidiat, accipiemus mannæ vnc. I.: si mannam fastidiat, dabimus confectionem ex prunis cum vnc. ſ. & loco syrupi rosati dabimus syrupum uiolatum, qui facit ad somnum cõciliandum. Clismata inijciemus, tum inter initia, tum qualibet die, arripiendo occasionem: quæ erunt, vt diximus in cap. de synocha, acrimoniæ expertia, ut accipiant solum oleum cum aqua hordei, & decocto maluæ, & matris violarum, & cucurbitæ, nec adsint sales, aut saccharum, sed parum mellis, & tepidissima inijciantur, ne calorem augeant. Succedunt alij scopi, vbi materia sit imminuta, qui respiciunt febrem, & caußam proximam, & consistunt maiori ex parte in victus ratione; in minori vero parte, in medicamentis.

Agamus primo de ratione uictus, & primo de aëre, qui in hoc casu potest maxime alterare, & refrigerare, cum affectus sit circa viscera, qui si frigidus sit, sponte sua dimittatur; si calidus, vt in æstate, refrigeretur quantum potest: Quare in primis cubicu-

lum frigidum eligemus, ita vt prope terram sit: deinde ex accidenti refrigerabimus, prohibentes calefactionem; vt si multitudinem hominum arceamus, ne ingrediatur, & innouemus aërem incutientes cum linteo magno, qui si madefactus sit frigida aqua, magis adhuc refrigerabit. Per se refrigeramus, sternentes pauimentum, & parietes germinibus vim refrigerandi habentibus, vt folijs vitis, arundinum, salicis, populi, castaneę, & similium, quę aßumpta mane antequam a sole tangantur, aßeruataq; in loco frigido sæpius in die mutari debent. Sunt pręterea flores, vt rosarum, violarum, & nimpheæ: sunt fructus, vt cucurbitæ, cucumerum, & similium. Pręcipue autem fiet irroratio frigidissimæ aquę, & rosaceæ, ex qua maxima fiet refrigeratio: irrorabimus etiam cum aceto ros. aqua diluto. Euripes quoque, & fontes apparabimus, non solum vt refrigerent, sed vt somnū concilient. Ipsi vero ægro ad attractionem aëris frigidi, parabimus spongias aceto, & aqua frigida madefactas, quę naribus admoueantur: & hoc maxime, quando sedes causi erit in pulmone. hæc de aëre.

Sequitur, vt de cibo, & potu agamus, quæ sunt nobis materiæ medicamentorum. In primis ergo qualitatem horum eligemus, quæ sumitur a natura morbi, & caussarum: & quia morbus est calidissimus, & siccissimus, similiter, & caussa, vt bilis, idcirco egemus cibis, & potionibus frigidissimis, & humidissimis. Et quod dicit Gal. de tertiana continua, dicemus nos de ardente: quia differunt tantum sede putredinis ex Gal. 1. epid. lib. 2. tex. 19. Particularis materia erit succus ptissanæ in genere eduliorum, quæ refrigerant, & humectant: & aliquando loco ipsius dabimus far apparatum, hoc est coctum ex aqua, vel succo expressū. & hoc quando venter fluit nimium, nam farris substantia densior est, & glutinosior, nec adeo cito descendit, quod timemus in ptissana, nam facilius descendit: farre quoq; potius vtimur in corporibus calidioribus, & biliosis; quia ex crassitie ipsius non facile dissipatur, & melius calori resistit. Vtimur loco horum, & pane loto, vel ex aqua tantum, uel adiecto pauxillo aceti diluti: nam ab eo viscera offenduntur, & maxime in corporibus biliosis. In genere olerum vtemur lactuca, intubo satiua, oxalide, & blito, & cucurbita, quæ vim habent refrigerandi, & coquuntur, vt mos est. Inter poma vtemur arancijs dulcibus, & quæ nonnihil austeritatis habent; similiter cerasa austera: neq;

probi-

probibemus pepones, si maturi sint, nec cucumeres, quæ omnia refrigerant, & habent uim potus, & edulij: pruna quoque ex vsu sunt, præcipue quæ sint aliquantulum austera. hæc de cibis. Potus erit succus cucumeris, quem potum Arabes multi faciunt: ex quibus dupliciter succus extrahi potest, uel immißo cucumere illinito creta in furno, donec flacescat, & postea expreßo, uel ex crudo succus exprimi potest. Sunt & aliæ potiones, de quibus meminit Hipp., cum dixit, neq; mulsa sola, neq; aqua sola, sed mulsa aquosa. Nam cum dicimus mulsam, intelligimus coctam plenæ coctionis, quam hodie iuleb dicimus, sed antiqui vtebantur melle, nos uero sacchar o vtimur: dicit Gal., quod mulsa sola inconuenit, quia bilescit, cuius vsus describitur ab eo ibi in com. & 10. meth. ad finem. Aqua sola inconuenit, quia nihil nutrit, nos vero aliquando potu nutrimur: præterea moratur in pręcordijs, & corrumpitur; quia cum obuiat biliosis excrementis, quæ corrupta sint, corrumpitur & ipsa. Non sit ergo vsus mulsę solæ, & aquę solę, sed mulsæ dilutæ, & aquosæ, vt gustus indicet nihil apparere dulcoris. Quod autem ibi dicit Gal. de coctione mulsæ, animaduertite, quod ea uera sunt de mulsa ex melle confecta, quæ numquam cruda exhiberi potest: ex sacchar o vero potest statim cruda exhiberi, quia non habet flatuositatem, vt ex melle. Si mulsa presto non sit, accipiatis in libra una aquæ vnc. I. ſ. uel II. sacchari: si non adest saccharum, accipiatis iuleb simplex, & admisceatis aqua plurima. Vtilis etiam est aqua cum sacchar o, quia magis humectat, sola enim non humectat, vt dicit Gal. 4. aph. Quod si aliquod symptoma adiungatur febri, tunc una cum aqua, loco iuleb simplicis, adijciemus iuleb uiolatum ad conciliandum somnum, & iuleb rosatum ad sistendam ventrem. Propinamus etiam, quando sitim solum sedare uolumus, aquam hordei tenuiorem; craßiorem uero, vbi & aliquid nutrire uolumus: propinamus aliquando aquas extillatas, vt acetosæ, portulacę, limaciarum, & hepaticę herbæ, lichenem græci uocant, quę refrigerant, & humectant.

Quantitas alimenti esse debet secundum Gal. & Hipp., ut aliquando vsq; ad statum intra septimam diem, sola potione regatur æger. Nostra ętate non reperiuntur corpora, quæ tantam inediam ferant: quia ultra id quod magis comedere solent, corpora, quę hac febre biliosa prehenduntur, sunt plerumque gracilia, quæ

absti-

abstinentiam non possunt tolerare: & si qua sunt, quæ hanc ferre possint, propter tamen ingluuiem hominum raræ sunt febres exquisitæ, sicut raræ sunt tertianæ exquisitę. quare per duos, vel tres dies cremore ptissanæ utendum est: postea per duos, aut tres, & vsque ad statum potionibus solis vti poterimus, vt aqua hordei crassiore. Quantitas ptissanę erit vnc. VIII. Si panem exhibeatis, sint vnc. II. Potionum nulla mensura est, dantur enim in multa quantitate. Tempus exhibendi cibi erit, quando æger melius se habebit, vt supra dictum est. De modo exhibendi, an confertim, an bipartito cibandum sit, raro euenit in his febribus, vt duabus vicibus vna die cibum exhibeamus; quia occasio præceps est. Itaque vna uice ptissanam propinabimus, reliquis vicibus aquam hordei, vel limaciarum: quæ omnia danda sunt sub fontana qualitate, id est sub leui, uel sub exacta frigiditate. Reliqua, quæ ad victum attinent, sunt somnus, & vigilia. Dormiat æger in inclinatione solum febris, & nõ in alijs temporibus: quod si tunc etiam somnum capere non possit, eum conciliabimus cum his remedijs, quæ dicemus infra. Motus omnis prorsus vitandus est, tum corporis, tum animi. Iaceat in stragulis ex bombice, vel lana, uel ex corijs, quos cordouanos dicunt. hæc de ratione victus.

Succedunt medicamenta, quorum alia extrinsecus, alia intrinsecus admouentur, & primo a potionibus quærimus, vt refrigerent febrem, & euacuent excrementa. Primum ergo inijciemus quotidie clister, in quo ad mixta sit cassia, & mel violatum, vt diximus. Potiones, & syrupi erunt ijdem, quos supra diximus, ex succis, vel ex aquis, uel ex decoctionibus, quæ vrinas ducant, & aluum molliant, & fiat ex his syrupus, qui detur mane ante cibum per tres horas. Ex stillatitijs, ut aquarum nimpheæ, acetosæ, intubi an. vnc. IIII. acetosi simplicis vnc. I. ſ. vel iuleb uiolati vnc. I. ſ. ita ut mane vnam accipiat, vespere aliam. Ex succis accipiemus succum borraginis, acetosæ, endiuiæ, clarificetur, & ministro detur, ut faciat syrupum longum cum sacchara, & aceto. Et quia syrupus iste est ingratus, faciemus ipsum ex decoctis, ut ex decocto seminum cucumeris, cucurbitæ, peponum; ex folijs acetosæ, intubi satiui, lactucæ, & borraginis; & adijciemus, si volumus, ut deijciat uentrem, pruna numero 10., demus ministro, ut addat sacchari unc. II. aceti unc. I., de quo mane assumatur. hęc de potionibus.

Extrin-

Extrinsecus admouentur tria genere remedia: primum irrigationes: secundum vnctiones: tertium cataplasmata. Irrigationes appellãt hodie epitemata, quorum materia est diuersa: vel enim fiunt ex succis; uel ex aquis. Ex aquis, vt rec. aquarum intubi satiui, nimpheæ, acetosæ herbæ, rosarum, an. vnc. IIII. adiungantur aceti rosati vnc. II. specierum triasandalorũ drach. I.ß. uel drach. II. & sic perfundatur corpus. Ex succis accipite succos, donec fæculenta pars subsideat, & deinde his vtemini perfundentes corpus, & maxime partem illam, quę maxime æstuat, quam supra docuimus. Et præcipue est aduertendum, vt parti affectę admoueantur: quia dicit Gal. de his, quæ indifferenter adhibebantur, quod maximum sequebatur incommodũ, quoniam lædebatur illis respiratio: precipue tamen cordi sunt adhibenda. Modus applicandi est, vt accipiatur linteum, & infundatur, & admoueatur parti. Maximum iuuamentum sentiunt ægri, si extremæ partes refrigerentur, ut plantæ pedum, & manus: nec timendum est, ut excrementa diffluent; quia pauca sunt, quæ ex illis partibus diffluant: & ideo maius est iuuamentum ex refrigeratione, quam nocumentum. Sunt præterea unguenta frigida, ut ceratum Gal. refrigerans, quod conficitur, & simplex, & compositum: nos maxime utimur simplici, quod constat ex oleo ros. aqua, & cera; composito additur acetum: si magis adhuc refrigerare uelitis, addendi sunt succi, ut nimpheæ, semperuiui, uel intubi.

Cataplasmata fiunt ex succis herbarum supra dictis, quibus additur parum farinæ hordeaceæ, uel triticeæ, & excipiuntur linteo, & affecto loco apponuntur, & tamdiu morari ibi permittuntur, donec siccentur, deinde mutantur. Quorum cataplasmatum celebre est iuuamentum, & maxime in usu, quia sitim maxime extinguunt, & refrigerant: & hoc faciendum est, donec occasio se offerat exhibendi frigidam aquam, quæ maximum est remedium, ut dixerit Gal. omnes conualuiße, quibus hanc dederit: morituris tamen non est danda. Et aduertendum est, ut nihil impediat, adeo ut non sit corpus imbecillum, neq; sit pars aliqua phlegmone affecta. Quod si sit erisipelas exquisitum, uel phlegmonodes, dari potest: si uero sit phlegmone erisipelatodes, minime; quia cum sanguis crassior sit, non potest facile educi. occasio hæc erit, cum concocti sunt succi.

Hic

Hic quærunt aliqui, numquid in causo sit expectanda concoctio, sed potius uel in principio sit propinanda frigida, ut medicamentum. Affirmant hi debere nos statim hanc præbere, quod non conuenit in synocha: quia cum bilis sit humor tenuis, & facile mobilis, non potest a frigore detineri, sed uigoratur natura, & expellit. Profecto & ego quoque idem dico, quod in primis notis coctionis id agendum est, præsertim cum est maximus feruor, quoniam periculum est, ne transeat in tabem. hæc de causo exquisito, aut cum phlegmone, aut sine. Sed priusquam agamus de notho, & symptomatibus eorum, notandus est locus Gal. 3. acutor. ultimo, ubi scribit in febre ardente conuenire balnea ex aqua calida dulci: & comparat ibi causum exquisitum ad spurium, dices, quod balnea in exquisito conueniunt; in spurio uero minime: quia pituita salsa non potest facile per cutim uacuari, cum sit humor craßus, & uiscosus. Quam sententiam peruerse scribit Auic., inquiens balneum præcipue in ardentibus conuenire, quæ fiunt a salsa pituita. Hæc dixi, ut cognoscatis Auic. non rei naturam, sed falsa tantum exemplaria contemplasse: hæc obiter. Præterea uidendum est, utrum causo laborantibus balneum sit conueniens remedium. Si rei naturam spectabimus, iudicabimus omnino non conuenire: quia indicatio est non tantum a febre, sed ab eius magnitudine, quæ non solum exposcit remedia frigida potentia, & ex accidenti, sed etiam actu: quare aqua frigida remedium est, si febris sit ardens, & magna. Gal. hanc rem considerans 11. meth. inquit, si magnitudo febris obstat, neq; balneo est utendum, neq; rarefacientibus, sed frigida tantum; & presertim in febre ardente tum spuria, tum legitima: at quanto magis in ea, quæ fit a pituita? quod si dicas balnea saltem conuenire, cum inclinat morbus, vbi succi concocti sunt; si sic intelligat Gal., nihil est, quod prohibeat balneum, unde hoc modo semper conueniet: consideretis locum.

De causo spurio. Cap. XXXI.

QVoniam uero causus duplex erat, non debemus eorum curas confundere, quia habent scopos curatiuos diuersos: conueniunt in hoc, quia habent vtrique sitim inextinguibilem; pituita .n. salsa ratione salsedinis exsiccat, unde sitim inferre potest.

test. Quare consideremus nos, quo modo curetur causus nothus: quoniam Paullus, Aëtius, & Auic., cum ponant vtriusque eamdem curam, non bene faciunt. Consideratio erit a natura rei: & primo istæ febres differunt in caussis earum: ille .n. erat humor calidus; hic est frigidus, sed ex admixtione salsedinis, vel ex corruptione factus est calidus, & est lentus, & crassus: vnde & febris magnitudine differre debent; quoniam non potest idem calor fieri a bile exquisita, & a pituita salsa. quare causus exquisitus spurio calidior erit. Differunt & sede affecta, quod maxime aduertendum est: quoniam a bile fit causus in iocinore, ventriculo, septo transuerso, & ieiuno intestino; a pituita vero in pulmone, & aliquando in ventriculo, & in pulmone, quia est viscus satis laxum. Differunt quoque ex naturis corporum, quia exquisitus causus fit in iuuenibus, in æstate media, & natura calidis; nothus vero in autumno, & initio hiemis, cum humores adusti admiscentur pituitę: similiter & in æstate declinante. Scopi generales sunt ad febrem, vt refrigeretur; & ad caussam, vt euacuetur, & alteretur. In legitimo causone indicatio maxime erat a febre; in spurio non tanta est: in illo magis intendebamus caußæ antecedentis extinctionem; in hoc magis vacuationem. His stantibus incipiamus curationem, quæ constat ex medicamentis, & victus ratione.

Caussam antecedentem iisdem genere remediis euacuabimus, ut supra, vt prius mittamus sanguinem ratione magnitudinis morbi, & velocitatis motus ipsius: deinde purgationem excogitabimus, & vt illa medicamenta mollientia, quæ excernerent excrementa ex primis venis, & intestinis, assumebamus, ita faciemus in isto; sed non erunt eadem specie, sed quæ multiplices humores vacuent, vt bilem, pituitam, & serosos humores, vt diacatholiconis vnc. I. vel drach. X. His peractis, ceteras vacuationes per clismata moliemur, quæ sint paullo acriora, quam in superiore, addentes diaphenicon, & cassiam, & quæ vim attrahendi habeant. Erant reliqui scopi ad caussam proximam, quos a victus ratione ordimur, quoniam hæc omnes scopos respicit. Et primo erit electio ciborum, qui sint frigidi, & humidi, & magis humidi, quia plus peccat siccitas, vt panis coctus ex aqua, vel ex decocto pullorum gallinaceorum: quoniam in hoc cibi debent esse magis nutrientes, quia iste morbus magis prolongatur, vt per-

M ueniat

ueniat aliquando ad secundam hebdomadam. Succus etiam ptisſanæ exhibendus est. Mulsa detur in potu, sed meracior; quoniam in hoc non est tantus ardor, nec timetur, ne transeat in bilem: & quoniam hic abstergere, aperire, & ducere vrinas oportet, omnia faciet mulsa meracior. De vsu vini dicemus infra in cap. de tertiana: in hoc enim casu ante notas coctionis non conuenit; quia omne vinum exsiccat: cum vero apparent signa coctionis, quoniam ducit vrinas, & sudores, poterit exhiberi: sed sit album, tenue, & non multum calidum, & æger hoc bibere assuetus sit, & sit senex. Quantitas cibi erit, vt ducere possit ægrum vsq; ad statum, & debet bis, aut semel propinari seruatis conditionibus requisitis, vt adsit occasio, quam febris exhibet. Hæc de ratione victus. Cetera remedia sunt, quod in primis humectando, & refrigerando, & prius euacuando caussam antecedentem, procedere debemus: sed quia humores crudi euacuari non possunt, nisi pręparentur, syrupos exhibebimus, vt mulsæ, & oximellis, vel mellis ros. vnc. II. vel III. decocti buglossi, luppulorum, rad. asparagi, aut rusci, aut cichorij non nihil, vt partim refrigerent, partim vrinas cieant, vel per cutim sudores moueant. Aluum per clismata expurgabimus, & mulsa, & oximelite in potu vsq; ad signa coctionis vtemur: quoniam ex his aluus mouetur. In statu postea non est mens exhibendæ aquæ frigidæ, vt in causo exquisito: quia in hoc adest contumacia humorum, & licet aqua frigida contemperet salsedinem pituitę, potius tamen excretionem cohibet, quam adiuuet: faciemus ergo per pharmacum soluens, quod respiciat varios humores, vt diaphenicon, in quo adsit scamonium, & radix turbit, ex quibus purgatur pituita. Accipiemus ergo diacatholiconis vnc. I. diapheniconis drach. III. vel vnc. ſ. & erit mediocris dosis, & cum decocto supra posito dissoluantur. Hæc de causone exquisito, & spurio.

Restat, vt symptomata quædam corrigamus, quorum primum est circa partes oris, vt maxima siccitas, a qua sitis æstuosa proficiscitur, quibus succedit lingua aspera, & nigra, vt aliquando vix loqui possint. Est & linguę, & faucium inflammatio: succedunt aphtæ, siue vlcera circa fauces, & linguam, quæ aliquando magis nos vrgent, quam febris, & solent peruenire quandoq; vsq; ad os ventris, cuius signum singultus est. Cetera symptomata sunt dolor capitis, vigiliæ, morsus ventris, deiectio aëris, &

mordax,

mordax, & cruenta, & tandem dysenteria. Incipiamus ab his, quæ sunt in ore, vbi sitim primum leuare oportet, quod fit aquæ frigidæ potione, si perpetuo hæc exhiberi possit, sed is potus non est perpetuo ex vsu: quare alijs remedijs vtendum est, ut nunc aquam simplicem, nunc mulsam, uel acetosum simplex dilutum, iuleb violatum plurima aqua admixtum, & huiusmodi propinemus. Sed quia non possumus semper potum dare, ea remedia inuenire oportet, quibus lingua continue humectetur, vt est phiala, quæ habet collum longum, cum qua simplici aqua irrigatur lingua. Vtimur etiam decocto hordei pro frigida aqua: iubemus etiam ægrum in ore ea tenere, quæ sitim leuare possint, vt corticem cucumeris, vel cucurbitæ: idem facit succus portulacæ agrestis, quę habet stipites duriores. Propinamus & lactucæ tyrsos, similiter cerasa acida; ea præsertim, quæ ex sacchаro confecta sunt, quorum assumpta carne nuclei sunt ex vsu: similiter pruna acida, & eorum nucleos: & hoc faciendum est, quousque occasio se offerat frigidam aquam propinandi.

Lingua est aliquando adeo aspera, vt sint in ea sordes siccæ, & aliquando ex adustione emortua videtur, ut sapores non sentiat: debemus prius sordidum, & emortuum auferre, & nouam cuticulam inducere; prius tamen debet macerari, eam humectando, ut accipiamus semen psilij, malicotonei, & lini, & modo vno genere, modo alio, modo omnibus simul utamur: quæ omnia in aqua calida infundantur, & adijciatur, si libet, aquæ ros. vel sacchari candidi non nihil, & per duas horas semina illa diuoluantur in aqua, & mucor, quem faciunt, penna desumatur, & per horam illinatur lingua, deinde aqua hordei lauetur, & si fieri potest, linteo auferantur sordes, quæ si violenter hæreant, non est insistendum, sed sæpius illinenda est lingua, & lauanda, donec sordes auferri possint. Inuenta sunt etiam instrumenta ex arundine, & argento, quibus hæ sordes tollantur. Quod si lingua sit inflammata, accipietis succum granatorum acidorum, & dulcium, frigida aqua, uel aqua hordei dilutum, & iubeatis, ut linguam abluat. Si vero res ulterius processerit, vt fauces adeo inflammatæ appareant, ut æger deglutire non possit; adstringentia, & refrigerantia exhibebimus, ut parum aceti ros. resoluti in multa aqua frigida, quo gargarizet, & abluat os: si non sistitur inflammatio, vtemur vehementiori remedio, vt succo semperuiui,

uel intubi satiui, uel lactucæ agrestis cum succo malorum granatorum, & debetis semper attenti esse, & sæpius inspicere, ne fiant aphtæ. Quod si aphtæ factæ sint, curabimus prius putrida remouentes, quia aliter curari non possunt: extergentia enim non possunt exhiberi, nisi suppuratis pustulis, suppuratio uero humidis fit, ut supra de asperitate linguæ, ut abluatur os aqua hordei, & utatur ptissana liquefacta: deinde extergentia erunt, ut lana, uel linteo lino tenuissimo, uel spongia mollissima extergatur; quod si una cum spongia addamus aliquid mellis ros. melius extergemus. Partes iam mundæ sunt consolidandæ medicamento, quod ex punicis, & sacchoro conficitur, & medicamento diamoron, quod gargarizet. Aliud est ex folijs salicis excoctis: aliud ex germinibus rubi: aliud ex succo rosarum: aliud ex folijs ligustri, quæ maximam vim habent, ut carnem repleant, & cicatricem inducant. Quod si his non cedat, ad maiora ueniemus, ita vt in lib. 1. aquę ros. uel plantaginis decoquatur aluminis scissilis vnc. 1. cũ quo abluantur ulcera, & sic ad sanitatem peruenient, si possibile erit.

Succedit modo vigilia. quoniam aliquando nullo pacto ægri dormire possunt, a quo symptomate valde anguntur: quia auget morbum, & caussam; morbum, quia uigilia motus quidam est, in motu necessario spiritus inflammantur, & humores bilescunt: vnde a spiritibus febris; ab humoribus biliosis caussa augetur. Necesse est ergo huic succurrere, quod aliquando difficile est; quia ex eo magna sequitur virium debilitas: nam à somno uires, quæ per uigiliam debilitatæ sunt, instaurantur. Agamus ergo, quo modo huic succurramus. primum & thalamum, & ministros ita parare oportet, vt faciant ad somnum conciliandum, ut thalamus sit sine strepitu, ad obscurum, & frigidum, & humidum: quoniam uigilia fit a calido 2. aph. 2. Remedia erunt huiusmodi, & primo incipiemus ab his Paulli, & Aëtij, quæ acceperunt ipsi à Gal.: solebat .n. Gal. vincire supra humeros, & coxas, & sepe eos soluere, & ligare, quousque ægri defatigati essent, ex quo deinde somnus conciliatur, uincula postea soluuntur, & lumen aufertur, & somnus iubetur: quod remedium in acutis non est adhibendum, quia omnes motiones in acutis morbis ægro sunt incommodæ, & ideo miror de Paullo. Nos vero in primis post cenam statim crura, & brachia confricamus superne deorsum, vel

manibus, uel ſpongia in hoc decocto madefacta: vt accipe papaueris recentis capita XX. foliorum eiuſdem recentis, uel ſaltem eiuſdem anni, quæ omnia ſint reſiccata; lactucæ agreſtis, quæ plurimum lac emittit, & odore, & uiribus eſt oppij, lactucæ domeſticæ, anethi recentis, uel ſicci, pampinorum uitis, foliorum arundinis, & populi albæ an. m. IIII. hæc in aqua modice excoquuntur, & ex decocto fiant frictiones cum lata ſpongia ſuper crura, & brachia, & hoc quouſq; ſomnus concilietur. Hic vſus duplici ratione iuuat: primo, quia extrahit vapores fumidos; quorum ratione caput uigilia tentatur, nam hi tendunt ad caput, & mordent tunicas cerebri, unde uigilia ſequitur. Auertit prætera, ne copia uaporum illorum ad caput adſcendat: ſimiliter eleuatur ab hoc decocto uapor quidam, qui maxime conducit, quoniam eſt frigidus, & humidus, vnde & morbo, & ſymptomati proficit, & hac ratione decoctum hoc iuuat ad ſomnum: quoniã uapor ille occurrit naribus, & peruenit ad membranas cerebri, & contemperat vapores illos, & adeo ſuaue eſt, ut totum thalamum odore inficiat. Secundum remedium eſt, ut ex hoc decocto irrigemus faciem, tempora, & nares, & frontem, & omnes partes, in quibus eſt copia uenarum, & arteriarum, unde facile vapor ille adſcendat ad caput. Tertium remedium eſt ex oleo violaceo; hoc .n. utimur ad nares, tempora, & frontem, lineo panno in eo madefacto admouemus temporibus, & fronti, nares vero inungimus. Prẹterea oleo omphacino ex oleis immaturis, ut capiatur oleum iſtud, & infundatur in aqua frigidiſſima ſæpius, donec albeſcat, quod etiam vtile eſt oculis, dyſenteriæ, & omnibus affectibus, in quibus olei acrimoniam timemus. Aliud remedium eſt vnguentum populeum, quod accipi debet, & lauari in decocto papaueris nigri, aut albi, bis, aut ter, & poſtea adhiberi, ut oleum ſupra poſitum. Quod ſi magna neceſſitas ſit, accipimus unguenti populei vnc. I. oppij, & croci pulueriżati an. ſcrup. ſ. quod etiam confert maxime hemorroidibus inflammatis.

Vbi hẹc extrinſeeus fecerimus, exhibebimus per intrinſeca uictum humidum, ut lactucas tenues ex pauxillo olei uiolacei, & ſucco limonis, uel arancei, acetum .n. ratione ſiccitatis non conuenit, uel illas coquimus in iure pullorum, & damus in potu: uel accipimus ſemina papaueris albi drach. II. uel III. & diſſoluimus in aqua pura, & admiſcemus parum decoctionis hordei, donec

nec

nec edulia conficiamus. Quod si hæc satis non sint, dabimus potiones somniferas, ut diacodion, cuius dosis est aduertenda, quia si recens sit, ut in æstate, satis erunt drach. II. si uetustum, ut in hieme, propinabimus drach. III. aut IIII. uel VI. si timeatis nimiã medicamenti uetustatem. Modus vtendi est a cena non multum longe a cibo, ut satis sit, si per horam post cenam propinetur, & deglutiatur cum aqua pura, uel aqua hordei. Aliud medicamentum est iuleb de papauere, cuius dosis est unc. I. uel unc. I. s. quod debet dilui cum aqua lactucæ, uel uiolata, & frigidum actu propinari post cenam, ut supra. hæc de uigilia. Aliud symptoma erat circa uentrem, cum sentitur morsus, aut in superiori, aut inferiori: si in superiori, adest nausea, & cibi fastidiũ, cui leni uomitiuo succurremus, ut aqua hordei sola tepida, uel addentes saccharum, uel loco ipsius acetosum simplex, uel iuleb simplex unc. I. hoc aßumpto ægrum uomere iubebimus immisso digito, uel penna in faucibus. Si in inferiori uentre sit morsus, potionibus, & clismatibus utemur, & quoniam scimus id esse ab acrimonia humorum, ex quibus tandem sequitur dysenteria, ideo uictus ratione procedemus; primo propinantes frigida, ut succum ptissanę, uel aquam frigidam, & lactucas, & similia, ut ex his bilis acredo temperetur. Per inferna inijciemus clismata, accipientes aquę hordei crassioris lib. I. s. olei ros. crudi ex oliuis crudis, & acerbis unc. IIII. mellis uiolacei unc. II. & fiat clisma sine sale, aut alio proritante. Quod si morsus uiolentior sit, ut signa excoriationis appareant, maioribus præsidijs opus erit, ut clismata sint ex aqua hordei, ut supra, cerati Gal. infrigidantis unc. III. olei ros. unc. IIII. dißoluantur simul ad ignem, & cum tepent, adijciatur aquæ hordei quantum sufficit. Quod si uehementius sit malum, necesse erit abluere ceratum Gal. cum succo plantaginis, uel lactucæ, ut contemperet calorem, & leniat dolorem: si uero iam adsit dysenteria, utemur cura dysenteriæ, de qua alias.

Aliud symptoma est exulceratio ossis sacri, quod exulceratur pręsertim pueris, & gracilibus, & maxime si iaceant supini: contunditur .n. tunc musculus, & partes adiacentes ossi sacro, quæ contusæ inflammantur, ut ægri maximum sentiant calorem, deinde suppurantur, & exulcerantur, ut ulcus cutim tantum aliquando occupet, aliquando depascens fiat, & magnum, quod le-

tale est. Primum ergo partem inflammatam curare debemus; deinde ulceratam circa cutim tantum; ultimo ulcus, cum erit profundum. Cum inflammatio apparet ad oculum medici, & ex sensu ægri, instandum est epitematis, & unguentis: epitematis, vt accipiendo aquæ rosaceæ, & olei rosacei an. vncias IIII. adijciantur alba oui numero duo, aut tria, quibus simul quaßatis lintea abluantur, & inflammationi apponantur, donec ceßet. Aliud est ex semperuiui, portulacæ, lactucæ, & plantaginis succo, qui in linteis læsæ parti apponatur, bonum erit, si aliquid olei rof. adijciatur. Si hæc non adsint, accipietis rosas contusas, poligonum contusum, lentem palustrem, cotiledon. Si exulceratio cœperit, faciemus primo corollam ex lana, uel bombice, qui complectatur medium vlcus, ne æger super loco contuso recumbat: postea medicamenta applicabis, ut unguentum ros. quod quia cito sentit acredinem, debet ablui prius ex aqua plantaginis, uel ex alijs, quę supra diximus. Aliud est, si accipias oleum mirtinum, addita cera alba in formam unguenti. Vltimum, & maximum unguentum erit ex minio, quod habet uim, ut sordes auferat, & icores auellat a particula, & in ea soliditatem inducat. Aliud est, si accipiantur cerussę, & litargirij partes ęquales, ut drach. II. & ex oleo rosaceo fiat linimentum, quod ad omnes excoriationes est utile. hęc de istis symptomatis. Agamus de tertiana ex 1. ad Glauc. & 2. de cris. 3. & 2. de diff. febrium 3.

De tertiana exquisita. Cap. XXXII.

Sola tertiana affinitatem habet cum causo, quoniam fit ab eodem humore. Nomen tertianę quamuis unum sit, non tamen unam naturam febris significat, sed uarias differentias habet, unde & uaria est eius curatio. Tertianæ nomen a periodo est acceptum, quia tertia quaque die incrementum facit, siue intermittens, siue continua sit. Sub hoc genere continetur tertiana exquisita intermittens, & tertiana continua exquisita, & tertiana notha intermittens, & tertiana notha continua. Quid sit continua, & intermittens, satis dictum est. Spurium uero, & exquisitum sic distinguuntur ratione caußarum, quia fit aut ex bile pura, & sola, & exquisita, aut ex bile notha. Exquisita bilis est

humor calidus, & siccus, flauus, amarus: spuria vero non habet has notas, sed admixta est pituitæ, ita ut calor eius, & sapor retundatur. de hac non exquisita sæpe meminit Gal. præsertim in 2. de nal. facul. in fine. Auicen. posuit alium modum bilis ex admixtione humoris melancholici, qui retundit calorem, & saporem ipsius, non tamen siccitatem: in quo & nos arabibus assentimur, quoniam non repugnat naturæ, & has febres a bile non exquisita sępe curamus, & maxime in autumno ex admistione melancholici humoris: quia tunc bilis facta est crassior, & degenerauit a propria natura. hęc de diuisione tertianæ.

Incipiamus modo a tertiana exquisita: & primum ponamus signa eius dignostica; postea prognostica. Signa dignostica distinguunt tertianam exquisitam ab omni alia tertiana: & prima signa sunt a natura rei, & sunt propria ipsi affectui, quoniā quæ procedunt a natura rei, sunt signa demonstratiua affectus: & in hoc proponimus nobis ducem Gal. in locis supra citatis, vbi inquit, qui vult cognoscere hanc febrem, statim prima die hanc cognoscit. Considerabimus ergo primum principium, deinde augmentum, & statum, & declinationem: principium, quia hoc statim prehendit prima die cum uehementi rigore; quartanæ uero, & alię non statim prima die cum rigore prehendunt, sed prius cum frigore, deinde cum horrore, & rigore: at in tertiana rigor necessario statim fit ex humoris natura; nam bilis flaua, cum tenuis sit, calida, & acerrima, facile mouetur per carnes, & facit tristem sensum, quia mordet, vnde fit rigor: fit autem prima die, quia statim a principio ista materia mobilis est ratione tenuitatis. At in quartana, in principio est humor crassus, & frigidus, qui non potest statim moueri, sed oportet, ut a calore sit prius extenuatus, ut possit ferri per membra, & rigorem facere. Sed modus etiam rigoris distinguitur fortitudine, quoniam in quartanis est rigor vehemens, & fortis, ut maximum faciat corporis concussum, unde dicitur vehemens, & non facile cedat, sed diu duret, vnde fortis dicitur: in tertianis uero est uehemens, & non fortis, quia leuibus remedijs cedit, & non diu durat. Distinguitur & rigor ex modo rigoris, quoniam euenit in rigore tertianæ, vt æger imaginetur se pungi quasi acu, quia est a caußa calida: in quartana uero sentitur frigus manifestum vsq; ad oßa penetrare, quousque calefiat, quia est humor frigidus. Hæc omnia sequuntur

quuntur

quuntur naturam caussarum, quod rigor sit uehemens, facit bilis, quoniam impetuose mouetur: quod non sit fortis, facit bilis, quia cito resoluitur: quod pungat, facit bilis ex sui acredine. Cum uero rigor cessauit, sequitur statim augmentum, quod non est simile augmento aliarum febrium. Distinguitur .n. primo breuitate, quia in duabus, aut tribus horis status aduenit: quoniam inęqualitas fere nulla est, cum non faciat replicationes, vt aliquando fit in febribus ab humore frigido, in quibus cum credis iam statum adesse, videtur reuerti ad augmentum. Post augmentum succedit status, qui etiam differt ab alijs febribus ex symptomatis, quæ infert: in statu enim maxime contingunt symptomata, vt vehementia caloris, sitis vehementissima, siccitas linguæ, & oris amaritudo, quæ omnia caussam morbi insequuntur, quæ acerrimum gignit calorem, & plurimam sitim ratione caloris, & siccitatis. Dolor capitis plerisque succedit ex vaporibus caput petentibus. Oris amaritudo fit, quia aliquid bilis confluit in ventriculum, & inficit tunicam ipsius, quę tunica ori communicat. Succedit solutio febris, quæ est, cum incipit declinare per manifestas excretiones, vt per uomitum biliosum, aut per deiectiones, aut per sudorem, quæ aliquando omnia simul cõcurrunt, aliquando sudor solus: nam sudor perpetuus est in his febribus, quia non semper habent alias excretiones biliosas, quæ solutio breuis est, quoniam non pertransit duodecim horas, & aliquando breuiores sunt, ut quinque, uel septem, uel nouem horarum. Aduertendum tamen est, quod qui uolunt iudicare de tertiana exquisita per breuitatem paroxismi, falluntur: quia id est signum admodum fallax, conuenit .n. & tertianæ nothæ: quare in signis essentialibus nos fundare debemus, & inspicere symptomata necessaria. Similiter qui iudicant, quod tertiana non pertranseat septem periodos, decipiuntur: quia prolixitas paroxismorum non solum fit ex qualitate humoris, sed ex quantitate, & natura corporis. Ex qualitate, quia bilis a natura facilius euacuatur: contra bilis spuria faciet longiores paroxismos, quia crassior est, & difficilius euacuatur: multa pariter difficilius excernitur, quam pauca: similiter densus habitus corporis difficultatem facit vacuationis; laxus uero, & rarus facilitatem. Vires robustæ præterea facilius expellunt; debiles difficilius. Hæc satis sint ad demonstrandam tertianam, licet alijs signis vulga-

ribus vti possitis: vt tempore anni, regione, uictus ratione, ante acta uita, morbis eo tempore grassantibus. Ex tempore anni æstas est, ut sub cane, & tempore anni calidissimo. Ex natura corporis, si sit iuuenis, calidus, & siccus natura, & habitu gracilis, uerisimile est, ut laboret tertiana exquisita: similiter in ceteris, ut si cibos ad bilem producendam aptos comederit, & similia: hęc de dignostice.

Prognostice facilis est, quia dicit Gal., quod est mitissima febris, id est simplicissima, & securissima; quoniam non est vere mitissima, cum habeat ualida symptomata: & terminatur, id est statum habet, in septem periodos. Quod mitissima sit, euenit ex longa intermissione, ita ut maximum sit spacium vtendi remedijs, & cibandi ęgrum, ut nullus uisus sit ex hac febre perijsse, nisi error contigerit, aut permistus sit cum ea alius affectus. Aduertendum tamen, quod pueris letalis est, cum sit illis contra naturam: quoniam habent succos dulces, & humidos, vnde ad eam magna caussa requiritur. Præterea habent uires imbecilles, quia ex calore febris plurimum eorum substantiæ resoluitur, ideo in his periculosissima est: quoniam ex virium debilitate, ex intermittente facile transit in continuam, quia natura non potest a uenis extra uenas transmittere. hæc de prognostice.

De curatione. Cap. XXXIII.

AGgrediamur curationem: & primo Gal. nobis proponamus in 1. ad Glauc. qui cum artem integram non tradat, sed præceptiones tantum quasdam, methodum instituemus, & cũ Gal. conferemus. Pręmittendum est, quod aliquando in hac febre multa bilis est, aliquando pauca: quod distinguitur coniectura quadam accepta ex signis, ab urina, & colore corporis; si enim vrina crocea sit, & acris, & mordax, multam adesse bilem significat: præterea si febris soluatur per sudorem, uel per vomitum, aut deiectiones biliosas, signum est plurimam adesse bilem: tertium signum est ex longitudine, uel breuitate paroxismi; qui si breuis, paucam; si longior, multam materiam significat. Secundo præmittendum est, quod bilis, quæ tertianam facit, ut eius caussa antecedens, aliquando est in carne, aliquando in venis, aliquando vtrobique. Quod sit in carne, testatur Gal. 1. epid. lib. 2. tex. 16. aliquando est in uenis, aliquando vtrobique: quod distin-

guendum

guendum est, primo considerando excrementa; si .n. plurima bilis mingatur, significat copiam bilis in uenis; si uero pallor sit faciei,& oculorum, in carne bilem adesse significat; si utrumque adsit, vtrobique adesse significatur. Praeterea considerandum est ea, quę praecesserunt: nam si homo sit biliosus ex proprio temperamento, & anteacta uita, is bilem multam habet in carne, & in uenis: si vero sit corpus carnosum, & coactum fuerit se multum exerceri, is plurimam bilem aceruauit in carne. His stantibus, ad curationem accedamus ex communi methodo putridarũ, quæ considerat febrem, & caussam antecedentem, & coniunctã: rursus caussa antecedens, aut est in carne, aut in venis, aut vtrobique. His stantibus, cum habeamus febrem calidissimam, & caussam antecedentem, & coniunctam, inchoanda est curatio, licet febris vrgeat, a caussa antecedente: quia dum caussæ intendimus, & febrem respicimus. Si copia adsit bilis, minuenda est, ne ex tertiana fiat ardens: si pauca sit copia, dimittemus naturæ, quæ cito eam expellet. Minuitur autem, aut uenæ sectione, aut purgatione, quod distinguemus considerando caussam: quæ si copiosa sit, & vna adsit copia sanguinis, uenam secabimus; si nõ adsit copia sanguinis, uenæ sectionem dimittemus: quia vbi non est copia sanguinis, non est uirium robur, quare non est mittendus sanguis. Gal. quia huius remedij non meminit, suspicabitur aliquis prohiberi ab eo uenæ sectionem: sed res non ita se habet, quia in methodo vniuersali mittebat sanguinem, si cetera consentiebant, quia timemus magnitudinem morbi. Cur Gal. non meminit, non possumus reddere rationem, nisi quod ibi non sunt omnia remedia, quoniam librum hunc dicauit viro illi Glauconi,& non tradidit in vulgus. Amisso sanguine, quod fit tribus primis diebus, statim altera die exhibebimus pharmacum molliens leue, tum ne nimia fiat in humoribus commotio, tum quia bilis facile vacuatur, ut si accipias syrupum uiolatum ex infusione uiolarũ, non autem magistralem; quoniam non conuenit in hoc casu: syrupi uiolati de infusione uiolarum accipe vnc. III. cassiæ vnc. I. dissoluantur cum aqua hordei, aut aqua borraginis: possumus etiam mannæ loco cassiæ exhibere vnc. II. uel diaprunis simplicis vnc. I. item electuarij ros. mesue drach. VI. quibus vtimur a principio, si adsit copia bilis: si uero pauca sit bilis, solo clistere quotidie iniecto contenti erimus. Postquam materiam minuimus

ex toto corpore, succedunt alij scopi, qui fiunt, aut victus ratione, aut medicamentis. Et prius ordiemur a uictus ratione: quoniam ex ea scopos omnes complebimus, in quo nobis presto erit Gal., qui plurimum suæ curationis absumit a uictus ratione. Paullus, & Aëtius, qui aridissime hanc rem tractant assumptis puris uerbis Gal. nihil addendo, nec dubium, si quid est, declarando. Scopus a uictus ratione erit ad refrigerandum, & humectandum, vt corpus refrigeretur, & bilis calor contemperetur. Primum ergo aërem instituemus, commodissimum cubiculum apparando, ut dictum est in cap. de febre ardente. Vnum tamen est aduertendum, quod & si calor huius febris sit æqualis cum febre ardente, maxime cum est in suo vigore, tunc maxime debemus illi insistere, cum febris vrget: istæ .n. febres differunt tantum, quia in ardente calor est continuus, in ista uero minime; quare circa aërem omnia facienda sunt, quæ diximus in ardente.

Quod ad alimentum, Gal. in primis enumerat olera, postea sorbitiones, tertio carnes ex piscibus, & terrestribus animalibus, postea poma: nos uero quomodo hæc materia utilis sit, ex methodo declarabimus. Quoniam autem scopus est refrigerare, & humectare; & propter febrem, quæ quo maior est, eo magis id requirit; & propter humorem, qui temperari debet: nam ex hoc bilis retunditur; & sanguis, qui procliuis est, ut in bilem uertatur, redditur minus opportunus, ut bilescat, & corporis etiam temperamentum, si sit calidum, & siccum, contemperatur. In primis sorbitiones ex succo ptißanę, quę refrigerat, & humectat, opportunæ erunt, quę dandæ sunt sub actuali frigiditate. Si etiã sit farris sorbitio, multum confert in hoc casu; cum corpus biliosum sit raræ texturæ, & far resistat putredini, & non facile bilescat, & ideo in conditura harum sorbitionum in hoc casu a melle abstinendum, & a saccharo, cum facile bilescant. Ego uero aliquando ipsas condiui ex iuleb acetoso simplici. Inter olera narrat Gal. lactucam, blitum: quæ omnia præter blitum nota sunt, quod maxime ex vsu est apud mulieres Lucenses, & magnam habet uim molliendi alui, licet refrigeret, & humectet. Attriplex est id, quod spinachium uocant, uel lapatum. Cucurbita etiam annumeratur inter olera, sed hæc cocta. Cucumeris etiam est maximus usus in tertianę febris ardore. De pepone sermonem faciam in fine huius: sum enim huius sententiæ, ut debeat annu-

merari inter olera conuenientia in casu isto: sed quia id dubium est, dicemus infra. De carnibus etiam facit mentionem Gal., aut auium montanarum, non palustrium; quare gallinacei teneri vtiles sunt, & auiculæ montanæ, quæ tenuiorem habent carnem, vt turtures, & columbi maxime siluestres, & qui sint longe ab ortu. Annumerat etiam Gal. carnes suum, vt summum eorum crus, laudat postea pisces petreos: sed aduertendum est de carne suum: quia forte non conuenit in nostra regione, semper .n. Gal. vitat carnes concoctu difficiles: de hac autem dixit alias, quod erat cibus difficilis concoctu; quomodo ergo de hac mentionem fecit in hoc casu, & maxime de piscibus, qui craßos, & viscosos humores generant? cerebrum quoque damnauit in 3. de alim.cap.de cerebro, quippe quod sit craßos humores aggenerans, & nauseam moueat. Sed aduertite, quod Gal. in 7. meth.6. vult, quod caro suilla sit cibus conualescentium, & eligit sues teneros, cum adhuc sunt in augmento, vt infra menses octo. Ad id, quod dicebamus, quod faciunt crassos humores, satis responsum est, cum eligat sues teneros: sed in nostra ętate omnes hunc cibum vituperant, cum faciat nauseam, & cibi fastidium, unde nos minime damus: forte tempore Gal. erat in vsu quotidiano, & æstate, & hieme, ut patet ex verbis eius loco supra citato.

Secundo aduertendum est, quod dicit de piscibus, quia videbatur paradoxum nostris antiquis offerre pisces febricitantibus; Gal. vero offert eos, quia sunt frigidi, & humidi, & dantur, cum febris cessauit, quia in accessione non cibamus. Pisces tamen debent esse teneræ carnis, & friabilis, vt sunt saxatiles: in quibus errarunt aliqui credentes hos esse fluuiatiles, cum sint marini. Tria .n. sunt genera piscium marinorum, litorales, vt migiles, & araneus; pelagij, ut cartilaginei omnes; saxatiles, qui in scopulis degunt: quorum ex Gal. 3. alim. 28. sex genera sunt, qui omnes habent carnem teneram, & friabilem, & concoctu facilem. Nos loco horum, quoniam in partibus Mediterraneis degimus, eligimus trutas, & lascas, quoniam habent carnes tenerissimas. Pisces vero saxatiles eligebantur, qui excrementis omnino essent expertes, cum sint in continuo motu, et iactatione ab undis: contra fluuiatiles paludibus gaudent, vnde excremẽtosi sunt, similiter & mugiles. Si uero fluuij remoti sint ab vrbibus, & sint purissimarum aquarum, quæ a montibus descendant, pisces

erunt multo meliores, & hi debent incoqui aqua tantum, & sale, non autem frixi, licet gobios frixos aliquãdo offerre possimus.

Dicit deinde Gal. quod ægri gustent fructus, & hic addendum est fructus oporæ, quia sub nomine fructuum plura continentur, vt pruna damascena, uel hispana, quæ catelana vocant, uel maximiana, & facile erit in vnaquaque patria, quæ optima sint, eligere, vt non sint dulcia, nec multum humida, quia facile corrumpuntur: cerasa quoque austera, & similia: fructus tamen debent tantum gustare, non autem ijs vti in cibis. Poma difficilis coctionis sunt pira, corna, mespili, & similia. De potu dicimus, quod inter initia febrium non conuenit vinum, & caussam infra dicemus, cum tractabimus de vsu peponum, sed in principio utemur aqua mulsa, uel iuleb admixtum multa aqua, uel iuleb acetosum, vel uiolatum, uel rosatum. Subiungit Gal. quod vino vti possumus, cum morbus concoquitur, & id esse debet, vt dixit etiam Hipp. 3. acutor. cap. de vinis, album, tenue, & aquosum: album, hoc est non flauum; tenue, vt sit instar aquę, non crassum; aquosum vero, quod non sustinet aquæ admixtionem: & cum his condicionibus inquit Gal. dandum est initio paucum, id est cum multa aqua admixtum, quia febrientes paucum nolunt, cum multum sitiant; postmodum vero amplius, id est minus dilutum.

Vltimo dicit Gal. quod balnea prosunt, quia bilem uacuant, & temperant: sudores enim mouent, & poros aperiunt, & malam complessionem temperant: balnea vero ista calida refrigerant, & humectant potentia, & ex accidenti; quia cum calor transpirat, corpus frigesit, similiter & cum excrementa euacuãtur. Quare cum hæ vtilitates sequantur ex balneis, erunt commodissima, si tamen sint aquæ dulcis, non sulfurea, salsa: quia ista augent temperamentum biliosum, & plus ex hoc nocent, quam iuuent bilem euacuando: & per aquam dulcem intelligimus ex fontibus, uel fluuijs. Sed quæres, nunquid ista conueniant in principio, quod non dixit Gal., nisi dicamus, quod, quia tacuit omne tempus, omne admittit, quod mihi non placet: sed dicere possumus, quod, quia dixit in tertiana notha neq; in principio sunt ęgri lauandi, ex hoc inferatur, quod in exquisita velit ęgros lauari in principio: quia illa aduersatiua id indicare videtur; quoniam in tertiana exquisita nullum est impedimentum, ut in alijs,

in qui-

in quibus succi sunt crassi, & lenti, qui difficile vacuantur, quare ex his nihil ægrum iuuabis. At in tertiana exquisita in prima die natura facit excretiones utiles ex natura humoris, qui facile potest euacuari: vnde in hac balneis in principio uti possumus.

In fine cap. inquit Gal., quod hæc est diæta, quę pluribus conuenit: at in corporibus non delicatis, inquit Gal., ea victus ratione vti soleo, qua vtitur Hipp. vt ægri vsq; ad statum cum succo ptißanæ tantum maneant. In hoc est difficultas, & Paullus hallucinatur, videatis ipsum, nam consideratione dignum est, quid per homines delicatos intelligat Gal. Hic locus dupliciter potest exponi: & prima expositio facilis est, vt intelligamus ea corpora delicata, quæ molli victu uti consueta sunt, & vrbana, & in delitijs assueta, quæ agrestibus, & duris contra distinguuntur. hæc expositio potest admitti. Sed ego quęrerem a Gal., an ista victus ratio posita ab Hipp. sit necessaria, & vtilis: si sit neceßaria, & vtilis, omnibus ægris præscribenda esset, ne error committeretur; & quoniam in ægrorum gratiam aliquid facimus, non tamen possunt ea admodum nocere, & multum distat victus ratio superior a sola ptißana: si vero non sit necessaria, & utilis, stultum fuit illam præscribere; non .n. debet Gal. sine necessitate victum austerum præscribere, quoniam medicus debet tuto prius, deinde iucunde curare. Quare ego credo, quod Gal. per delicata corpora intelligat, quæ multum patiuntur ab abstinentia, & incommodis, & quæ mutationes omnes difficile ferunt: contra, quæ omnia ferunt facillime, non sunt delicata. Horum exempla ponit Gal. 10. meth. 7., vbi docet corpora, quæ inediã difficile ferant, quod ex 2. acutor. a 16. vsq; in finem habetur. Erunt ergo delicati, quia ex leui quolibet offenduntur; natura autem duriores vsq; ad statum possunt in abstinentia detineri: status aut erit in septima, aut plurimum in decimaquarta. Quare possumus tenuem victum instituere, ut succo tantum ptissanæ: delicatis vero corporibus, uel natura, uel quia habeant os ventriculi imbecillum, cogimur pleniorem victum exhibere: & ita sunt intelligenda verba Gal. Quæ secunda expositio aliquo modo tacta est a Paullo, & obscurissime, tum ex breuitate, tum ex textu deprauato: inquit .n. Paullus, quod uictus ille plenior forte erat conueniens tempore Gal.; quia corpora non abundabant

bile

bile exquisita ex victus parcitate, & diutinis exercitationibus; nostro uero tempore aliter se habet: quasi uelit Paullus, quod Gal. voluerit victum illum magna ex parte commodum esse in corporibus delicatis, sed in non delicato potest institui victus Hipp. Videtur tamen tex. Paulli contrarius esse ab eo, quod vult dicere: inquit enim, quod si bilis sit admixta pituitæ, tenuiorem victum exhibere debemus: quod contra se habet, nam his, qui pituita laborant, crassior victus exhibendus est: quare tex. Paulli corruptus videtur. Satis ergo vobis erit monstraße, qualem victũ in maiori parte propinare debetis: transeamus ad medicamenta.

Medicamenta alia euacuant, alia alterant: & euacuantium alia valde euacuant, alia naturam proritant, & adiuuant opus eius. Quæ egregie euacuant, non sunt exhibenda in principio morbi, sed quæ naturam adiuuant: & hæc sunt, quæ cient urinas, & sudores, & mouent vomitum, & deiectiones: quoniam cum natura per has uias soleat excernere, & artifex per easdem vias intendere debet; quoniam est eius imitator. Particularis materia præscribitur a Gal. in hunc modum. Incipit ab his, quæ vrinas mouent, quæ etiam sudores mouent, cum calefaciant, & aperiant ex sui caliditate: in quorum genere sunt appium, & anethum, quorum vtimur tum folijs, tum floribus: & apparat medicamentum in hunc modum; potui detur appium, & anethum in aqua intinctum. quæ infusio sic fit, ut accipiantur herbę illæ, uel flores, & inijciantur in aqua calente, vbi maneant per decem horas, quæ aqua deinde exhibeatur: & non incoquit hæc Gal., quia timet caliditatem, & siccitatem horum, & materia uacuanda est tenuis, & excretioni facilis. Solemus loco huius, syruporum genera propinare, ut assumantur huius infusionis unc. IIII. iuleb simplicis, uel iuleb acetosi, vel violati vnc. II. vel III. quoniam ex his aluus mollis redditur. Potestis etiam aquas appij, & cicorij accipere, ut contemperetur bilis, & caliditas uenarum ex febre contracta: vomitus, si ad uentriculum repat bilis, leuibus vomitorijs, quę supra retulimus, proritetur. Si ad uentrem repat, clismata erunt mollia, vt ex aqua hordei, & decoctionis maluæ, & similium; vbi non sit neq; mel, neq; sales, neq; saccharum, quoniam fugere debemus acria: quia ex his mordentur intestina, cum sint acris sensus, unde ex consensu cum uentriculo in syncopim incidunt ægri.

Sequuntur

Sequuntur uacuantia, quæ maiorem uim habent, & caussam antecedentem respiciunt: quorum unum exemplum ponit Gal., absynthij comam maceratam in melicrato, quod eligere debemus ex locis non palustribus, sed montanis, & quod in hortis nascitur, non est ad propositum. Debet exempli gratia capi melicrati, vnc. VI., & manipulum vnum absynthij, & infundatur, & mane percoletur, & propinetur: quod medicamentum, inquit Gal., est bilioso stomacho vtilissimum, & hoc, cum apparent notæ concoctionis. Hic considerandum est cur exspectet signa concoctionis, & non statim a principio illud propinet, & sequenti cap. de tertiana notha aliter scribat, dicens; post septimam diem audacter exhibebis absynthij dilutum. Auicen. præterit locum hunc; in tertiana vero notha eadem verba refert, quæ Gal.: cum ergo habeat vim purgatoriam, cur non exhibet in principio, præsertim si roborat ventriculum: secundo, cur non incoquit, sed infundit? aliquis censuit, Gal. non dedisse in principio propter ipsius adstrictionem, uel siccitatem: quod mihi non placet, quia in diluto nulla est terrestreitas, cum illa per expressionem educatur, & amittat siccitatem ratione dilutionis. Alius est sensus Gal., quia prohibet eum etiam in tertiana notha, vbi non timebat siccitatem: euitatur ergo propter purgationem, quia nō vult purgare ante concoctionem. At dices, leuis est purgatio ipsius: fateor, si tamen quotidie detur, satis efficacem faciet purgationē; & Gal. vult quotidie dari loco superioris potionis, cum apparent notæ coctionis: licet si Gal. verba consideretis in cap. de tertiana notha, non negat, quod ante coctionem exhibeatis, sed audactius post. Hactenus de medicamentis iuxta Gal. sententiam: quæ satis eße solent in tertiana exquisita, cum vtilis sit eius purgatio statim in principio ex humoris, a quo fit, tenuitate, & quia natura admodum proritat: vnde vehementes fiunt excretiones in statu, & crises perfectæ, & non symptomaticæ, & statim finitur morbus in paroxismo illo status, in quo veniunt vlcuscula in ore, quæ fiunt ex multa vaporatione febris, & fortasse quia aliquid bilis superna petit, vnde & vulgares id habent pro salubri signo, quod fit, quia materia eo truditur a natura. Dicamus nos ergo, quod primo considerabimus naturam corporis, & ambientis: quod si ambiens non sit calidissimus, & corpus habeat sanguinem bili admixtum, sanguinem mittemus non in multa quan-

titate: postea offeremus aliquid cassiæ, aut mannæ, vel diaprunis simpl., si adhuc adsit copia bilis: postea instituemus victum, vt diximus, eum scopum habentes, vt bilem uacuemus, quantum poßumus, & eam contemperemus: & syrupos exhibebimus, qui eamdem uim habeant: postea exhibebimus medicamentum, vt cassiam cum infusione rhabarbari, accipientes cassiæ vnc. I. dissoluentes cum aqua hordei, vel decocto prunorum, rhabarbari scrup. IV. aut ad summum drach. I. s. quod infundatur in aqua intubi satiui per decem aut duodecim horas, & addatur cinamomi, aut spicæ nardi, uel celticæ drach. II. uel III. & mane exprimatur, & propinetur: hęc de tertiana exquisita.

Sequuntur duæ quæstiones circa ea, quæ exposita sunt in cura tertianæ exquisitę: & prima est circa cibos, cum faceremus mentionem de fructibus oporis; diximus enim de pepone, quod vtilis erat febrientibus contra medicos quosdam insubres, qui maxime eorum vsum detestantur, & faciunt vt quidam, qui indicta caussa aliquid detestantur: quoniam experientiam suam non citant, sed tantum auctoritatem Gal., & rationes quasdam. Auctoritatem Gal. in 2. de alimentis 4., vbi dicit peponem mali succi esse, & multa incommoda parere: quem sequuntur Paullus, Aëtius. Deinde rationibus innituntur: & prima est. Illud pomum breui tempore venit ad maturitatem; ergo in tam pauco tempore non potest bonam maturitatem acquirere: nam a tempore, quo maturescit, ab eo, quo floruit, vix triginta dies intersunt: nec tanta moles in tam breui tempore potest concoqui, sed neceße est, vt multum eius crudum permaneat. Exemplo sunt citrulli, & cucurbitæ, quę semper cruditate laborant, & ex temporis breuitate numquam ad veram maturitatem perueniunt: similiter de pepone dicendum est. erit ergo cibus, non modo ægris detestabilis, sed & sanis. Secunda ratio est ex situ, quia semper terram attingit: vnde ergo potest maturitatem habere, cum a terra humiditatem, eamq; crudam attrahat? fructus vero, qui bene maturantur, suspensi manent, & succum, & nutrimentum coctum a caudice habent. hæ sunt rationes, quibus hi innituntur. Profecto in risum prolabor ex hominum temeritate, qui cum possint res experiri, velint potius auctoritatibus intēdere, quam experientiæ. Dicebat Gal. aliquando aduersus Mnesiteum Athboniensem in 2. de alimentis, quod rideri dignus erat, quoniam non

expe-

experientia, sed ratione nitebatur, dicens, radices, quia in terra sunt, crassi succi esse, & flatulentas: vult .n. Gal. id experientia cognosci, & uideri, quę sint flatulentæ, vt raphani, radices; & quæ non, cum aliquæ sint, quæ flatus discutiant, vt experientia notum est: quare argumentum horum de pepone, quod per terrã serpat, nullum est. Si iuuaret nos rationibus procedere, diceremus ex ratione accepta a sensu, quod omnia alimenta, quæ odore, & sapore grato commendantur, succum bonum habent, melopepones sunt huiusmodi, ergo: nam cum aliquando oblata esset Gal. herba quædam, arguit ex odore tetro, esse mali succi. possumus ergo ab odore de malo, vel bono succo arguere. Ratiocinemur ex vtilitate: in hoc adest refrigeratio, & humectatio, & vis ducendi vrinas, & molliendi alui; ergo hæc sunt, & sanis, & ægris vtilissima. Et sub æstu canis non possumus maius commodum habere, quam ab hoc pomo: similiter commoditas magna est, quia ducit vrinas, & aluum mollit. Sed rationes parui faciamus, & confugiamus ad experientiam. Nullus est ex optimatibus, qui tantam mensuram comederit aliorum pomorum sine noxa, quantum ex hoc: cum fructus oporæ nauseam pariant, & flatus in ventre inducant, quando in multa quantitate sumuntur; at pepones nihil horum faciunt, vel si ex eis multum comedatur: vnde cum vtilitatem & nullum incommodum pariat, non modo erit commodus eius vsus, sed vtilissimus. Sed aduertendum est, quod semper optimorum electio in omnibus rebus habenda est; quia in his multa est latitudo, quæ electio a re ipsa habetur: vt in genere melopeponum, alios experimur vtiliores, alios nocentiores: similiter regio alia meliores, alia peiores parit, vt in septemtrionali regione numquã vuæ bene maturescunt; similiter & melopepones, vt diximus. Non in omni quoque terra optimi nascuntur, quia in humidis locis praui sunt, quoniam multa humiditas non bene potest concoqui. Postea est cultura, ex qua magna est differentia. similiter tempus anni, quod si siccum sit, optimi fiunt. In summa & sapore, & odore optimi sunt eligendi, qui nullam in se superfluitatem habeant. Cum electionem feceritis, non multa quantitas ęgris, & sanis præbenda est, sed satis est ægris, vt gustent, vt inquit Gal. Respondeamus modo ad ea, quæ isti adducunt: ad auctoritatem Gal. dico, quod tempore Gal., non erant forte in vsu, nec in terra bona, & bene cul-

ta nascebantur: quare apud eos non erant in multo pretio, quoniam bonos non habebant, vt patet de lactuca, quam dixit Gal. esse asseruandam in hieme aceto, & muria; & hoc, quia eius culturam ignorabant in hieme eius temporis homines. Præterea pepones detestantur a Gal., non melopepones, vt patet: ad quorum coctionem iuuandam vino vinoso est opus. Rationes, quas adducunt friuolæ sunt; cum dicunt, non potest fieri multi humidi concoctio in paruo tempore: negatur, quia potest esse tanta vis concoquendi, vt cito maturentur, vt patet: quia crudi si excerpantur, & asseruentur, in duobus diebus maturantur. Ad aliam, cum dicunt, quod prope terram nascuntur; hoc est contra ipsos: quia fructus, quo propius terram nascuntur, meliores sunt, vt patet experientia de vuis. hæc de quæstione ista: sequitur, vt agamus de vsu vini.

Quęstio ista, vtrum conueniat vini usus in febribus, pendet a Gal., qui dixit, quod ante signa coctionis a vino abstineant: & qua de caußa id dicat, neq; Paullus, neq; Aëtius, neq; aliquis iuniorum refert. hoc quoque vtilis erit, non modo in tertiana, sed in omnibus alijs febribus. Consideranti mihi naturam vini, duplici ratione in febribus officere posse videtur: primo ratione caliditatis, quoniam febri, quæ calida est, & sicca, frigida, & humida conueniunt, vinum uero est calidum, & siccum ex lib. de simpl. cap. de vino: & quod hac de caussa non conueniat in febribus, patet ex 11. meth. 9. & 12. meth. 5. vbi inquit Gal. vinum dabimus, nisi vehementer febricitent. His rationibus dicebat quidam Galenum non prohibere vsum vini in tertianis, sed vsum vinorum fortium. Quæ expositio non tuta est, quia si id verum sit, Gal. ea vina prohibet, quæ postea in cap. de tertiana exquisita concedit, cum dicit, quod post signa coctionis conuenit vinum album, tenue, & paucum, prius vero idem prohibuit, vt patet; non facit ergo hanc differentiam vinorum. Arguitur rursus contra hanc responsionem, quia Gal. non prohibet hoc ratione caloris, cum prohibeat aquosum vinum, quod frigidum est ex 11. meth. 4. & 3. acutor. 7. Et quod de hoc vino intelligat, patet vbique, vt 7. meth. 6., vbi ait, vinum ægris propinabimus, nisi febricitent, prohibet ergo vinum aquosum: similiter 3. acutor. 7. inquit, quod isto vino vtimur in febribus, quia est minus nocens; ergo de isto semper intelligit, & alia vina non conueniunt, nisi

ratione

ratione alicuius accidentis: similiter in quartana aquosum tantum vinum propinat. Præterea instatur aduersus hanc expositionem: si Gal. vitat vinum ratione caloris, cur id propinat apparentibus signis coctionis, quæ apparent in augmento, cum multa est caliditas: quod si caliditatem spectes, in principio potius erat dandum, vbi erat minor caliditas, quam in augmento. Vltimo instatur, quia vinum etsi natura calidum sit, potest tamen eius caliditas aquæ dilutione vitari: docet enim Gal. vinum diluere, vt eius vehementia remittatur. Si ergo vinum calidum est, habemus materiam remittendi eius caliditatem: quemadmodum cum vtimur mulsa, eam diluimus, ut mellis vis remittatur: similiter in ceteris multis. Ex his rationibus videtur, quod non ratione caloris a Gal. prohibeatur vinum. Fortasse & est secunda caußa, ratione commotionis humorum prohibet, quia mouet sudores, & vrinas ex 11. meth. 9. quę in principio minime mouenda sunt: quare expositio hæc satisfacere videtur, vt euitet cruditates, cum agitatio non tuta sit. Huic attestatur id, quod dixit Gal. 11. meth. 9. cum ait, audacter vinum dabis concocta materia, ne crudi humores agitentur. Hæc ratio apparens est, sed non vera, quia si timeret Gal. a principio tertianę humorum agitationem, quo modo ægros lauaret, cum ex balneis magis exagitentur humores, quam ex potu vini. Præterea non uideo minorem uim inesse appio, & anetho, quam uino, sed maiorem ad urinam, & sudores ducendos: at hæc exhibet in principio; ergo & uinum exhibere potest, cum non ratione commotionis prohibeat. Pręterea in quartana non uitat uinum in principio, vbi magis timenda erat commotio humorum, cum hi sint in principio magis crudi, ut patet. Tertia caußa est, a qua potuit moueri Gal. propter alimoniam, quia non vult nutrire in principio, uinum uero maxime nutrit. Quæ expositio fatuißima est, quia si id vitat propter alimoniam, multo magis in augmento, & statu uitaret. Præterea multo ualentiora edulia exhibet, ut oua sorbilia, carnes. Nos uero huic responsionem dabimus, distinguentes primo uini naturam, quatenus ad febres attinet: in quibus non omni genere uinorum uti debemus, sed eis tantum, in quibus adsint uini utilitates, & non noxæ, ita ut uina illa sint usui, non autem damno. Vtile uinum est ex 7. meth. 6. quod est simile aquæ, quod aliquando exhibemus, ut aquæ noxas fugiamus, quæ male distribuitur,

buitur, & moratur in præcordijs, & uitiat concoctionem: contra uinum facile distribuitur, & iuuat concoctionem, & mouet excretiones, ut urinas, & dilatando meatus mouet sudores: has uero noxas infert, ut calefaciat, & siccet corpus, & caput grauitate, dolore, & repletione tentet; similiter & neruosum genus. In summa ea uina sunt eligenda, quæ careant aquæ vitijs, & faciant ad coctionem, & excretionem, & non noceant capiti, & neruis. quare non conueniunt uina acria, ut trebianum; neq; dulcia, & crassa, ut sunt quædam uina nigra; neq; uina noua, & austera, aspera, & acerba, nam austera non faciunt ad cibi distributionem; dulcia obstructiones faciunt; acria tentant caput, & neruos. Quæ ergo erunt eligenda? hęc describit Hipp. 3. acutor. 19. & appellat ea alba, tenuia, paucifera, & inodora: alba dixit, ut euitemus fulua: tenuia, ut fugiamus craßa: paucifera, & inodora, ut respuamus acria, & fortia. Aduertendum est hic, quod Gal. in 3. acutor. 8. loquens de uino albo dicit, quod tale uinum nullam habet qualitatem, aliorum uinorum, ut acrimoniam, austeritatem: quare uidetur expoliare omnem odorem, & saporem a uino albo, quod falsum est, nisi esset omphacium, præsertim cum dicat Gal., quod ista uina ubique reperiuntur. Aduertatis tamen, quod expositor male traduxit: dicit .n. textus, quod non habet insignem qualitatem, habet tamen aliquam, licet non sit fortis: quare ubi ait, nullam, addenda est illa particula, insignem: & in hac Pisana patria talia uina commodissima sunt, quæ carent noxis aquę, & uini.

Aduertendum, quod aliquando damus alia uina, sed propter symptomata, non propter febrem: ut in syncope damus trebianum, quod acre est, unde semper uerum est, quod in febribus non damus uina in principio. Sed statim quærendum est, utrum hæc uina sint frigida. Natura .n. monstrat, si consideremus ea, quæ scripsit Gal. in lib. simpl. de uino, quod omne uinum est calidum, & siccum: ex altera parte, in lib. de cibis boni, & mali succi, dicit Gal., quod genus uinorum habet proprietatem selectam ab alijs fructibus: quia alij fructus non sunt adeo uarij, ut alij sint calidi, alij frigidi in eodem genere, ut accidit in uinis; speciatim uero uinum album frigidum eße uidetur ex Gal. 3. acutor. 20., ubi inquit, quod cum dicit Hipp. inodorum, frigiditatem, & inefficaciam significat: idem habet 12. meth. 5. Soluamus hanc quæ-

stionem,

ſtionem, & uideamus primo, numquid aliquod uinum frigidum reperiatur. Scriptores noſtri crediderunt, uerba non eſſe adeo a ſophiſtis penſitanda, ut factum eſt, quare nimis late locuti ſunt. Sed ſciendum eſt, quod quædam uina nullam uini proprietatem habent, ut quæ proxima ſunt naturæ omphacij, quæ non ſunt habenda in cenſu uinorum: quoniam nec ægris, nec ſanis utilia ſunt: quod accidit aliquando ex ſpecie uitis, aliquando ex regionibus, aliquando ex ætate. Ex ſpecie uitis: quia ſunt aliquæ uites, quarum vuæ non ueniunt ad tantam maturitatem, ut acquirant ſaporem uini. In regionibus ſimiliter, ut in Alpibus, & apud Heluetios ſunt vina, quæ non bibuntur niſi poſt multos annos, quia non habent prius uini naturam, ſed eam a tempore acquirunt: quare dixit Gal. 12. meth. de uino ſabino, quod ante ſeptimum annum non eſt bibendum: unde noua, acerba, & craſſa, frigida ſunt, quia immatura. Et ideo ſi latius uini nomen ſumamus, dantur uina frigida: ſi preſſius, quatenus ſunt utilia ſanis, & ægris, omne uinum erit calidum, & ſiccum.

Secunda pars quæſtionis erat de uino aquoſo, utrum ſit frigidum. Dico, quod in genere uinorum, quæ ſunt conſiderationis medici, erit calidum comparatione hominis, quod ſenſu patet: quia circa fauces, & uentriculum, poſt potum ſentitur calor: ſimiliter Hipp. dixit hoc pauciferum, & admiſcet aquam, ut tollat uini noxas, hoc eſt caliditatem: ſimiliter ne tentet caput 7. meth. docet Gal. aquam admiſcere, & in 1. ad Glauc. ultimo, hæc eadem: præterea in cap. citato ad Glauc. dicit, hoc uinum eſſe moderate calidum: rurſus 12. meth. dicit, quod hæc uina non habent ualentem caliditatem: quare omnia calida erunt. Sed quid dicemus ad ea, quæ Gal. dicit in contrarium, ut 12. meth. 5. & 5. de tuenda ualetudine, & 3. alim. facile eſt reſpondere ſtando in fundamento, quod id ſit calidum: quia Gal. non loquitur abſolute, ſed in comparatione aliorum. In 3. acutor. cum dicit, eſſe inodorum, ſignificat ipſius frigiditatem, vult dicere, quod ſit aliorum minime calidum. In 5. de tuenda ualetudine, uerbum illud, iciſta, non negatiue, ſed comparatiue debet accipi, ut dicat exiguum habens calorem: & idem interpres millies deceptus eſt in hac uoce, cum ſemper eam negatiue traducat; vt in 12. meth. dixit, hoc uinum non nutrire, quod minimum nutrire uertendum erat, ideſt exiguum alimentum ferre: omnia enim uina nutriũt:

ſimiliter

similiter 2. aph. 11. & alibi pluries. Iam ergo uidimus, quod uinum album calidum est, sed exiguum habet calorem. Veniamus modo ad propositum, cur Gal. uetet in principio uinum album: dico, quod Gal. non solum in tertiana exquisita, sed in ardente, & phlegmone uiscerum, id uetat, & eodem pacto res procedit in omnibus: ubique .n. dicit, post signa coctionis dandum est, prius uero nocet, ubi morbus crudus est. De phlegmone etiā crudo dicit, quod non dandum est uinum, & in 8. meth. Gal. ex Hipp. dixit, quod in acutis uinum exhibuit, intelligatis concocto morbo. Si ergo & in tertiana exquisita, & ardente uinum dare prohibemur ante coctiones; certum est, quod propter caliditatē, & agitationem prohibemur: quoniam isti morbi sunt ex inflammatione, in quibus exigimus refrigerationem, & attemperationem; uinum uero est calidum, & siccum; ergo minime dandum est. Dices, prodest caussę, dico quod nocebit: quia caussa est calida, & calor augetur, nec licet in principio mouere materia adhuc cruda: quare inutile est, & febri, & caussæ ratione caloris, & commotionis: ubi uero morbus concoqui cœperit, iam cessat unum impedimentum: quia non est amplius timor de caussa, quia iam excernenda est, quod non licebit fieri ante concoctionē: quare tunc uinum iuuabit. At dices, in augmento febris est calidior: dico, quod id potest tunc euacuare multam bilem. Dices, lędit febrem: ad hoc respiciens Gal. dat paucum uinum, sed postquam bene concoctus est morbus, multum propinat, quia multum vacuare contendimus, & non timemus augere caliditatem: quod etiam accidit in phlegmone uiscerum, & patet clarissime, quare Gal. non propinet uinum in principio. At in febribus mitioribus, debet ne exhiberi uinum a principio, ut in tertiana notha, & quartana, ubi non est ardor? dico, quod non potest nobis nocere calore, sed commotione humorum, unde augetur obstructio: quare dabimus in principio, quia multæ ex eo sequuntur commoditates, & pauca noxa. Vtilitates, quia humores sunt crassi, & uinum auxiliatur concoctioni; sed quia timemus humorum commotionem, paucum dabimus multa aqua admixtum, ut dixit Gal. Cum uero apparuerint signa coctionis, plus propinabimus. Et hęc est sententia Gal. 11. meth. 9. ubi post uenæ sectionem uinum propinat, quia multas affert utilitates: & semper intelligendum est in febribus mitioribus, nam inquit, nisi magnitudo

febris

febris obstet, non dabimus; post vero notas coctionis, & audactius, & plus exhibebimus. Aduertendum tamen est, ne nimis austeri videamini, quia oportet respicere naturas hominum: sunt .n., qui abhorrent aquæ potum, vel qui habent ventriculum frigidum, vel sunt in regione, vbi aqua mala est: tunc exiguũ propinare debetis, vt tollatis aquæ noxas, respicientes non voluptatem ægri, sed vtilitatem. Et de hac vini mixtione habetis a Gal. 3. acutor. 39. vbi accepta aqua instillauit pauxillum vini, & dicit se ad vtilitatem, non ad voluptatem ægri id fecisse. Hæc de istis quæstionibus.

De tertiana notha, Cap. XXXIV.

Dicendum nobis est de tertiana notha: morbus hic maxime vulgatus est, & creberrime euenit, quia in omni regione, sexu, & ætate inuenitur: quare naturam ipsius inuestigemus. Dicitur tertiana spuria, & non exquisita, quia fit a bile spuria, & non exquisita, quæ ex admixtione alterius humoris degenerat a sui simplicitate, & admiscetur pituitæ, & atrę bili: & cum admiscetur pituitæ, fit minus calida, & crassior, & minus mordax: similiter cum admiscetur ei humor melancholicus, quod duobis modis fit; uel ut bilis flaua per adustionem transeat in atram, & cum uenit ad illam mutationem, sapit naturam vtriusque humoris, & ideo dicitur humor admixtus; vel fit, vt sincerus humor melancholicus admisceatur bili. Ista habet periodum tertianæ, quia in miscella huius humoris dominatur bilis: quare eius condiciones magna ex parte a bile accipit. Degenerat hæc febris ab exquisita, primo in febris natura: nam exquisita uehemens est; hæc remissa: degenerat & in accidentibus, quia multum distant: degenerat in motu morbi, quia exquisita velociter mouetur ad statum; hæc tarde, & ideo longioris est spatij: sed in ista degeneratione latitudo est; prout .n. magis accedit, uel recedit ab exquisita, fit ut sit magis, uel minus proxima exquisitæ: quod medicus debet aduertere, quia uariatur curatio. hęc de natura febris.

Videamus modo, quomodo hęc ab alijs dignoscatur. Quod ad dignotionem attinet, periodus potest statim demonstrare, quod est in genere tertianarum, quia accedit de tertio in tertium: sed istud

signum fallax est, quia & exquisita tertianæ periodum habet: quas oportet distinguere. Præterea contingit aliquando, spuriã quotidie prehendere: quare cum potius quotidiana tunc videatur, uel tres quartanæ, male ex periodo dignoscetur. At dices, quamuis quotidie accedat, videbo tamen in his correspondere excrescentiam quamdam tertianæ: vt prehendit heri, & hodie, necesse est, quod isti sint æquales in hora, magnitudine, & accidentibus, quæ omnia difficile est simul reperiri, & si reperiantur, ad alia signa cõfugere oportet, quia ex natura periodi nihil certi habemus. Debemus ergo considerare naturam periodi, & primo insultum, qui longe distat ab exquisita: nam exquisita cum magno, & uehementi rigore; hæc cum nullo, vel paruo prehendit: quia natura materiei huius nõ mordet, & lente mouetur ex crassitie, & frigiditate ipsius, sed sentitur vel horror, uel frigus quoddam. Augmentum in tertiana exquisita erat velox; hic est tardum ex natura humoris, qui sui frigiditate serius incalescit. Cõsideremus statum, vbi maximus debet esse calor: si in hac attingamus ægrum, non erit magnus, nec accidentia erunt vehementia, ut in tertiana exquisita, sed omnia erunt mitiora: consequentia statum, ut sitis, uigiliæ, & inquietudines, non inueniuntur talia, sed multum degenerabunt a prioribus. Solutionem considerabimus: in exquisita solutio fiebat per sudorem, per uomitum biliosum, per deiectiones: in hac, aut nulla excretio erit in principio, aut de humoribus uarijs, nec erit sudor, sed fortasse madores aliqui, qui non erunt perpetui, quoniam fiunt ratione copiæ, qua euacuata omnino cessabunt. Considerabimus longitudinem paroxismi, qui in exquisita breues sunt; in hac crassitie humorum, & pororum non laxitate, sed potius obstructione, longiores. Cum hęc considerauerimus, inspiciemus naturam corporis, statum cæli, tempus anni, ætatem: ex quibus poterimus coniectari naturam humoris, qui abundat; vt in sene, & hieme non solent fieri tertianæ exquisitæ, sed potius nothæ. Hic tamen aduertendum est, ne confidatis uno signo, ut in breuitate, aut longitudine paroxismi, & similibus: quia plura simul, aut omnia sunt inspicienda. Sed sciendum, quod in tertianis ponuntur a Gal. quidam termini paroxismorum, unde uaria nomina sortiũtur ex 6. epid. lib. 2. comm. 23. Exquisita, inquit, dicitur, quæ nõ transit duodecim horas: post duodecimam horam multa latitudo est,

& quæ

& quæ magis distabunt, magis etiam ab exquisita degenerabunt: ut exquisita tertiana sit intra duodecim horas; tertiana simpliciter, quæ vsq; ad uiginti quattuor peruenit; protensa tertiana dicitur, quæ inter duodecim, & uiginti quattuor horas continetur: quæ uero vltra viginti quattuor extenduntur, difficile est, inquit Gal., ut soluantur, sed expectant nouam accessionem alterius febris. Vbi uisum est de signis dignosticis, dicamus de prognosticis, & uideamus, numquid hæc periculo careat, nec ne.

Ex una parte uidetur Gal. cum Hipp. sentire 4. aph. 43., quod nulla harum febrium sit cum periculo: vbi scribit Hipp., quod febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, non uacant periculo; quocunque uero modo intermiserint, sine periculo sunt: quare omnis febris intermittens erit sine periculo. Exponit ibi Gal., siue magnam, siue breuem intermissionem fecerint, & siue sint longæ, siue breues: uel quia significatur has non euenire ex mala putredine, neq; ex inflammatione aliqua, unde tuta omnino febris est: uel quia natura potest refici in quiete, cum possimus cibare, & adhibere remedia; quoniam natura habet tempus reficiendi spiritus, & uires. Dixit id generatim Hipp. de omni febre, sed particulatim dixit Gal. de tertiana notha, 6. epid. lib. 2. comm. 23. In contrarium est, quia Gal. 1. ad Glauc. refert historiam cuiusdam adolescentis, qui incidit in magnum periculum, & laborabat tertiana: si hoc uerum est, non statim vbi scimus hanc esse tertianam notham, possumus inferre, quod periculo uacet. Præterea non est uniuersaliter uerum, intermittens uacare periculo: quia quotidianæ periculosę sunt. Dubium primum est, numquid uniuersaliter uerum sit, quod omnis febris intermittens periculo vacet, & sit salubris; priuatim uero, numquid tertiana notha sit salubris. Hipp. 1. epid. 3. dicit, quod diutinæ sunt periculosæ. Respondeo, quod si consideremus rationes Gal., demonstrant intermittentes uacare periculo, sed sequuntur ad has alij morbi, unde fiunt periculosæ. Et de historia illius dicit Gal., quod verisimile est, uel errari ab ægro, uel ab adstantibus, uel si hoc non fiat, debilitantur uires, unde cadit in malam intemperiem iecoris, lienis, uel ventriculi: ex qua uel fiat scyrrus, uel saltem periclitetur æger de cachexia, uel hydrope: quare Hipp. intelligendus est, nisi aliud accidat; quoniam ex longitudine possunt accidere alij morbi, & fieri periculosæ: ut

euenit in quartana quæ ab Hipp. alioqui dicitur saluberrima; ex errore tamen, uel alia de caussa, sequitur aliquis affectus periculosus.

De tertiana notha, utrum sit periculosa: Gal. dicit, quod non, & uerum est ex sui natura, sed potest fieri periculosa, si mutet naturam, ut si fiat continua: quoniam ex intermittente nullus moritur, nisi fiat continua: & continuæ fiunt, aut propter crassitiem humorum, aut propter copiam, aut propter uirium debilitatem; quia tunc materia remanet in uenis, & facit febrem cõtinuam. Fit etiam continua ex concursu paroxismorum, ut si prius erat periodus tertianæ, & periodi quotidie fiant, & iungantur, ut unus superueniat alteri, tunc dicitur continua per subintrantiam, quæ omnes periculosæ sunt, & maxime si sint longe a statu, quia periculum est, ne ante statum uires decumbant. De longitudine, & breuitate ipsius, coniectabimur prius ex longitudine, uel breuitate paroxismi: quia talis est motus unius paroxismi, qualis totius morbi. Considerabimus etiam motum totius morbi, si uelociter moueatur, uel tarde, & hoc ex signis coctionis, & accidentibus: si enim in primis diebus notæ coctionis appareant, breuis erit; si uero tarde, contra se habet. Similiter si ægrum uideatis non adeo symptomatis laborare, & quotidie augeri, signum est breuitatis morbi: similiter in uiribus, ætate, tempore anni, & similibus, longum, uel breuem morbum coniectabimur. Scire autem, quando status futurus sit, a principio non potestis: sed singulos quaterniones spectare debetis; quia si in primo quaternario non appareant notæ coctionis, scimus morbum longum futurum esse: quando autem solutio futura sit, adhuc nescimus, similiter & in ceteris. presentem statum uehementia accidentium indicat. Et notandum, quod non in una accessione, sed in pluribus status expletur: & motus in hac febre solent esse inconstantes, ita ut modo uno hodie moueatur, cras altero secundum materiæ diuersitatem. unde aduertendum est, ne decipiamini in prædicendo. Sed quoniam incidit mentio de iuuene illo, qui apud Gal. laborauit tertiana sex menses, cum loquere-mur de longitudine, & breuitate morbi: cum aliquis suspicari possit, Gal. hunc morbum male curasse, ex hac occasione utile iudicaui, si disceptarem de officio medici, & de ui huius artis, quid possit medicus efficere, si omni diligentia faciat, quidquid potest; ut scia-

ut sciatis, quid polliceri possit, & distinguatis bonos a malis.

Proponimus primo, numquid medicus longos morbos possit breues efficere, nam contrarium facile est, ut breuis ex errore longus fiat. Secundo, quid operetur medicus in sanitate restituenda, num letales morbos, salubres facere possit. Tertio, numquid medicus possit prohibere recidiuas. Hec tria quæsita maxime desiderata sũt, ut medici in prognosticis a calumnia se tueri possint. Ad primum dicimus, quod morbum natura longum, ut scyrrũ, quartanam, & quotidianam febrem, numquam medicus potest breuem efficere: & ratio est, quia statutę sunt medico agendi occasiones, citra, & ultra quas medicus agere non potest, nisi importune, & sine utilitate. Si hoc uerum est, sequitur, quod medicus non possit nisi in tempore determinato agere, & ex consequenti longum morbum breuem facere non possit. Dicebat Hipp. 4. acutor. 20. si quis inflammationem distentam auferre uelit, nihil faciet, & ægri uires dissoluet. Sed potest breuiorem facere, hoc est tempus ipsius abreuiare, ut si relinqueretur morbus naturę, & medicus nihil ageret, morbus esset longior: contra, si medicus operaretur, & naturæ opem ferret, ex Gal. 2. aph. 29.: sic 11. meth. 15. dicit, si medicus euacuet in principio, natura leuata onere, celerius concoquit, & facilius expellit, quod expellendum est: quare medicus iuuat naturam uacuãdo in parte caussam morbi in principio per venæ sectionem, aut per pharmacum, deinde per syrupos, & similia, alterando quod reliquum est, & demum uacuando: & ita medicus potest morbum accelerare.

Secunda quæstio erat, quid medicus operetur circa ægri salutẽ: & pro responsione ad id, sciendum est, quod morborum alij sunt prorsus salubres; alij prorsus letales; alij horum medij, qui dicuntur periculosi, & quo magis accesserint ad alterum extremorum, dicuntur magis, uel minus periculosi. Prorsus letales sunt comitiales, phtisis, & scyrrus in liene: salubres, tertiana exquisita: medij, febres continuæ. Medicus primo operatur, ne salubres fiant periculosi, prohibendo errores, & instituendo optimam uictus rationem, aërem proprium, somnum, & uigiliam, & omnia, quę ad uictus rationem pertinent. Prohibet quoque hoc minuendo caussam a principio, ne fiat morbus magnus, & periculosus: prohibet, ne fiat magnus, accelerando coctionem cum his remedijs, quę conueniunt: potest & medicus periculum tollere,

lere, & periculosos salubres efficere, quod patet opera medici, & his præsidijs, quæ diximus quotidie fieri. Letales vero nullo pacto potest salubres facere, vt si sit morbus magnus, & uires languidæ, iste quamuis toto genere non sit letalis, quia tamen superat uires, letalis est: quare letales non possunt salubres fieri. Hinc manifeste apparet, quod natura morbos curat ex Hipp. 6. epid. lib. 5. tex. 1. & ex Gal. in lib. de sectis 35.

Transeamus modo ad tertium quæsitum de recidiua. Vides ęgrum explicatum febre, postea febris reuertitur, credis forte te errasse, quia aliquid dimiseris, quo recidiua prohiberetur: maxime quod dixit Hipp. si quid remanet, recidiuam facere solet. Ex altera parte, si medicus poßet prohibere recidiuam, damnandus eßet Hipp., qui in epid. scripsit multos ęgros bis, uel ter recidiuam passos eße: quare malus omnino fuisset medicus, si recidiuam non prohibuisset, si prohiberi posset. Vt res hæc soluatur, sciendum, quod recidiua duplex est; alia propria; alia non vera, sed apparens: propria est, quæ sponte euenit: impropria, quę ex errore fit, & non sponte: vt si ægri vento se exponant, uel delinquant in cibo, & potu, siue irascantur, & similia. hæ fiunt ex errore, & dicuntur impropriæ, quia non sunt pars prioris morbi, sed nouus morbus. Et ut sciatis hanc distinguere, cum uidetis ęgrum recidiuare, uideatis primo, numquid erratum sit: & quia, & ægri, & adstantes id negant, uidendum est. Quod si recidiua propria est, ueniet in die iudicatoria, ut in quaternionibus: vt si solutus sit morbus nona die, veniet propria recidiua in undecima, aut decima quarta. Alterum signum est, quoniam si proprie recidiua est, æger non erit prorsus explicatus a symptomatibus morbi, ut sit siticulosus, fastidiens cibum, dolens capite. Condiciones propriæ recidiuæ sunt, ut sit pars prioris morbi, & habeat reliquias illius. Iuniores dixerunt, de essentia recidiuæ eße, vt sit eiusdem generis cum priore morbo: quæ sententia falsa est: sed id tantum satis est, ut sit de caussa antecedenti superioris morbi, & de reliquijs ipsius, ex Gal. 6. epid. lib. 3. comm. 1.: vbi ait, isti recidiuam faciebant, quæ nō erat eiusdem rationis cum priore morbo; & inquit non esse necessarium, vt sit eiusdem rationis, sed satis est, ut sit eiusdem caussę. Et in historia Anaxionis multæ recidiuæ fiebant non eiusdem rationis 6. epid. 3. Habetis ergo, & propriam recidiuam, & impropriam, quæ sit. Et propria du-

plex

plex est; nam altera fit ui morbi; altera vi naturæ, ex Gal. 1. de crisi in fine, & in historia Anaxionis supra dicta: ubi ait omnes illas esse ui naturæ, & non ui morbi: & ui morbi fit recidiua praua, quia morbi maligni delitescunt, & leuantur ægri, & paullo post deterius se habent, quod agnoscit medicus ex Hipp. 2. aph. 27. vbi ait, his, qui præter rationem leuius se habent, non est fidendum: vt si per totum corpus appareant exantemata, & paullo post cessent, similiter & febris, deinde in primo quaternione peiores reuertuntur, ex Gal. 1. epid. 1. quia natura tunc insurgit contra morbum, quoniam caußa deterior euasit. Aliæ recidiuę fiunt ui naturæ, & sunt, quæ fiunt ex morbi reliquijs post bonam crisim, sed imperfectam: quæ crisis explicat quidem præsentem morbum, sed postea reuertitur: quia natura reliquias illas exagitat: habetis ergo tres recidiuas, & stante hac diuisione dicimus distinguendo, quod medicus, quantum sit de prima recidiua, & impropria, quæ fit ex errore, potest succurrere, ne fiat; si & æger, & adstantes medico obtemperent, quod si eueniat, in ægros, & adstantes culpam reijcit. Secundum dictum erat de recidiua, quę fit vi morbi, quam nullo modo medicus uitare potest, quia sic & mortem prohibere posset: & ratio est, quia medicus non dominatur caussis morbi, sed bene morbus dominatur, quia prauus est, & naturę pręualet. Quare id esset maximum prognosticum, si æger sine ratione leuetur, recidiuam prædicere: vnde Gal. in historia Commodi sexti imperatoris, cum uideret eum sexta die leuatum esse, recidiuam prædixit, quia solutio in sexto semper est cum recidiua. In recidiua ratione naturæ dico, quod aut natura fecit crisim symptomaticam, aut tempestiuam, sed imperfectam: si symptomaticam, hoc est importune, & tamen leuatus sit per eam morbus, recidiuam prædicetis: neq; medicus hanc prohibere potest, quia caussæ morbi non sunt concoctæ, & medicus illis non dominatur: Si vero sit crisis tempestiua, sed imperfecta, medicus potest hanc prohibere, quia morbi caussę cōcoctę sunt: sed crisis illa fuit imperfecta, quia non abstulit omnes morbi caussas, quas medicus potest euacuare, & tollendo eas per easdem uias, per quas natura repit, recidiuam prohibere. Quare responsum sit huic quęstioni. Verum adnotandum est dictum Auic. circa recidiuam, ubi inquit, recidiua deterior est sua radice, & nullam huius affert rationem: & hoc vulgariter etiā

dici

dici solet a medicis, quod recidiua peior est morbo principali: Sed ego dico distinguendo, quod recidiua alia leuior est, alia deterior: vt quę impropria est, & fit ex magno errore, deterior est, quia inuenit vires debiliores: quæ uero est ex leui errore, leuior est: quare hæc sententia aliquando uera est, aliquando falsa. Si vero recidiua sit propria vi morbi, quia æger est propius mortem, deterior est: si vero fiat vi naturę, condicio in recidiua est melior, quam prior morbus; quia vtraque fit vi naturæ, siue symptomatica sit, siue imperfecta, & ex ea indicatur naturæ robur. hæc de istis quæstionibus. Agamus de curatione tertianæ nothę.

De curatione tertianæ nothæ. Cap. XXXV.

SI quis tertianam methodo curare uoluerit, in primis aduertat oportet, quod natura huius febris media est inter exquisitam tertianam, & quotidianam exquisitam: quod fit ex humore in ea putrescente, qui medius est, & mixtus ex duobus extremis, ex pituita, & bile flaua, uel melancholia, & tunc erit media inter quartanam, & tertianam, quia sapit naturam utriusque, neq; est prorsus quotidiana, neq; tertiana exquisita. Et quoniam medium habet latitudinem, aduertendum est, quantum utrique extremo appropinquet: potest .n. sapere plurimum tertianæ exquisitę naturam, potest & naturam quotidianę proximam habere, potest & in medio consistere: bilis tamen in hac febre semper exuperat, sed ista exuperantia aliquando maxima est, & tũc accidentia bilis maxima erunt: contra si hęc febris minimum habeat bilis exceßum supra pituitam. Si vultis videre, quantum febris distat a tertiana exquisita, uel quotidiana, attendatis symptomata: vt si sit calor uehemens, & mordax, sitis magna, adscensus citus, & æqualis, solutio cita; hoc erit tertianæ exquisitæ accidens. Accidentia uero quotidianæ erunt calor mitis, & paucus, frigus, & rigor, in principio sitis nulla, turgida facies, sputum pituitosum plurimum, acceßionem longam, & adscensum tardum, & inæquale: quæ cum euenerint, magis accedet ad quotidianam. Accedentes ergo ad ægrum, tangetis pulsum, & calorem ipsius, & interrogabitis, quomodo febris prehenderit, & hac coniectura cognoscetis, tertianę exquisitæ, an quotidianæ magis accedat. Hæc distinctio necessaria est ante omnia, vnde factum

ctum est, vt præcepta Gal., & sequentis illum Paulli, & Aëtij non sint utilia, quia statim nulla adhibita distinctione ad curationem veniunt: inquit .n. Gal., victus ratio talis esse debet, sine ulla distinctione, quæ neceßarißima est. His habitis ad methodum curatiuam accedamus. Proponitur nobis curanda tertiana notha, in qua vniuersali methodo putridarum procedemus, quæ monstrat nobis, & febri, & caussæ, tum antecedenti, tum coniunctæ attendendum esse. febris refrigerari monstrabat, sed in hac non multa erat eius indicatio, sed maior, aut minor, prout magis, aut minus accedet ad tertianam exquisitam. Si febris ualida sit, necessaria erunt actu, potentia, & ex accidenti refrigerantia: si mitis sit, potentia tantum; si adhuc mitior, frigida ex accidenti satis erunt. Cibi in exquisita actu frigidi offerebantur: in hac forte id non opus erit, sed satis erunt potentia tales. Caussa monstrat, ut concoquatur, & euacuetur: uacuatio duplex, alia copiam minuit, alia radicitus caussam tollit: prior in principio facienda occurrit, alia in fine. A minoratiua ergo ordiamur. copiam bilis, quæ est in uenis, minuemus ex Gal. si oportet a principio a missione sanguinis, adhibita distinctione, quam scis: hoc est, ut adsit copia sanguinis, & nihil impediat, impedientia autem omnia propter uires esse diximus: hoc uero fieri debet in principio, quia natura leuata onere, cetera melius concoquit, & excernit. Postea a sanguinis missione consultandum est, numquid purgatio conueniat: in qua re dicemus, quod purganda sunt excrementa ex primis uenis, & intestinis: quod alias alio remedio fit, ut si cognouerimus naturam ægri, quod habeat aliquod peculiare pharmacum, altera die poterit id propinari. Quod si ignoremus naturam ægri, faciemus id per cibum, ut est mulsa, oximel, & mel ros., & his, quæ non multum distant a natura cibi, & de his speciatim dicemus infra. Vbi materia imminuta erit, concoquenda est caussa antecedens, & curandum, ut quotidie putrida excrementa a corpore excernantur. Quod ut aßequamur, instituemus primo uictus rationem: quæ considerat electionem ciborum, quantitatem, & modum. Electio sumitur ex natura morbi, & caußarum; & quantum distat a tertiana exquisita, vel ei accedit, tanto intendenda, vel remittenda est electio. Gal. scribit non esse instituendam victus rationem prorsus frigidam, & humidam, vt supra; sed addenda sunt ea, quæ modum habeant ca-

lefaciendi, & vim incisionis; quia mixtio est cum humore frigido: sed quia bilis semper excedit, calefacientia debent esse talia, vt minus refrigerantia potius dicantur, quam calefacientia. Dat exemplum Gal. de succo ptisanę admixto pipere: succus enim ptissanę, cum frigidus sit, & humidus, acquirit aliquam caliditatem ex pipere, ita vt eius frigiditas remittatur, & adiuuet caliditate concoctionem, & distributionem, quia extenuat: nam impeditur aliquando distributio ex obstructione a crassa pituita: alij cibi erant, si adijciatur radix petroselini, & cinamomum, & piper. De carne non loquitur Gal., sed exhiberi potest ea die, qua febris quies est; quia hæc febris habet aliquando longum statum, vt per mensem duret. Erunt ergo vsui iuscula pullorum, & perdicum, sed quia non adeo erit in hac intentio nostra humectandi, non vtemur lactuca, cucurbita, & similibus. De vini potu non meminit Gal., sed cum non prohibeat, satis admittit: vt a principio parum, & multa aqua admixtum detur, ne commoueat humores: non .n. adeo timemus caliditatem in ista, ut in tertiana exquisita; postea apparentibus signis coctionis, vberius exhibebimus: & vinum tale esse debet, quale supra descripsimus, cum de vini vsu ageremus. De quantitate alimenti dixit Gal., & est pręceptum vtile, vt vbi vires languidæ sint, & morbus coctioni facilis, largior cibus exhibeatur: si vero vires sint fortes, & morbus contumax, parcius cibetur. At dices, si morbus sit contumax, & vires fortes, status multum distabit: quare largius cibare debemus, vt vires vsq; ad statum possint perdurare. Dico, quod vires cibi quantitatem metiuntur, & fortes vires intelligo non solum præsentes, sed etiam futuras: vnde locus ille Gal. intelligendus est, vt vires tales sint, quæ cum ea cibi quantitate ante statum non deficiant. Subiungit Gal. de modo cibandi dicens, non debere nos quotidie, sed alternis tantum diebus cibare, quia altera tantum die adest occasio cibandi: quia in hac febre longa est accessio, ita vt integram diem durare possit: quare ea die, qua febris vrget, non est cibandum. Quod præceptum admittunt omnes verbotenus, & dixi verbotenus, quia re vera non puto vllum horum id in actu practico obseruasse: primo quia non video, cur in die accessionis semel tantum cibare non possimus, quoniam difficile est, quin multo ante accessionem, aut in inclinatione febris, quæ longa est, semel tantum non possimus cibare. Præterea rara

sunt

sunt corpora, quæ sine noxa, & molestia hanc inediam ferre possint: quare melius erit altera die semel cibum dare, eumq; leuiorem, vt succum tantum ptissanæ; altera vero die largiorem. Hæc de victus ratione.

Agamus nunc de medicamentis: quorum alia bibuntur; alia extrinsecus apponuntur. quæ bibuntur, sunt potiones, & syrupi: quæ extra ponuntur, sunt fotus, & similia. Parabimus prius potiones: quarum vnum exemplum posuit Gal., aquam mulsam, in qua coctum sit spica nardi, aut origanum, aut hysopum, & omnia illa, quæ leuiter vrinas moueant: nos quoque ijs vtemur, sed syrupos proponemus, quibus communiter vtimur. Cum intentio sit refrigerare, attenuare, & urinas mouere, faciemus syr. ex oximelle, aut acetoso, vel melle ros. verbi gratia: rec. oximellis simplicis, aut compositi, aut acetosi de rad. mellis ros. an. unc. I. quod si maior intentio sit incidendi, oximel in maiori quantitate, vt vnc. I. ß. & rodomel minues: contra si vis magis abstergere, & aluum ducere, addes quantitatem rodomellis, & minues oximel. Decoctum præparabimus ex his, quę relaxent, & tollant obstructiones, vt est petroselinum, hysopum, & origanũ: quas potiones metiri debemus ex caussarum natura, vt si bilem magis respiciat caussa, adijciemus ea, quæ refrigerant, vt intubum satiuum, aut agrestem: & si caußa contumax sit, exhibebimus fortiora, vt est syrupus bisantinus, qui cum aceto conficitur, & habet maiorem vim incidendi, nam conficitur & sine aceto, quo vtimur in corporibus, in quibus suspicio est de aceto. Secundus est syrupus diarodon, cuius vsus est, cum hæc febris ad malum habitum perducit, vt uis concotrix vitietur, & appareat malus color: quia vis huius est roborare membra naturalia, & vrinas ducere. Aliqui vtuntur syr. de hysopo, qui habet eamdem vim cum hysopo: incidit .n. & mouet vrinas. Aliqui vtuntur syr. ex eupatorio, qui modo non paratur. Ego vero non multum confido in syrupis, sed potius in decoctionibus, in quibus veges est vis. In hoc eodem tempore, hoc est ante concoctionem, vtendum est perpetuo clismatis alternis diebus, quæ respiciant vtramque caussam; nec debent esse, vt inquit Gal., adeo mollia: quod præceptum valde generale est, quoniam acredo multam habet latitudinem: quare si caussa contumax sit, vtimur decocto cumini, vel anisi, uel feniculi, & decocto mellis admixto: vt mellis vnc. VI.

& sales, & olea, quæ proritare poßunt. hęc sunt acriora. Mitiora sunt ex camomelo, malua, quę minus etiam habent mellis, & salis: semper tamen ægri naturam, & caussam respicere debemus; concoctionem etiam per extrinsecus admota respicere debemus: quæ duplicia sunt, alia quæ priuatim præcordijs admonentur; alia, quę toto corpori. Gal. de his dixit, quod quies, & calfactio præcordiorum iuuat, nec vlterius addit. In primis pro declaratione loci, fotus dicuntur, qui fiunt ex materia actu, & potentia calida: vt qui fiunt ex camomelo, ex radice lilij: præcordia hoc loco intelligimus omnia viscera, quę sunt sub septo transuerso, vt iecur, lien, & ventriculus. Scribit ergo Gal., quod fotus, & quies iuuat; materiam tamen, & modum vtendi horum non dicit, diminutus ergo est, nec vllus expositorum quidquam de his dicit. De quiete locum habet Gal. ex Hipp. 4. aph. vbi inquit, quiescere in molli lecto: quam sententiam habetis 4. de tuenda sanitate, vbi vult, quod humores crudi sanentur somno, quiete, & inedia: vult ergo Gal. quod iaceant in lecto, & non exerceantur; quia in cruditatibus exercitium non est vtile, sicut nec frictiones. Fotus prȩcordiorum indicantur prius a debilitate concotricis viscerum, quia eorum calor est diminutus a febre, & abundant cruditatibus, vnde debilitatur eorum concoctio, at cura febrium maxime est concoctio: quare robur harum partium iuuare debemus, vt concoctio felicius fiat; sed fotus id faciunt, quoniam iuuant concoctionē cibi, & cruditatem humorum: eliquant .n. illos, si crassi sunt, & suo calore extenuant, vnde facile a naturali calore vincuntur, & si humores illi vtiles sint, sibi eos natura assimilat; si inutiles, expellit. Similiter si in visceribus obstructio est, aperiunt eam, liquando, & deijciendo humores: iuuant etiam, quatenus relaxant meatus viscerum occlusos, & primo quia difflantur, & insensibiliter euacuantur, si qua excrementa in illis collecta sint. Aliud commodum est procurata transpiratio, quia calor viscerum obstructis meatibus fit præter naturam: vnde peior fit concoctio. Hæ sunt maxime necessariæ vtilitates huius febris, quia hęc comparatione earum, de quibus diximus, maxime abundat cruditatibus. Occasio horum vtendorum est, vt diximus supra, vacuato corpore ab aliqua parte excrementorum: quia si vniuersum corpus excrementis abundet, nocebunt potius, quam iuuabunt ex Gal. 11. meth. & hę præce-

dentes vacuationes non solum esse debent per ea, quæ superius dicta sunt, sed per inediam, & similia: quare post decimum quartum solum fotibus vtendum erit. Materia horum erit, vt diximus, generatim calida, vt aperiat, & resoluat: priuatim vero, numquam priuata sit aliquo adstringente maxime in visceribus: nam ex puris relaxantibus debilitatur uis illarum partium: sed de his alias. Mixtæ ergo facultatis erunt: vt uerbi gratia, rec. oleum ex camomelo, & dimidium olei absynthini, aut ex spica nardi, quæ simul mixta calefiant in aqua in duplici vase, postea accipiatur panniculus, & mergatur in istis oleis, & applicetur ante cibum, ita ut æger tota die ungatur illo panniculo. Secundum medicamentum erit, ubi æger cingi non vult, oleum spicatum cum camomelino, & inijciatur drach. 1. ſ. mastices quam pinguissimæ per unc. 1. oleorum, quę mastice dissoluta oleum crassius reddit, vt possit diu uisceribus hærere. Succedunt ea, quæ extrinsecus toto corpori admouentur, ut relaxantia, de quibus diximus in vniuersali methodo: quæ conuenire diximus post uniuersalem uacuationem totius corporis, cuius materia calida est actu, & potentia, vt oleum ex aneto, & camomelo: & vtimur hic simplici materia, quia non est indicatio a partibus, & hoc, ut excrementa putrida a corpore transpirent, & calor innatus uentiletur ex purgatis poris. His extrinsecus utimur usq; ad statũ.

Iam perueniamus ad uigorem morbi, qui cum aduenerit, considerare debemus naturæ opera, ut eam imitemur, quæ uel aliquid, uel nihil operatur circa morbi caussas. Si quid operatur, ea via medicus ducere debet, qua natura ducit ex Hipp. in aph. vt si ad aluum procliuis est, per clismata, & deiectoria medicamenta succurremus: si ad uomitum, vomitum promouebimus: similiter de sudore, & vrina. Sed aduertendum est, quod naturam adiuuamus, cum scimus motum illum naturæ non satis esse, & cogimur tunc, cum natura non sufficit, per alias uias eam incitare: quia natura uno impetu totam materiam non expellit. Et caussa est, cur natura uno motu totã materiam non possit expurgare ex 10. meth. ad finem, & ex lib. de constitutione artis, quia nisi crisim faciat, numquam per unam tantum uiam expurgabit totam materiam, quia per uiciniora facilius expurgat: ut quę sunt sub cute per sudores; quę in intestinis per secessum: & sic de ceteris. Sed in hac febre natura non facit impetus uehementes, ideo non

debetis

debetis exſpectare criſes: quia criſes fiunt in magnis morbis, ut exempli gratia, ſi natura excernit per ſudores, non debemus ſudoribus tantum fidere, ſed per aliquot dies ſudores mouebimus: poſtea tentabimus alias uias, ut urinas, uomitum. Quod ſi natura nihil operatur, medicus omnem expurgationem aggredi debet, & maxime quæ per aluum fit, mox quæ per uomitum, demum per ſudores, & urinas. Et quia prius per aluum incipimus, dicamus primo medicamenta aluum mouentia: & incipiamus a medicamento Gal., qui dicit poſt ſeptimam propinandam eſſe comam abſynthij: ſed quare dixit præcipue poſt ſeptimam. Videtur hic modus loquendi empiricus, quid nobis præſtat ſeptima dies, cum ſuperiore capite dixerit, cum apparent ſigna coctionis, numquid ſeptima die apparebunt ſigna coctionis? tamen iuuenis ille, qui laborabat tertiana notha quattuor menſes prꝫterijt ſine ſignis coctionis. Dicimus, quod Gal. non exacte hic locutus eſt, quia ſcribebat ad Glauc., qui callebat artem medicam: vnde ſatis erat illa in memoriam ei reuocare: ſed hanc ſententiam habetis a Gal. 4. aph. 62. vbi dixit, quod regius morbus, ſi ante ſeptimã diem eueniat, peior eſt: dicit ibi Gal., quod per ſeptimam diem intelligendum eſt exactam coctionem; non quia neceſſe ſit, ut ſtatus ſit in ſeptima, nam & in quarta, & in quinta ſigna coctionis apparent: ſimiliter in hoc caſu intelligendum eſt, quod forte plurimum contingebat tempore Hipp. ex uictus parcitate; noſtra uero ætate vlterius protrahuntur, cum craſſioribus humoribus ſimus referti. Senſus ergo Gal. erit ultra ſeptimam, ideſt cum apparuerint ſigna coctionis. Habet abſynthium uim ducendi bilem per aluum, & per urinas: ſed quando erunt completæ coctiones, utemur fortioribus auxilijs: Gal. tamen dicit leuiter mollientia aluum, quæ non ſunt ualidiſſima. Dedimus nos in noſtra methodo tres medicamentorum ordines: & ego uos moneo, ut ſemper in febribus expaueſcatis fortiter aluum ducentia, quia lædunt potius, quam iuuent: & in hoc caſu debent eſſe medicamenta, quæ pituitam, bilem, & melancholiam, ſi adſit, euacuent. Speciatim uero medicamentum primum eſt ex rhabarbaro, & agarico compoſitum: rhabarbarum .n. vtrumque humorem reſpicit, ſed magis bilem; agaricus uero utrumque etiam, ſed magis pituitã: ut accipiatur rhabarbari drach. I. quæ erit media doſis, agarici ſcrup. II. contundantur, & admiſceantur, & addantur zinziberis

beris scrup. I. *spicę nardi scrup. s. hęc simul mixta infundantur in liquore aliquo : & est uinum album, tenue, aqua dilutum, si magis bilem respicimus; si uero pituitam, oximel dilutum, vt oximellis unc.* I. *quod si paruum detur tempus, ut non possitis tardare, per duas, aut tres horas, excalfacietis ad ignem, & exprimetis, & propinabitis; si tempus adest, infundetis per decē horas.*

Secundum medicamentum est, in quo accipimus ex molliente, & soluente: ex molliente, ut ex primo genere cassiam, mannam, diacatholicon: ex secundo genere diaphenicon, electuarium de succo rosarum: lenitiui accipiatur, ut diacatholiconis unc. I. *diaphenici unc. s. aut electuarij de succo rosarum drach.* II. *dissoluantur hæc in decocto anisorum, cinamomi, & passularum: quod si debeamus respicere melancholicum humorem, adiūgemus pro lenitiuo diasenæ, & addemus diaphenicum, & in decoctione accipiemus florum borraginis, & uiolarum polipodij, & senæ an. drach.* I. *quæ coquantur ad sufficientem quantitatem, & dissoluatur medicamentum. Quod si ęger potiones fastidiat, catapotia faciemus, quæ sint earumdem uirium, ut rhabarbari drach. s. aut scrup.* II. *agarici scrup.* I. *quod si æger ex his sit, quorum corpora non facile ducantur, addemus diagridij, quod est scamonium præparatum gran.* II. *uel* III. *hoc unum addendum est, quod vbi non ponitur aloë in catapotijs, additur mel, ut simul cōsistere possint. hæc de deiectorijs medicamentis. Clismatis etiam ducenda est aluus, & vt non solum ex intestinis, sed ex toto corpore excrementa ducamus, quæ sint ualidarum uirium: ut si diues sit ęger, in decocto inijciemus rhabarbarum, & agaricum: quod si pauper sit, assumemus aut agaricum solum, aut diaphenici unc.* I. *aut hierę picrę unc.* I. *aut unc.* I. *s. Hęc sunt clismata, quibus utimur in fine morbi.*

Succedunt uomitus, de quibus Gal. in fine cap. dixit, quod multum iuuant : ita ut æger ex his solis sanetur, & hi post cibū faciendi sunt; quia pleno uentre facilis est uomitus, non .n. uentriculus adeo tolli, & comprimi debet, quemadmodum cum est uacuus. Oportet autem ægrum prius large cænare, & uarios cibos, ut excrementa, quæ hærent uentriculo, extenuentur, & facilius euacuentur: & id post cenam per spatium semihorę faciendum est his remedijs, quibus vulgo omnes utuntur, immissis .s. digitis, uel penna in ore. Vult Gal. per uomitum totum corpus

euacuari,

euacuari, aliter non sanati essent, qui uomitu vsi sunt, ut inquit ipse. Sed uomitus non uno impetu, & sponte sua potest expurgare, nisi quæ in intestinis sunt: quare iterato hoc remedio natura insurgit per eam uiam, quæ sibi parata est, & per quam excrementa feruntur, unde totum corpus euacuatur, & non quod uomitus attrahat ex uniuerso corpore. hæc de uomitu. Sed quia istæ febres longas habent declinationes, unde multo auxilio medici opus est: restat, ut dicamus de his, quæ faciunt uarias excretiones, ut quæ urinas, aut sudores, aut vtrumque mouent. Incipiamus ergo a potionibus urinatiuis, & sudorificis, & quæ aluũ molliunt: quorum exemplum est syr. de cicorea comp. uel de cicorea Niccoli, constat hic ex succis refrigerantibus, & aperientibus, & rhabarbaro, quod mollit aluum; hinc fit, ut extergat, & refrigeret: extergit enim ratione sonci, & capilli veneris, & cichoreæ: prouocat urinas, & sudores ratione appij: aluum mollit ex rhabarbaro. Mediocris ipsius dosis est ab unc. I. usq; ad sex quiunciam: hoc utimur in declinatione morbi usq; in finem, & maxime in pueris, in quibus non licet uti fortibus medicamẽtis. Tempus propinandi est mane longe ante cibum. Secundum medicamentum est ex succis, quo utimur in longis febribus post signa coctionis: ut succo appij solo, quando non attendimus maxime bili, sed febris frigida est, quod exprimimus, maxime siluestre, & sinimus residere, & utimur parte ipsius clariore: puta unc. IIII. cum unc. I. sacchari, aut mellis: utor ego, & succo appij admixto cum succo cichorij, ut appij pars una, cichorij dimidium, quæ contunduntur, & succus eorum propinatur. Si autem humor melancholicus iunctus sit, addimus folia, aut radices borraginis: buglossum .n. habet vim ad febres longiores, quia remittit siccitatem, & calorem membrorum, & inquiunt illi inesse uim lætificandi.

Tertia potio constat ex camomelo, quam antiqui febrifugam appellabant, de quo mira testatur Gal. in 3. de simplicibus med. ubi ait uim illi inesse tollendi febres tertianas exquisitas, & nothas post signa coctionis: iuuat .n. rarefaciendo, & remittit ea, quę tensa sunt a flatibus, & obstructionibus: iuuat pręcipue uiscera, quia tepido suo calore concoquit excrementa: parat denique corpus ad excretiones, quia concoquit, & extenuat: & ideo uis illi inest tollendi febres, quarum caussæ sunt concoctæ. vsus

eius

eius hic est; occasionem .n. habuistis mane ante cibum, & post concoctionem. Modus vtendi duplex est sicco prius humido, vt cum sunt flores virides, carpimus, & siccamus cauentes eos a puluere, & in pollinem redacti trocisci conficiuntur cum vino veteri flauo, & propinantur similiter ex vino; aut si febris calidior sit, & æger uinum fastidiat, detur ex aqua mulsa: cuius dosis est drach. I. aut drach. I. ſ. Aßeruantur etiam hi flores, & infunduntur in aquam mulsam ad vesperas, & ad ignem ponuntur, quousque instet tempus feruefactionis, & demuntur ab igne, & propinantur ante cibum per tres, aut quattuor horas mane, & uespere, a quibus prouocantur sudores, & urinæ. Post hæc sunt trocisci, quos latini pastillos uocant: redigunt .n. pulueres in formam lupinorum, ne eorum uis euanescat; vt sunt trocisci diarodon, trocisci de rhabarbaro, de eupatorio: dosis horum est a drach. I. vsq; ad II. propinantur mane longe ante cibum ex vino albo veteri, aut ex aqua mulsa: debent .n. prius in puluerem redigi, deinde inspergi uino, aut aqua, & calida propinari; hi .n. uim habent extenuandi, & parandi excretionem: adijciuntur sibi, quæ aluum cient, ut rhabarbarum, & quæ roborant membra, ut mastice, & rosa, & similia adstringentia. Tertium medicamentorum genus est electuaria, quibus eædem vires sunt, & in hac febre maxime conueniunt; vt electuarium diarodon abbatis, quod est maxime in vsu: roborat .n. uires, aperit obstructiones, ducit vrinas, & sudores, & putrida excrementa corrigere potest: dosis est ab unc. ſ. usq; ad drach. VI. propinatur mane ante cibum per tres horas. Quod si admisceatur aliquid, quod distributionem iuuet, melius erit, puta si mulsam, & uinum uetus, & flauum æger superbibat. Conficimus medicamentum sic: electuarij ex diarodon vnc. II. trociscorum de rhabarbaro drach. II. formetur in formam electuarij, uel iuleb cum syrupo de cicorea. Aliud exemplum est, cum his omnibus adiungimus ferri scorium, & accipitur, quod calibem uocant, quod frigitur in sartagine adiecto aceto, deinde siccatur ad ignem, & in æream pilam rursus contunditur: quia est medicamentum pigricans in operatione, id eo melius quam potest, apparari debet. Accipimus ergo limaturam calibis, cum electuario diarodon. Et hæc de medicamentis, quę in tertiana notha in censuram veniunt: sequitur de quotidiana.

De quotidiana febre, Cap. XXXVI.

PRoponitur quotidiana febris, quę in primis uidetur a periodo nomen eſſe ſortita: ſed decipietur aliquis, ſi credat omnem febrem, quæ quotidie reuertitur, eſſe quotidianam; quia non ſatis eſt inſpicere periodos, quæ non aperiunt febris naturam. ſi enim tertiana notha quotidie accedat, ut ſæpe ſolet, non erit hæc iudicanda quotidiana: ſimiliter ſi tres quartanæ eueniant, quotidie accedent, nec tamen erit quotidiana. quare hoc non multum generale eſt: vnde aliter huius febris naturam inueſtigabimus. Principium inuentionis erit conſiderare, quod febris eſt in genere caloris, & quod calor differentias ſortitur ex materia: alias .n. mitis eſt; alias mordax; alias uehemens; alias lenis: ſic & quotidiana naturam ſortietur a materia, a qua fit. Fit hæc ex putredine pituitæ. Ceterum pituita multiplex eſt; alia .n. dulcis dicitur, & eſt maxime ſecundum naturam, & proxima ſanguini, quæ in longioribus inedijs in ſanguinem permutatur: alia ſalſa huic contraria; alia acida, & demum uitrea, quę eſt omnium craſſiſſima, & frigidiſſima. Cum tot ſint ſpecies, num ex omnibus fit quotidiana exquiſita? dico, quod ex pituita ſalſa non fit quotidiana exquiſita, quia eſt humor calidus, & ſiccus, ex quo quotidiana fieri non poteſt: ſed ab ea ardentem fieri diximus, ſi in determinato loco putreſcat, quæ eſt quotidianæ maxime aduerſa. Quare ſi ſalſa pituita putreſcat, & non faciat ardentem, quia a ſua natura degenerabit, faciet quotidianam notham: ab alijs vero fit quotidiana exquiſita, ſed maxime a phlegmate dulci, quia facilius putreſcit: fit etiam ab acida, ſed raro, quia acidum ſerius putreſcit. vitreum quoq;, quia ratione frigiditatis raro putreſcit, raro febrem accendit. quoniam quæ putreſcunt, a calido putreſcere dictum eſt. Patet ergo, quæ ſit natura huius febris, & a quo humore fiat. Sed quia Auic. duas harum ſpecies ponit, nocturnam, & diurnam: videamus, quid velit Hipp. 1. epid. lib. 3. cap. 6. & 2. & rurſus 3. epid. lib. 3. tex. 64. vbi dixit, quod nocturna febris eſt, quæ noctu incipit, & interdiu intermittit; contra diurna. Has differentias accipit Auic., vt ſint ſpecies diſtinctæ: ſed grauiter errat, quia iſta ſunt accidentia quotidianarum, quæ faciunt modos tantum diuerſos, ad præcognitionem

nem

nem tantum a medico considerandos. Subiungit Hipp., quod nocturna longa est, nec admodum letalis; diurna uero est longior, & desinit plerumque ad tabem; vnde habetur prognosticum; prima .n. non omnino uacat periculo, & longa est: secunda uero est plerumque periculosa, quia tabes est exitialis. Et diurnę quotidianæ sunt longiores, & ad tabem ducunt: quia accessiones habent longiores; nam incipiunt interdiu, & habent principium, & augmentum longum, vnde status erit longus, remittetur uero in nocte, & cessabunt, paucis tamen horis, cuius ceßatio non est tuta, vt dicemus. Et ideo longiores sunt, quia in nocte densatur corporis habitus, unde contrahitur in viscera calor putridus, nec transmittuntur putrida excrementa: vnde longior fit accessio, & minus est quietis, & æger magis affligitur, & ad tabem ex longitudine perducitur. Secunda ratio est, quia cogimur errare in victu: cum .n. remissio sit in nocte, ea hora cibare coacti sumus: quia instat noua accessio, & cibatio illa cum sit pręter consuetudinem, intempestiua est. Aliud incommodum est, quia æger uigilare cogitur, vnde ualde debilitatur, & hoc, ut eum cibemus, vnde contabescit: quia non cibatur in debito tempore, & uigilat, quod non euenit in nocturna. hæc de nocturna, & diurna apud Hipp. Dicet quis, quare hæ differentiæ ad quotidianam tantum pertinent, & non ad alias, cum per definitionem, & alijs febribus tertianis, & quartanis contingere uideatur? Præterea quæro, numquid si in alijs febribus id eueniat, par periculum nobis afferat, ac si esset inter quotidianas: uidetur .n. eße par ratio omnium. Respondetur has differentias esse soltus quotidianæ, quia in alijs non necessario eueniunt: phlegmatica enim necessario est, aut diurna, aut nocturna; reliquæ neutrum esse possunt, quia eadem die possunt incipere, & finire, quia accessiones breuiores sunt: phlegmatica uero, quoniam minima eius febris est 18. horarum, necesse est, ut sit diurna, uel nocturna. Quod si eueniat, ut tertiana perpetuo incipiat interdiu, & partes noctis occupet, quod esse potest: vt si incipiat a meridie ad uesperam, necessario finiet in nocte; num ergo ea erit periculosa, ut quotidiana. dico, quod non; quia condiciones, quæ faciunt quotidianam periculosam, non faciunt ad tertianam, uel quartanam, quia in his non erratur in cibatione, ut in illa; quoniam possumus cibare in die, & in nocte dimittere, ut dormiat, quia sequentem diem quietum ha-

bebimus: at in quotidiana ex instanti accessione, nocte cibare cogimur.

Quotidiana naturam habet tertianę exquisitę contrariam: quare plurima signa contraria habebit, quod inueniemus, considerando naturam febris, & ægri, & externa. Circa naturam febris, primo consideramus principium: quod est cum valida refrigeratione sine horrore, & rigore; nam horror erat symptoma tertianæ nothæ, rigor exquisitæ, in hac est frigus vehemens: quia est materia frigidissima, & fortis, quia non facile calescit. In principio huius sunt pulsus summersi, & languidi, & obscuri: quia calor in his obruitur a frigiditate. Fit somnus in principio inexpugnabilis: quia fit magna reuocatio caloris ad interna propter frigus, vnde cerebrum quoque refrigeratur, & in capite frigus percipitur. In augmento primo est inęqualitas plurima pulsus ex omni genere inæqualitatis. Fit etiam inæqualitas in augmento, quia videntur aliquando calefieri, & paullo post sentiũt se refrigerari: quod accidit ob inæqualitatem humoris, qui difformis est in sui substantia, quia aliqua portio tenuior est, aliqua crassior. In statu consideramus accidentia ipsius, quantum remota sint ab accidentibus tertianę: nam calor in tertiana erat tactus caloris vehemẽtissimi, in hac vix sentitur: nisi diutius admota manu. Habet etiam aliam condicionem, quod non est ęqualis calor in tota cute; sed videtur transcolatus, vt ex cribro: quod etiam fit ex inæqualitate humoris, alius .n. alio celerius accenditur. In statu tertianę exquisitæ erat sitis vehemens; hic autem, aut nulla est, aut pauca, quia humor est frigidus, & humidus. Consideremus postea solutionem, cum hæc habeat omnia tempora longa, & declinatio erit huiusmodi; sed numquam est exacta, quia semper sentitur frigiditas in pedibus, & inæqualitas pulsus, vnde numquam integre soluitur, supersunt .n. semper plurimæ febris reliquiæ. Præterea hic non est vomitus biliosus, sed si quid excernitur, est pituita, & plurima saliua, & similiter per aluum pituitam deijciunt. Vrina circa primos dies pellucida est, & alba, ut ostendat procul abesse coctionem ex cruditate humoris. Nec credendum est ijs, qui volunt species febrium per vrinas distinguere ex Gal. 2. de cris. cap. 6. vrinæ .n. quartanæ, & quotidianæ in principijs similes sunt. Hæc attendenda sunt circa febrem, quæ si exquisita sit, vix fieri potest, quin dignoscatur,

gnoſcatur, quia habet notas tertianę exquiſitę contrarias: quod ſi admixta ſit cum alio humore, habebit notas aliquas minus exquiſitas. Sed pro pleniori notitia debetis addere ſigna ex natura ęgri, ex ætate, & victus ratione, quæ præceſſit: conſiderabitis & habitum corporis, & calorem ex 12. meth. cap. 3. vbi deſcribit eum, qui febricitabat cruditate humorum, & erat quotidiana cum dolore ventriculi. Intumeſcit præterea venter, & manus, ex flatuoſo ſpiritu. Conſiderabimus ætatem, quia fit plerumque in pueris, & ſenibus; in pueris ex inordinato victu; in ſenibus ex cruditate. Sexum præterea ſpectabimus, quia ex otio magis contingit feminis, quam viris. Anteacta uita etiam indicat, ut ſi conſueti ſint pituitoſos cibos comedere, ut lacticinia; & plurimum ſe lauerint, & degerint in regione frigida, & humida, quæ omnia quotidianam indicant. Ambiens præterea ſi frigidus ſit, & humidus, idem atteſtatur. hæc de agnitione.

De prognoſtico pauca dicemus: & primo de longitudine, conſiderando ſtatus diſtantiam, quod ex motu morbi dignoſcitur, & ex coctionibus: quæ ſi tarde appareant, & motus morbi ſit tardus, longus erit morbus; contra, ſi cito appareant coctiones, & morbus velox ſit. Quod ad exitum morbi pertinet, periculum habetur ab Hipp. qui dicit, quod hoc genus febris eſt periculoſum, & tam diurna, quam nocturna ex longitudine ipſius, & quia continuis vicina eſt: quoniam eius intermiſſio, uel parua eſt, vel non integra, ſed obſcura.

Accedamus ad curationem: primo conſiderabimus morbi cauſſas, & in his qualitatem, & quantitatem: cauſſa eſt pituita, & cruditas ipſius. Quantitatem conſiderabimus, vt quam proportionem habeat ad ſanguinem, num parum, aut multum excedat: & hęc copia crudorum conſideratur, qualis ſit, quia plures ſunt ſpecies pituitæ; alia .n. eſt propinqua ſanguini, vt dulcis, alia remota, ut uitrea, ſalſa, & acida, quia fiunt ex corruptione. Conſideramus poſtea vires ægri quantæ ſint, & non modo preſentes, ſed quales futuræ ſint ante ſtatum. Primum ergo ſi adeſt copia in uenis, auferenda eſt, quia aliter non tuto alia medicamenta propinamus. At crudus eſt humor, num ergo conuenit venam ſecare? dico, quod non ſimpliciter eſt reſpondendum, ſed cũ diſtinctione: ſi .n. magna ſit copia crudorum, ut excedat ſanguinem, dimittemus uenę ſectionem, & maxime ſi copia illa ſit uitioſa

tiosa qualitate, & id propter vires: quia non tuto minuitur sanguis, præsertim si ęger sit senex, & media hiems. Si uero excessus non sit multus, & qualitas sit proxima naturæ sanguinis; tunc mittemus sanguinem ex Gal. in lib. de uenæ sectione, quia in copia crudorum humorum mittit sanguinem, similiter in 12. meth. si uires robustæ sint: quia tunc crudus humor non potest sanguinem excedere. At dicetis, habetur quod humores ultra naturam sanguinis non sunt euacuandi, sed concoquendi, cur ergo est necessaria uenæ sectio? dico, quod & si copia per inediam concoquatur, si tamen illa copia sit tanta, vt natura grauetur, nec possit tantum concoquere, minuenda est: quia tunc natura melius se habebit ad reliquum. Præterea non omnis pituita coctionem recipit: ut dulcis concoquitur; salsa uero, acida, & uitrea non concoquitur, cum sint remotæ a natura sanguinis: quare sanguinem mittere cogimur. Gal. non meminit missionis sanguinis, quia in eo libro ad Glauc. remittit nos ad methodum vniuersalem, & in hoc casu raro accidit, ut mittatur sanguis: quia plerumque euenit pueris, & senibus, & in regione, & aëre frigidissimo.

Instituenda modo est uictus ratio, per quam, siue missus sit sanguis, siue non, copiam minuamus. At quo modo id fiet? num in abstinentia ægrum detinebimus, quia cum quis utitur tenui uictu, plurimum pituitæ in alimentum consumitur: quod est præceptum Gal. 12. meth. 3. & 4. cum vult detinere ægrum sola mulsa, cum ęgrotat humorum cruditate. Auic. in hac re multum prolixus uidetur. Quod utrum expediat, uidebimus infra: non .n. conuenire uidetur, quia cum morbus longus sit, non potest æger propter uires vsq; ad statum cum tenui uictu detineri. Gal. tamen uidetur oppositum præcipere 4. de tuenda sanitate, & loco supra citato, ubi inquit, quod per inediam concoquitur crudus humor, & natura conuertit illum in alimentum, ut contingit in animalibus, quæ hieme sub terra sine cibo degunt. In 12. methodi 13. vult Gal., quod sola mulsa detineatur æger, & subiungit, quod nisi in tertia die noui aliquid appareat, vsque ad septimam eodem uictu vtendum est; & hoc, ut euacuet copiam, quia statim dixit, quod talis copia non potest uacuari per uenæ sectionem, quia debilis est virtus; nec per pharmacum, quia ijs multa mala parit. Abstinentia ergo utemur in principio. Auic.

vt diximus, in cap. de quotidiana dubius esse uidetur in hac re, uidetur tamen huic sententiæ potius adhærere: quid nos dicemus? si huic sententię hæreamus, habemus contra regulam, & efficax argumentum, quod uictus ratio in principio instituatur respectu status distantiæ ex Hipp. 1. aph., quod si status longe distet, non debet a principio tenuis uictus imperari, ne in statu pleniorem exhibere cogamur: contra, si status uicinus sit. At in hac febre longus est status, ut aliquando ad duos menses extendatur: quo modo ergo in principio uti poterimus abstinentia. cogemur ergo, aut in principio febris crassiorem uictum imperare, aut renutrire in statu: quid dicendum in hoc casu? hæc est maxima quæstio, & in hoc dubij sunt maximi uiri. Dicimus nos, quod si uires tolerent, necessario cogimur in primis diebus abstinentiam imperare: ita vt aut parum, aut nullum victum, si uires consentiant, exhibeamus; quia aliter horum humorum copiam minuere non poßumus, cum non habeamus ad hoc aliud instrumentum. Ad arg. cum dicitur, quod status est longus, & pessimus est error incrassare uictum prope statum: dico distinguendo, quod morbi uel habent principium breue, uel longum; breue habent acuti, longum diutini, ut quartana, & quotidiana. Secundo supponendum, quod tenuis uictus multis de caussis imperatur: primo, ne natura a nouo cibo auertatur a morborum causæ concoctione; secundo, vt copia crudorum humorum uacuetur, ut natura leuata onere reliquum citius concoquat, cum sępe hi non possint deiectione expelli, unde tormina fiunt, & similia. Alia ratio est, quia cum ægros a cibo abstinere cogimur, calor naturalis vtitur his humoribus pro alimento, & eos concoquit. Si ergo inediam imperamus in statu; id facimus, ne naturam ab opere suo diuertamus: si in principio, ut copiam minuamus. Quare in phlegmone, & similibus in principio inediam imperamus, ut tollamus, ne humorum fluentium copia augeatur: quare & in principio, & in statu poterimus uti inedia. Cum dicis, ergo in principio tenuiorem uictum exhibebimus, quam in statu: dico, quod longum est principium in his febribus, & in prima parte principij id facimus, vt copiam minuamus. Quod si uideamus uires non tolerare vsq; ad statum cum tali uictu, in secunda parte principij vberius cibamus, cum copia minuta sit; postea uero in statu minuimus: & non in hoc casu tantum id faciendum est,

sed

sed in phlegmonis omnibus, similiter & in quartana in principio principij ægrum abstinentia detinebimus, & in eodem principio vberius cibabimus, vt possit vsq; ad statum perdurare. Et sic vera erit vtraque sententia.

Quo ad electionem ciborum, debent eße ex Gal. calefacientia, & incidentia, addatis & detergentia: exempla particulatim non ponit Gal., in primis tamen diebus potiones propinabimus, si ęger sit deliciosus, vt mulsa, uel oximel, & mulsa debet eße meracior, vt duplum sit mellis, vel sacchari ad aquam, & si utamur oximelite in lib. I. aquæ sint vnc. III. aceti, & sex mellis. In hac febre conferunt duo genera piperis, quia sua calefactione ad concoctionem, & distributionem præstant, & extenuant, & incidunt, vt inijciatur drach. I. piperis ad lib. I. oximellis: debent postea exhiberi iuscula auium montanarum, & turturum, perdicum, turdorum, quia sunt optimi succi, & nihil crassum habent, & excrementitium, apparando eos in ægri gratiam, & semper apponendo aliquid cinamomi, vel piperis, vel croci, & similium aromatum. Vinum debet esse in principio calorificum, quo vti debet quamparcissime. quod attinet ad horam cibandi, debetis ad communes scopos confugere.

Reliqua remedia sunt primo potiones, de quibus dixit Gal., ut ex oximelite, & ijs, quę urinam ualenter mouere possint. Num hæc statim in principio sint exhibenda. Duplex est expositio, quoniam Gal. in 4. de tuenda sanit. contrarium dicere videtur, cum ait, quod in crudis humoribus, fortibus urinatiuis uti non debemus, quia nimis exagitant crudos humores, & non concoquuntur. Si Gal. consulamus 12. meth. 3. in primis diebus exhibet mulsam, in qua incoctum sit hysopum, quod maxime vrinas mouet. At si in eo casu; quanto magis in quotidiana ea exhibebimus? dicemus ergo uerum esse, quod dicit 12. meth. & in hoc loco, vt dicat quod uti debemus oximelite, & ijs quæ urinas mouent primis diebus. Auic. idem dicit: Paullus, & Aëtius tantum legunt in primis diebus. Ad ea, quæ contra offeruntur, respondere debemus, sed prius est animaduertendum, quod supra diximus, quia quæ vrinatiua nominauimus, non sunt fortiter vrinas mouentia, sed Gal. intelligit, cum dicit protrepein, quæ naturam excitant ad suum munus, nec vrinas fortiter

siter mouent. Ad id, quod scribitur 4. de tuend. sanit. in crudis humoribus non debent exhiberi vrinatiua: dico, quod aliud est in corpore sano, aliud in ægrotante; nam ibi coctionem tantum, quod fit inedia, & calorificis; hic uero coctionem, & copiæ minorationem intendimus. In hac ergo febre necesse est, quod sint valentiora, quia excrementa sunt ad euellendum difficilia: at in alijs febribus leuia vrinatiua satis erant, quia humores erant tenues, in hac sunt crassi, maiora ergo requirunt auxilia. hæc sunt, de quibus Gal. mentionem facit. Persequamur eadem genere remedia, quę habent hunc scopum, vt iuuent naturam ad concoctionem: & vt a leuioribus inchoëmus, dicimus, quod medicamenta, quæ mane propinantur, primum sunt oximel, & rodomel, vt mellis ros. & oximellis simpl. an. vnc. I. ſ. decoctum vero erit ex hysopo, aut tymo, aut satureia, & in genere ex his, quę habent acrem saporem, & uim calefaciendi, & extenuandi, & incidendi; verbi gratia vnc. III. hæc .n. valde sunt utilia, nam incidunt, extenuant, & abstergunt ea, quæ extenuata sunt. Sed aduertendum, quod hæc febris habet sedem in pręcordijs, aut in viscere dextro, aut sinistro; ut intumescat lien, & durus fiat; iecur vero intumescit tantum, non autem durum fit. Ventriculus vero etiam male se habet, quia hic humor putrescit in carne viscerum, & quamuis in extrinsecis sit, ut in venis, semper tamen est copia pituitæ in visceribus.

Aliud medicamentum est, si accipiatis oximellis comp., quod componitur ex seminibus, & radicibus, quibus inest hæc vis, quam diximus, vnc. II. mellis rof. unc. I. accipiatur decoctum prædictum, uel ameos, uel anisi, & cumini. Vltimum medicamentum est ex scilla, quod maximas, & egregias uires habet, & præsertim incidendo, quando pituita est concoctu contumax: purgat pręterea aluum a pituita, cuius dosis est unc. I. ſ. vt sic componatur, oximellis scillitici unc. I. ſ., & est maxima dosis, adijciatur mellis rof. unc. I. maceris, & est cortex nucis muscatæ, aut cinamomi electi scrup. I. & misceatur: sed aduertendum, ne uentriculum lędat, quare non datur pueris, & gracilibus, quia nauseam mouet: vnde adijcimus aromata, vt cinamomum, & macer. Medicamenta soluentia in vsu quotidiano sunt in primis infusum de agarico in hunc modum: aga-

rici scrup. IIII. aut drach. I. ß. infundantur in unc. IV. oximellis, & mane fiat fortis expressio, & fiat potio cum decocto seminum, aut herbarum, quibus inest vis incidendi, & extenuandi, vt anisorum, cumini, tymi, hysopi. Aliud compositum est hiera simpl. drach. I. ß dissoluatur, ut prædictum est. Aliud hieræ simpl. drach. I. trocisceorum de agarico drach. II. dissoluantur eodem modo. Aliud est oximel scilliticum per se potum, puta vnc. III., mouet n. pituitam: & si in minori dosi detur, accipiatur ipsius vnc. II. mellis ros. vnc. I. quod si æger plus diligat pilullas, dentur agarici trociscati drach. II. aut pilullarum indarum drachma I. Hæc de harum cura.

FINIS.

RODERICI A FONSECA,

IN CELEBERRIMA PISANA ACADEMIA, artis medicæ professoris primarij, methodus curandarum febrium, quas Iacchinus omisit.

DE QVARTANA FEBRE.

QVI non empirice, sed methodice morborum curationem tractat, is in primis mali essentiam, causas, signa, quæ ad morbi cognitionem pertinent, speculatur: mox euentum, tempus illius, & modum coniectura prosequitur: denique curatiuas intentiones a morbo, & causa deductas exquirit, & commode vt perficiantur procurat. Hunc ordinem, in his febribus quas Iacchinus omisit tractandis, obseruabo. & in primis de quartana sermo erit, qua nulla febrium, aut longior, aut pertinacior, vel difficilioris curationis inueniri potest; & propterea summam diligentiam, & absolutissimam methodum exposcit. Præsertim quod Gal. illius curationem primo ad Glauconem, vt erat breuitati intentus, confusam videatur ponere, & quæ multiplici distinctione egeat. Est igitur quartana febris calor præter naturam ex putredine humoris melancholici ortum ducens, quæ definitio diligenter explicanda est, & quo ad calorem, fumosus est, & acris, medium obtinens locum inter tertianam calidissimam, & quotidianam caloris satis exigui. Cęterum melancholicus humor atq;

illius differentię diligenter consideranda sunt, ad quartanæ febris veram essentiam cognoscendam.

Melancholia, si quis nominis etymologiam perpendat, idem est ac si dicas nigram, seu atram bilem: vnde Gal. plerumq; confundit ista duo nomina, vt aliquando his nominibus generice omnem humorem nigrum intelligat, non numquam vero melancholiæ nomine eam solum intelligit, quæ naturalis est, per atram vero bilem, illam quæ præter naturam existit: habet enim vterq; humor conditiones quasdam communes, alias vero proprias, quæ vt recte intelligantur, expendendum est, quæ sit melancholia naturalis, & quæ præter naturam. Melancholia naturalis est humor ex crassiori chyli parte a calore naturali in iecore progenitus ad plurimos vitæ vsus conducens, sicut enim in generatione vini multæ extrahuntur partes, vna crassior quæ uelut fex in fundo residet, altera tenuior quæ flos vini dicitur, tertia aquosa, quæ cum vino remanet post ebullitionem, vltima propria uini substantia, ita in generatione sanguinis, quæ fit in hepate, pars generatur crassior, quæ fex dicitur, & respondet feci ipsius vini & amurcę in oleo; 2. pars subtilior, quæ bilis est; 3. crudior, quæ pituita dicitur; deniq: ipse sanguis; pars illa crassior, & nigra sanguinis, dicitur melancholia naturalis; quarum altera alimentalis est, & cum sanguine in venis reperitur, altera vero excrementitia, quæ trahitur a liene. Cæterum cum melancholia hæc sit fex, & crassior sanguinis pars, & proinde de natura terræ, ideo eius naturam acquisiuit; est enim frigida, & sicca, colore nigra, sapore acerba, uel pontica; augetur in corpore nostro ratione temperamenti calidi, & sicci; ætatis consistentiæ, & temporis autumnalis, ob uigilias, studia, curas, & crassum victum, quę si non multum aduratur, inter terminos melancholiæ naturalis continetur, & dicitur adhuc secundum naturam; uerum si uehementer comburatur, iam dicitur præter naturam, & atra bilis, qui humor est per adustionem factus ex crassa, & adustæ bilis materia ab adurente calore. Vtriusq; humoris conditiones communes sunt frigiditas, & siccitas, nigrities, crassities: sed atra bilis proprie dicta partes habet acres, & calidas ualde, est enim cinis humorum; in omni autem cinere partes sunt terreæ, & partes igneæ, propterea sapore est acris, & acida, & terram formentat, quam nec musca, nec aliud animal attingere audet,

& est

& est pessimus omnium humorum, ex qua malignissimæ febres, cancri, phagedine, & vlcera pessima gignuntur; habet efficientem causam adurentem calorem ambientis, uel internum febrilẽ, propterea in febribus pestilentibus sępe visitur. Fit etiam ex cibis acribus, & mali succi, ex allijs, cæpis, porris, salitis piscibus, vinis potentibus nigris, & frequenti aromatum vsu, præsertim ex multi aceti, & acidorum fructuum, acerborum vsu in pueris, & uirginibus.

Hic humor, qui atra bilis dicitur, uarias sortitur species ratione materiæ, ex qua oritur, distinctas. Gal. statuit tres, primam ex adustione sanguinis, secundam ob incendium bilis, tertiam denique ob adustionem melancholiæ naturalis. Auicen. & aliqui ex iunioribus quartam speciem atrę bilis constituunt. s. per adustionem pituitæ, nonnulli etiam quintum genus per omnem humorum confusionem statuunt. verum de tribus speciebus atræ bilis a Gal. & Hipp. propositis nulla est controuersia, utrum uero præter illas tres species atræ bilis, aliæ duæ existant, dubitatio est. Auicenna, & eius sequaces probare nituntur dari alias species atrę bilis, præcipue eam, quæ fit per adustionem pituitę: & rationes pro hac opinione non desunt ualde probabiles, in primis cum atra bilis fiat per adustionem aliorum trium humorum, ita fieri potest ex cinere pituitæ, deinde pituita, cum aduritur, qualitates acquirit melancholiæ, est enim frigida, sicca, terrestris, præterea videmus quartanas fieri ex morbis acutis adustis humoribus, quare pituita adusta dicetur melancholia: ulterius in pueris, & in uere fiunt quartanæ ex cruditatibus, ergo pituita transire potest in melancholiam. Contra tamen multa in contrarium adduci possunt quæ persuadeant non posse fieri pituitam atram bilẽ. primo quia nec Hipp. nec Gal. talem melancholiam agnoscunt. secundo, quoniam cum aduritur pituita, fit tophacea, vt quæ facit scirros, & licet frigida, ac sicca sit, non tamen habet alias conditiones melancholiæ, nec enim est nigra, nec sapore austero, uel acido, aut acri, nec dicendum est quod pituita salsa sit species melancholię, uel atræ bilis, quia sapor salsus non est proprius, nec conuenit melancholiæ naturali quę austera est, nec præter naturali, quæ acida, & acris existit. Pręterea salsa pituita non facit febrem quartanam, sed uel ardentem notham, uel quotidianam. Pro determinatione dicendum est, ex humoribus fri-

gidis, & cruditatibus per aduſtionem non poſſe fieri melancholiam, & febrem quartanam, ſed quomodocunque fiat, ortum ducere a melancholia naturali, cuius conditiones numquam habebit pituita, quouis modo aduratur: vtrum vero ab aduſtione ex alijs humoribus quartana notha fieri poſſit, dubitationem habet: ſunt qui contrarium perſuadent, pro qua opinione eſt Montanus, qui tenet in quartana febre non dari hanc differentiam, quæ in alijs febribus, ut in tertiana, cuius una dicitur exquiſita eſſe, altera notha. ſed videamus in primis rationes aduerſæ ſententię, quod quartanarum detur una exquiſita, altera notha: id in primis Gal. affirmat 1. ad Glauconem: ſecundo Hip. 3. progn. dicit morbos acutos aliquando terminari in quartanas, quod fieri non poteſt niſi per aduſtionem humorum; quare febris quartana exquiſita fiet ex naturali melancholia; notha uero ex vtriuſque bilis, ſanguinis, aut pituitæ aduſtione, vnde ualde differt curatio utriuſque febris; nam quę ab aſſata bile fit, per frigida, & humida curatur; quæ a melancholia per calida humida; quæ a cruditatibus per calida ſicca. Contra tamen contendit Montanus non dari febrem quartanam notham, ſed ſemper eſſe exquiſitam, & fieri a melancholia naturali, & requirere eamdem curationem: atque in primis Gal. 1. ad Glauconem unum tantum genus quartanæ proponit, & unam illius curationem, nulla facta diſtinctione humoris diuerſi, uel diuerſorum remediorum; quemadmodum diſtinctionem fecit inter tertianam exquiſitam, & notham: prȩterea febris quartana ſemper fit a melancholia naturali, numquam ab atra bile; ergo ſemper erit exquiſita, numquam notha: nam atra bilis eſt peſſimus omnium humorum, & peſſimos morbos, ac lętales gignit, ergo non poteſt ex ea fieri quartana, quę ſalutaris eſt morbus: probatur etiam ab effectu, quia omnis quartana longa admodum eſt, rigores, & horrores diuturnos efficit, calor difficile accenditur, comes ſemper eſt multę pituitæ, & flatus; quare illius cauſa non poteſt eſſe bilis atra, ſed melancholia naturalis: rurſus a iuuantibus, & lædentibus idem probari poteſt, nam quartana ſanatur per remedia ualde calida, tum intus accepta, tum extra explicata; ergo eius cauſa erit frigida ſemper, qualis eſt melancholia naturalis, quę eſt ſanguinis fex ſuperabundans in corpore.

Pro reſolutione huius quæſtionis videtur probabilior Montani ſen-

ni sententia, quod quartana febris semper fiat a melancholia naturali, seu a principio fiat, seu ad alios morbos sequatur: nam licet concedamus fieri per adustionem in acutis quartanam febrẽ, illa tamen non est atra bilis, & intra terminos naturales continetur, quartana item quę in pueris accidit & in vere non ex pituita in melancholiam mutata, sed ex melancholico humore a mala victus ratione genito ortum ducit, de quartana vero biliosa, quæ videtur requirere frigida, & humida remedia, idem asserendum est, nam æstiua quartana, & quæ in bilioso temperamento fit, eiusdem generis est, & eadem fere remedia requirit, quæ alia quartana, sed ratione temporis, temperamenti, & ætatis, & quia bilis abundat, temperatiora auxilia postulat, at ratione humoris melancholici, qui semper frigidus, & siccus est, calida & humida remedia indicat, & ratione pituitæ illi adiunctę etiam calida, & sicca, vt postea dicetur. Ad auctoritatem Gal. lib. 1. ad Glauconem vbi ponit quartanam exquisitam, & notham, respondet Montanus litteram esse corruptam, quod si concedatur, ut iacet, dicere possumus quartanam notham intelligere Gal. minus proprie, quando scilicet cum illa alij humores abundant, non ratione melancholię, quæ semper vnius rationis est. Cæterum melancholia quæ facit quartanam, necessario putrescere debet quia nullus humorum, quomodocunque in corpore abundet, potest febrem inducere putridam, nisi putrescat, vt docet Gal. 2. de differentijs febrium: licet Auerroes exquisitum causonem non a putredine, sed adustione fieri contendat.

Quo ad differentias quartanæ febris, illa primum locum obtinere videtur, de qua supra diximus, quod vna exquisita sit, altera vero notha; quæ non videtur, vt dictum est, habere locum in hac febre. Secunda differentia ratione loci sumitur, quia dicitur quartana continua cum putrescunt humores melancholici intra vasa, vel intermittens, si id extra vasa fiat, extra vasa focus putredinis solet esse lien, aliquando etiam iecur, vbi sequitur alias febres: rursus intermittens quartana aliquãdo vna est, quæ quarto quoq; die cedit; aliquando duplex, si duobus diebus inuadit, & in vno intermittit; aliquando fit triplex, & quotidie apprehendit, & naturam quotidianę præsefert. Rursum dicimus quartanarum alias a principio inuadere, alias morbis acutis succedere, cum febres ad vigesimam diem extenduntur, sine malis signis, &

erratico modo apprehendant, & ad autumnum appropinquauerint, in ætate consistentiæ vt Hipp. 3. progn. adnotauit. Quarta differentia a tempore sumitur, sic distinguit Hipp. quartanas in ęstiuas, & autumnales, quia raro admodum fiunt in vere, rarissime aut numquam in hieme, quo tempore ait Celsus nullam incipere quartanam; in ætatibus vero præcipue apprehendit consistentiam, fit quoque in pueris, sed propter malam victus rationem, & motum intempestiuum, & puellis præsertim ob esum rerum acetosarum, & ipsius aceti ex melancholia potissimum generari solet; nam acetum frigidum est, & siccum, sapore quoque melancholiæ naturam imitatur. Est quoque quartana peculiaris quibusdam regionibus, quæ aquas habent stagnantes, & paludibus abundant, vt docet Hipp. libro de aëre, & aquis: & ob eam causam Pisis sunt peculiares; fiunt enim a prauis aquis lienis tumores, vt non possint suo officio fungi, nec corpus expugnare potest a melancholico humore.

Signa febris quartanæ quædam prognostica sunt, alia vero diagnostica, quæ indicatiua vocantur: rursus prognostica, vel futuram quartanam indicant, vel euentum iam præsente malo prę-ostendunt; quoniam vero quartana vel a principio inuadit, vel sequitur alios morbos, de signis vtriusque dicemus. Futuram quartanam ex temperamento, victus ratione, tempore, regione, ętate prædicere possumus; nam naturæ calidæ, & siccę hirsutæ, vsus ciborum crassorum, salitorum, acrium, acetosorum: ætas consistentiæ: autumni tempus, vel si annus inęqualis sit, vt eadem die modo calidum, modo frigidum sit tempus: præterea in constitutionibus siccis, præsertim autumni, vt fuerit borealis, & siccus; quo tempore, vt ait Hipp. libro de aëre, & aquis, multa gignitur melancholia: præterea vbi hyems sicca sit, & aquilonia, ver autem pluuiosum, & australe, prędicit Hipp. febres acutas in mulieribus, & pueris, & ijs, qui natura sunt humidiores, nisi ætesiæ spirauerint, quæ aerem attemperant, si minus periculum est, ne mulieres, & pueri moriantur, vel qui superstites euadunt, in quartanas desinant, & ex quartanis in hydropes: præterea regio cui quartanę sunt propriæ: item si communiter quartanæ uagentur. Hæc omnia signa sunt prognostica futuræ quartanæ a principio: at cum quartana acuto morbo succedit, signa faciliora sunt illam prædicendi ex Hipp. 3. progn. 23. vbi febris

continua prorogatur ultra uigesimam diem sine malis signis, tunc uel absceßum expectare oportet ad articulos, vel ad quartanam, si intermiserit febris, & erratico modo apprehendat, & ad autumnum appropinquauerit, & si æger in ætate sit vltra triginta annorum.

Ceterum signa indicatiua propria febris quartanæ illa consideranda sunt in accessione, ponderando illius formam per omnia tempora, qua ratione vt docet Gal. statim prima die natura cuiuscunq; febris est cognoscenda, non expectato circuito, tum quia fallax est dierum numerus; si quidem tertiana duplex quotidie inuadat, item quartana triplex, tum etiam quia gloriosum est prima die febrem cognoscere; quartana igitur intermittens a principio cum rigore inuadit, qui non est pungens, nec corpus concutiens, sicuti in tertiana; sed repræsentat speciem algoris quasi ossa contundentis, & extenditur ad multum tempus cum magno renum, & dorsi dolore ob naturam humoris, qui crassus, terrestris, & frigidus est, at proceßu temporis augetur, quoniam attenuatur humor, cuius contrarium fit in tertianis, in quibus a principio statim rigor validissimus est, quia corpus ualde concutit; in processu vero minuitur, quoniam bilis coquitur, minuitur, & domatur: solet autem rigor in quartana febre eße valde pertinax, ideo appellatur a Celso molestissimum morbi genus, & medici operam desiderat non minus quam febris, calor in hac febre fumosus est, & acris, non tamen qualis tertianę, & paulatim succenditur, at vbi humor flammam concepit, nihil relinquitur, ait Gal., fumidi: quoniam accenditur sicut lapis; Sed hic obijciet aliquis, quomodo dicat Gal. in hac febre uihil fumidi in accessione relinqui, & ideo uenire ad exquisitam intermittentiam, sicut fieri solet in quotidiana; nam cum melancholia humor craßus sit, uidetur contrarium, quod multum relinqui debeat inquinamenti ab accessione: præterea in prima accessione finiretur. Ad quæ dicimus, quod licet melancholia sit crassus humor, est tamen siccus, & ea ratione inquinamentum non ita relinquitur sicuti in quotidiana, & consumitur materia in cinerem: ad secundam obiectionem dic, quod dictum Gal. intelligi debet, non quod nihil omnino fumidi, & inquinamenti relinquatur in quartana febre; sed respectu quotidianę; ideo etiam intermissio exacta est in quartana, & longius perdurat. Pulsus in principio accessionis tardus

admo-

admodum, & rarus: in progressu augetur vtraque differentia, & pariter magnus fit pro caloris incremento, sed longe tardior, & rarior in hac febre semper est, ad proportionem aliarum febrium; at inęqualitas febrilis, per quam in principio, & fine, pulsus celerior est quam in medio, in hac febre euidentior est quã in alijs primo ad Glauc. quod tamen intelligendum est in accessione, non autem in interuallo; nam in interuallo pulsus in hac multo tardior est, & rarior, quam naturalis; id quod ex humoris frigiditate, & imminuto vsu caloris prouenit. At obijcies de inæqualitate, quam euidentiorem ponit in hac febre, quã in alijs: quia inęqualitas febrilis vnius pulsus, de qua dictum est supra, maior esse videtur in quotidiana per accessionem, quam in quartana; si quidem plus abundat fumosum excrementum, quã quotidiana: respondetur, quod inæqualitas pulsus sequitur obstructionem, uel compressionem; at in quartana ob humoris crassitiem, & frigiditatem magis opprimitur facultas, nam in ea non solum melancholia, sed pituita abundat, præterea cum pulsus quartanę sit tardior, quam quotidianę, ideo melius percipitur inęqualitas vnius pulsus in illa, quam in hac: ideo dicit Gal. eam esse euidentiorem quam in alijs febribus. Accessio in hac febre solet extendi vltra duodecim horas, aliquando ad vigesimã quartam, quamuis Gal. dicat tempus hoc esse æquale tertianæ, quod tamen raro accidit; nam fere longior est: incipit non raro cum vomitu, & cum sudore terminatur. Vrina solet eße in hac febre varia, a principio alba, tenuis, aliquando liuescens cum sedimento liuido, aut nigro: vnde Hipp. in coacijs dixit, quod nigra nubecula futuram quartanam indicat: in processu morbi varias suscipit mutationes. Patiuntur quartanarij aliquando ingentem famem propter humoris frigiditatem, & austeritatem; non nũquam uero ingens cibi fastidium accedit ob ingentes cruditates: solet etiam illis somnus in accessione esse ualde molestus propter vaporum frigiditatem, in interuallo tamen uigilant ob humoris siccitatem. Confirmatur medicus non solum per supradicta signa in cognitione huius febris, sed per communia, scilicet temperiem, uictus rationem pręcedentem, tempus, regionem, ętatem, quę humorem melancholicum aggregare solent.

Quo ad signa prognostica ea sunt futuri euentus, temporis illius, ac modi: quo ad euentum quartana si fuerit intermittens,

& vna

& vna sola, quantum in se est salutaris censetur: propterea eam Hipp. securissimam dixit, & liberare a magnis morbis, & illos præcauere. verum potest aliquando esse periculosa, vel ratione ętatis, vt in senibus; vel propter affectum lienem, qui aliquando in hac febre valde debilitatur, adeo ut fiat scirrosus, & tumeat: vnde fiunt hydropes, id quod accidit ex longitudine morbi, et propter errores: nam cum longissima sit quartana non potest fugere nocumenta longorum morborum, vbi enim prorogatur morbus, fit pugna inter illum, & naturam, & cum omne agens in agendo repatiatur, fieri non potest, quin virtus ex longa illa pugna non debilitetur, & calor naturalis, vnde fiunt cruditates, flatus, tumores hypocondriorum, pręcipue lienis; id quod contingere solet in febribus longis omnibus: præterea in morbis longis non possunt ægri seruare exactam victus rationem, & impatientes fiunt, & committunt errores non modo in cibo, sed multo magis in aquę potu, qui solet esse infestissimus lieni, quia moratur in hypocondrijs, & refrigerat viscera: accedit quod longi morbi, vt in quartana fit, per multos menses durant, & cogitur æger inæqualia tēpora transire, nimios calores ęstiuos, & hyemalia frigora, quæ duæ inæqualitates lædunt debiles a longo morbo; nam ęstus dissoluit calorem nostrum, frigiditas illum extinguit. At si quartana fuerit duplex, aut triplex, non sine periculo est, quod solet accidere per hyemem: vnde Celsus libro 3. quartana febris, ait, neminem iugulat, sed si ex ea facta quotidiana est, in malis æger est, quod tamen sine culpa ægri, aut curantis non fit: at si quartana continua fiat, iam censetur valde periculosa & assumit naturam acuti morbi: vnde illud Hipp. quartanas hyemales leniter in acutos transire morbos. Quo ad tempus euenti: in quartana intermittente longissimum est, præsertim si autumno incipiat, & ad hyemem perueniat, vt Hipp. dixit: nam istę quartanę, nisi accedente æstate curentur, aliquando sunt annuæ, nonnumquā ad quatuor annos, & decem prorogantur, raro tamen annum excedunt: breuiores sunt æstiuæ, & aliquando breuissimę: quod tamen raro admodum contingit. Longitudinis autem huius morbi causa multiplex est: in primis humoris qualitas, qui frigidus est, crassus, & terrestris, & obstructiones facit pertinacissimas: atra enim bilis, ait Hipp., viscosissima est, & sedes diuturnissimas facit. Accedit quoque, hic humor leniter tractari vult, & quanto magis

agitatur, magis proteruiat. Accedit tertia causa, quia cum eo semper multa copia pituitę copulatur, quæ difficile coquitur, & superatur, vidi tamen aliquādo quartanas breuissimas quæ quinque, vel septem circuitibus terminatæ sunt: quare dubitationem facit, quomodo id contingere possit, dicendum videtur quod natura aliquando ita valida sit, vt antequam fixæ sint causę morbi huius, illas domet, & vincat per sensilem aliquam vacuationem, aut insensilem; & quia materia in pauca quantitate, & tenuis existit, & in tēpore ęstiuo. solet autem terminari quartana 120. circuitibus: & Hipp. ait considerandum esse in quartanis nō simpliciter dierū numerū, sed accessionum ita enim per quaternarios in morbis longis euentum, & tempus euenti, & solutionis modū melius præcognoscet. quo ad solutionis modum, cum morbi duplici ratione finiantur, vel per crisim, uel paulatim per coctionem, crisis vero cum sit subita mutatio, quæ per euacuationem fit, uel abscessum, morbi acuti plerumque primo modo finiuntur, raro per absceßum terminantur ad articulos, vt febres cum longæ fiunt 4. aphoris. quæ fiunt longę ex decidentia, at quartana febris plerumque iudicatur per coctionem, licet in accessionibus pars materię vacuetur, & per vomitum, & per sudores: eę tamen vacuationes, quia non sunt validæ, non dicuntur criticæ, propterea quartana per coctionem fere terminatur. Cæterum Gal. lib. de pręcognitione ad Postumum in Eudemo Philosopho sene sexagenario, qui in media hyeme olim Romæ tribus quartanis laborabat, non solum euentum, sed tempus euenti, & modum mirabiliter prædixit, in prima & secunda quartana, denique finituram tertiam ex pulsu præcognouit, nam cum in illa vltima accessione pulsum tumidiorem, & altiorem duplo, quam alijs in accessionibus vidißet, conatū naturę coniectauit: at cum nulla signa aliarum excretionum adessent non vomitus, sudoris, hemorargiæ, vel vrinæ a sufficienti partium numeratione futuram excretionem per aluum pronunciauit, qua quartana finiretur, & ita successit: quamobrem admiratus Eudemus Apollinem pythium per os Galeni locutum affirmauit.

Expositis ijs quæ ad dignotionem, & prędítionem quartanę pertinere videbantur, nunc ad illius curationem veniendum, atq; illud in primis dubitationem facit, an quartana sit curanda, pro negatiua parte Gal. esse videtur 1. ad Glauc. vbi hanc febrem leniter

niter tractandam esse affirmat, nam si quis eam ualidis remedijs curare tentauerit seu uacuando, seu alterando, magis exacerbatur, & ex una fit duplex, & triplex, atq; continua, vt contigit Eudemo philosopho ex vsu theriacę a principio, quare sinere oportet, ut cursum suum fatalem finiat, ergo non est curanda quartana, id quoque cum vulgares homines noscant, non admittunt medicum, sed victu moderato utentes illius terminum expectant, qui non solet eße nisi ultra sex menses. Confirmare id Hipp. videtur primo Epid. ubi dicit quartanam esse facillimam, quasi quod omnes etiam non medici eam curare ualeant, vt quę solam diætam exquirat, in qua curatione magna est facilitas, at obijcies si facillime quartana curatur, quomodo tam pertinax est, & longa, dic quod non implicat aliquem morbum facile curari, & difficilem esse illius remotionem, nam via curandi patet sed non cedit illi morbus, ut qui tempus requirat longum: dic secundo quod quartana dici potest facillima, non quo ad curationem, sed quia mitis est, nec mala habet symptomata adiuncta: intermittit enim fere ad multum tempus. at ex alia parte probari potest & efficacius curatio quartanæ, quia licet difficile admodum soluatur, & longa sit, ac pertinax, recte tamen curata citius finitur, & aliquando etiam a principio soluitur, at difficile admodum est veram illius curationem assequi. Celsus libro 3. non desperat posse curari quartanam a principio per hęc verba, quartana cum tarde admodum finiatur, nisi primis diebus discussa sit, diligentius ab initio percipiendum quid in ea fieri debeat. Cęterum intentiones curatiuæ sumuntur a rebus pręter naturam morbo, causa, & symptomatis, quæ indicant sui remotionem; & a rebus secundum naturam, inter quas præcipue sunt vires quæ sui conseruationem requirunt: morbus, cum sit affectus calidus, & siccus, frigida & humida postulat: causa scilicet putredo, impedita transpiratio, obstructio, & causę illius remouendæ, quare egemus coquentibus, præparantibus, vacuantibus: & cum causa duplex sit, altera antecedens, quę disponitur ad putredinem, altera coniuncta, que actu febrem facit; vtramq; tollere oportet, at antecedens primum locum obtinet: deinde coniuncta sunt quoq; symptomata aliqua in hac febre, quæ correctionem desiderant, & medici operam, inter quę rigor est, & inappetentia. Sed priusquam ad has res præter na turam ueniamus, prius de ratione uictus in ha

febre conuenienti sermo erit, quippe quæ recte administrata omnium remediorum sit singulare, recte vero administratur cum specie, qualitate, & quantitate, tempore, & modo conuenienti exhibetur: & licet dicta ratio sex res non naturales comprehendat, hic tamen peculiariter de potu, & cibo agendum. Gal. 1. aph. 4. tres species victus constituit, primam quæ vires auget, & plena dicitur, vt quæ fit per carnes quadrupedum, panem, vina grandia: secundam quę dicitur mediocris, quæ vires conseruat, ut quæ per carnes auium, & vina oligofera, ac pisces saxatiles procedit: tertiam quę dicitur tenuis, quæ vires imminuit, vel tenuiter imminutas seruat, ut quæ per potum aquæ, vel mulsæ, aut succi ptissanæ, vel totius ptissanæ procedit, quibus positis statuit propositionem semper obseruandam, totius diętæ fundamentum, scilicet quod per sanitatem victus conuenit, qui vires auget, uel conseruat, at in morbis raro admodum pleno victu utendum, sed vel mediocri seruante uires, vt in morbis longis; uel tenui, ut in acutis. Cum igitur quartana sit morbus longus admodum, requirit victum mediocrem, qui boni succi sit, & facilis coctionis, non flatuosus, qualis est ex carnibus pullorum, perdicis, turdi, & passerculorum, panis item coctus in eorum iuribus, pisces qui facile coquantur, & non sint glutinosi, quales saxatiles sunt, & ex non saxatilibus solea, rhombus, naselus, trotta, inter fructus pruna, vuæ paßæ, carice cum amigdalis.

Pro potu Gal. uino albo utitur, tenui, & mediocriter calido, & in principio morbi; quod tamen dare a principio dubitationem facit, siquidem ipsemet Gal. 11. meth. atq; alibi sæpe in febribus putridis non exhibet vinum, nisi coctione apparente: quod etiam ratione confirmari potest; nam & febrem auget suo calore, & humores commouet, & penetrando obstructiones auget, & tanto magis in quartana distribuet humores, & crudos per venas deducet, obstructiones augebit. Quare aquæ potus conuenientior videtur a principio. Pro determinatione dicendum, quod Gal. in quartana timet frigiditatem aquæ, quæ ut docet Hipp. 3. acut. moratur in hypocondrijs, lienem & iecur auget: ideo Arist. quartanam curandam docet per ea, quæ calefaciunt, & exsiccant, & quia quartana febris cum sit satis leuis calore non multum refrigerantia requirit, at e contra vinum coctionem iuuat, humores attenuat, ideo conuenientior uidetur in quartana, sed mediocrium

uirium,

uirium, lymphatum, aut aquosum, ita enim nec calefaciet, nec commouebit humores: quod si a principio morbi etiam aqua vti velimus, ea cocta esse debet cum saccharo, & tepida si exhibeatur, magnum solet eße remedium, quæ magis videtur conuenire in biliosis & a principio, & ijs qui vino non sunt assueti, postea procedente morbo vinum securius exhibetur. De mutatione autem victus per tempora morbi vniuersalia, & particularia dicẽdum est, dubitatur an a principio in quartana febre tenuiori valde victu sit vtendum, quam in alijs temporibus. pro parte negatiua est Hipp. 1. aph. 8. & 2. acut. per longum progreßum, vbi dicit quod a principio morbi magis nutrire oportet, in vigore vero minime: & Gal. primo ad Glauc. in curatione quartanæ dum morbus viget tenuiori uictu vtendum monet, at e contra videtur magis conueniens in principio morbi scilicet quartanę tenuior victus propter cruditates, & multum pituitam, quę semper cum humore melancholico abundat. Quare Gal. 12. meth. in curatione pituitosæ febris ex cruditatibus, mulsa solum ægros nutrit vsque ad tertiam diem, imo si ferunt uires usque ad septimã, præsertim quod vbi crassi humores abundant, facillime fertur inedia: adde quod hac sola arbitrati sunt antiqui posse statim a principio curari hanc febrem. Vnde Celsus libro 3. sententiam Heraclidis Tarentini in confirmationem adducit, qui a principio vsque ad septimam diem nihil in quartana dabat, quod iure ab ipso reprobatur, quia uix aliquis quantumuis fortis talem inediã sustinere posset, & etiam si posset minime restitueretur: at idem quoque Celsus diętam validissime extenuat in hoc morbo, nã post primam accessionem calidam aquam per duos sequentes dies exhibet, quarta die vomitum præcipit post febrem, & modicum cibi, & quadrantem vini, rursus aquam calidam vsque ad septimam solum exhibet, & denique vsque ad decimam quartã diem in magna victus tenuitate continet ægros, tentans ea ratione diętæ febrem a principio curare. Quod si non cedit morbus, ad pleniorem victum procedit, & aliud sequitur curationis genus, vt quod diu sustinendum est facile sustineri possit. Sed hæc viuendi ratio nimis austera est, quam aliquis sustinere possit: præterea incidit in errores Thesalorum, qui nimia inedia per tres, vel quatuor dies macerabant ęgros, postea nutriebant; quos Hipp. validissime impugnat 2. acut. ex Gal. 8. & 10. meth. Pro determi-

nation

natione distinguere oportet de quartana, quæ a principio inuadit; uel alijs morbis succedit: in hac non conuenit a principio attenuare victum, quia ęger ex precedente morbo debilitatus est, nec victu adeo tenui magis debilitari debet. Verum si quartana a principio inuadat, attenuanda diæta est a prima die vsque ad quartam accessionem, quæ ad decimam tertiã diem peruenit, aut etiam ad decimam quartam: ita vt primis diebus pane in iure pulli cocto bis in die nutriatur, aut singulis duobus diebus ter; in die vero accessionis a cibo abstinendum, nisi æger puer sit, aut famem difficile admodum ferat, quod in picrocolis contingit, in his enim per sex saltem horas ante accessionem abstinendum: quod si morbus non cedit, vbi cum hac diæta ad decimam quartam diem peruentum est, pleniori victu vtendum: id quod fit in secunda principij parte, quia principium in hoc morbo longum admodũ est: denique in statu attenuandus iterum uictus, & hac ratione optime mutatur alimentum in quartana. Ad auctoritatẽ Hipp. & Gal. dicimus, quod pleniori victu utendum est a principio in morbis nisi morbus statim uigorem habeat, quod contingit in morbis thoracis, & pulmonis, & qui a fluxione fiunt, & in vulneribus, ac fracturis: secundo, nisi adsint cruditates, & humores crassi, ac multi; quemadmodum in quartanis, & pituitosis febribus contingit. Respondeo iterum quod in quartanis, quæ a principio inuadunt, pleniori victu utendum est in secunda principij parte, non autem in prima ob dictam rationem: & in quartana continua uictus magis attenuandus est, quia grauior est morbus, & in duplici quartana, & triplici, cum intermittunt accuratum uictum requirunt, ut in die accessionis semel cibemus in hora minus suspecta; & in duplici quartana in die quieto reficiendi magis sunt ægri, in alijs minus.

Verum sicut uictus ratio recte instituta instrumentum est curandi febrem quartanam a principio, ita in fine facultatem habet soluendi eam, vbi fuerit pertinax, & longa; nam experimento compertum est, quod ex multo carnis porcinę esu, aut vuarum, uel ficuum, & ex multo uini meraci potu quartanæ longæ admodum sanantur. Et Cel. lib. 3. cap. 16. id ipsum uidetur confirmare per hæc verba, prodest in uetere quartana mutare subinde uictus genus a uino ad aquam, ab aqua ad vinum, a lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire, esse radicem, deinde uomere, in-

reve

reve pulli gallinacei ventrem soluere, oleum ad frictiones adýcere, calefacientia ante accessionem sorbere: per hæc enim, similiaq; corpus agitandum est, ut moueatur ex eo statu quo detinetur; ex alia parte uidetur temerarium cibis implere ægros; nam ex eo errore non raro grauissima mala sequuntur, & aliquando mortes: medicus autem debet curare tuto, & caute. Pro determinatione dicimus, quod talis uictus mutatio, aut potus in excessu, cum maxime appetūtur ab ægris, si uires ualidæ sint, & in morbo iam longo, post alia remedia frustra tentata, præsertim coctione apparente, potest soluere quartanam, nec tunc temeraria cura est: at si quis a principio morbi crudis humoribus existentibus, uel etiam in processu illius, dum uires sunt infirmæ, tali excessu vtatur; tunc temerarium est remedium. propterea Celsus lib. 3. cap. 9. Petronę uictum illum plenum a principio uituperat, nam temeraria est ista medicina, quia plures, si protinus a principiýs excipit, occidit: sed circumspecti quoq; hominis est, & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere, quia curationem ubi id quoq; est non recipit, potest recipere quod futurum est. Verum qua ratione fieri possit, vt ex multo cibi, uel potus excessu, quę ab ægro ualde desiderantur, longa quartana curari possit, expendendum est; vt uideamus hoc uictus remedium non esse temerarium, sed secundum rationem factum: nam sciendum est, quod multis modis prohibere poßumus accessionē in quartana, & alýs febribus, cum enim accessio fiat a facultate expultrice irritata, & a causa irritante, humoris scilicet qui putrescit, si intercipitur accessionis motus, uel id contingit ex parte uirtutis uel illius qui aggregatur: rursus primo modo facultas non irritatur, uel quia torpet, uel alio uertitur; primo modo potest id efficere theriaca recens quatuor mensium, aut philonium Romanum: quę tamen medicamenta nō sine periculo adhibentur, quia morbus frigidus est, nisi ualidus admodum sit æger, & natura calidus, & uigilýs oppressus: diuertitur uero facultas ex aliqua animi commotione, sic videmus accessiones impeditas, & sanatas quartanas a timore, uel gaudio; quia motus hic animi vehementior est, quam motus humoris facientis morbum. Ex parte uero humoris, qui aggregatur, tollitur accessio, uel quia non aggregatur, uel uacuatur; primo modo ob robur facultatis contingit, quæ tam belle alimentum coquit, ut nihil fere superfluitatis remaneat, & hac ratione

contin-

contingit, ut liberentur aliqui a quartana ex multo uini meraci potu, uel porcinæ carnis, ficuum, aut vuarum nimio esu, quia cũ natura hæc auidissime appetat, amplectitur ea alimenta, & valde roboratur, præsertim quod prædicta qualitates habent causæ morbi contrarias; nam uinum meracum calefacit, attenuat, omnes promouet uacuationes, & caput replet, & facultatem sopore afficit, ut minus possit morbi causam sentire: denique prohibetur accessio, quia materia uacuatur, id quod faciunt medicamenta purgatiua. hęc de uictu satis sint, per quem res naturales conseruantur, & prohibetur ne noua materia generetur.

Modo ad intentiones ante propositas rerum prę̨ter naturam ueniendum, & quia potissima ratio respicit causam morbi, ab hac exordiemur. Cum uero hęc uel sit antecedens, quæ morbum fouet; uel coniuncta, quæ actu illum facit, utriusque ratio est habenda: rursus causa antecedens duo loca occupare potest, uenas per habitum corporis, uel uentrem infernum; in illis vijs quæ iecur antecedunt vbi crassi, & crudi humores resident, utraque hæc causa vacuationem postulat, præparationem, & coctionem: cum uero uacuatio per uenæ sectionem fieri possit, aut medicamẽtum, & hoc bifariam ualido, aut leniente; in quartana febre a principio non conuenit purgans medicamentum ualidum, quoniã humor crassus, & frigidus non cedit, irritatur natura, obstructiones, & febres augentur, nisi quartana post alias febres fiat; quo in casu si æger antea purgatus non fuerit, Hipp. medicamento purgante utitur, propterea ad tollendas communes superfluitates, leues clisteres laudantur a Gal. id quod etiam per aliquod lenitiuũ fieri poterit, quale est diasena in iure pulli ad unc. I. uel senæ drach. II. addito cinamomo, & puluere anisorum in eodem iure: quo facto considerandum, an per sanguinis missionem uacuanda sit materia. Gal. sic distinguit, si in uenis abundat melancholicus sanguis, illum mittit ex sinistra brachij uena basilica, & ex anulari eiusdem manus; quod si sanguis non sit melancholicus, abstinet: utrum uero sanguis melancholicus sit, considerat illud in exitu, & si crassus, & niger sit, extrahendum monet; si vero flauus, ac tenuis uideatur, supprimendum iubet: ratio est quia vbi sanguis melancholicus abundat in uenis, fouet quartanę materiam, & extractus natura multo melius emendabit reliquum; at si sanguis fuerit flauus, & subtilis, non debet euacuari: primo

quia refrigeratur, & debilitatur corpus; secundo quoniam ille sanguis suo calore fouet, & attemperat humorem melancholicũ; tertio quia cum non sit sanguis melancholicus in venis, sed in prima regione, per istam sanguinis missionem traheretur ad ipsas venas. At obijciet aliquis nos possumus per signa cognoscere, vtrũ abundet melancholia in venis, scilicet ex uictu præcedenti, ętate, tempore, quæ hunc humorem ostendunt, item per uenarum nigredinem, & tumorem, non ergo necesse est secare venam ad cognoscendam naturam sanguinis vt facit Gal.: respondeo, quod aliquando coniectura fallit, & pro maiore certitudine uenam secat ad cognoscendum qualitates ipsius sanguinis. Nec distinguendum est de quartana exquisita, vel notha, quasi quod in quartana notha non conueniat sanguinis missio; nam in omni quartana si sanguis apparuerit crassus, & niger, mittendus est, si Gal. credimus: & in quartanis, quæ alijs morbis succedunt, & iam debilitati sunt ægri, aut non est mittendus sanguis, aut per hirudines ano applicitas, fieri debet: sed de loco venæ secandæ dubitatio est, nam Gal. basilicam sinistri brachij, aut anularem manus eiusdem scindit, præsertim vbi lien affectus est, quod plerũq; contingit in hoc malo. Contra tamen obijcere possumus, quod potius ex basilica dextri brachij sanguis extrahendus sit, quoniam maior est communicatio, & citius lien per eum locum vacuatur propter uenam portam, quæ insignes ramos ad lienem mittit: præterea vbi iecur afficitur in hoc morbo, quod aliquando fit, magis conueniens videtur mittere sanguinem a basilica dextri brachij. Respondeo ad primum, quod licet maior sit communitas vasorũ pro vacuatione sanguinis ex liene a dextera parte, tamen propter rectitudinem recte monet Gal. in affectibus lienis secandam esse sinistram, quæ rectitudo magis ęstimanda est, quam communitas; quia consistit in rectitudine pororum, & meatuum, non in rectitudine fibrarum in vasis, vt perperam aliqui dicunt, nam tractio, quæ secundum istam pororum rectitudinem fit, est ualidior quacunque alia tum in naturalibus, tum in artificialibus. ad secundum argumentum dicimus, quod quando locus affectus in quartana iecur est, tunc conuenit secare venam dextri brachij, sed hoc raro euenit, Gal. vero his quę plerumq; fiunt regulam ponit. Quidam pro secreto habent curandę quartanæ, si vena anularis sinistræ manus secetur in ipsamet Lunę cum Sole coniunctione, si-

nendo ut exeat sanguis, donec ex se sistatur id experimẽto se probasse affirmat Cardanus. De tempore secandi venam, a principio morbi vbi inuadit quartana statim fieri debet, nisi propter cruditatem, vel leniens medicamentum, vnam vel alteram diem interponere oportet; atq; id fieri debet in die quietiori: quod si quartana continua sit, magis adhuc indicatur uenæ sectio, & cum de sectione uenæ loquor, semper intelligere oportet, si uires ferunt, pręcipue ex uena brachij; at si de secanda anulari uena intelligamus, illa fieri potest etiam in quartana quę alijs morbis succedit, & longe a principio, ut in uere in die quæ accessionem pręcedit.

Cęterum materia, quæ remanet tum in primis venis, tum in reliquis totius corporis, requirit coctionem, pręparationem, & denique euacuationem: coctio fit per calida, & humida, quę etiã ab humore peccante frigido, & sicco indicantur: præparatio vero fit per calida, & sicca, attenuantia, & aperientia; quia humor qui peccat frigdus est, & crassus, & semper copiosa pituita cum eo miscetur. Quę coctionem adiuuant ex Hipp. 4. acut. 43. sunt cibus, & potus tempestiue datus, ea ratione qua diximus antea, somnus, quies, clister, inunctio, frictio, balneum. clisteres uero ad materiam, quę est in primis uenis, euacuandam a principio lenes; deinde acriores; præterea uomitus leuis a principio accessionis; inunctiones hypochondrijs, & toti uentri; ex oleis camomelino, anetino, & stomacho nardino frictiones item a principio leuiores, ne obstructiones augeant, postea uehementiores; balneum uero a principio non uidetur conuenire crudis humoribus existentibus, ideo Gal. abstinendum potius monet: in progressu morbi tutiores sunt ijs qui illi sunt assueti. sed si fuerint dulcium aquarum uidentur magis sua frigiditate lædere. ideo cõuenientius, uidetur esse siccum balneum & calidum; hæc quo ad coctionem. sed de pręparatione humorum, illa debet fieri per calida sicca attenuata; quamobrem Gal. utitur electario de tribus piperibus, diaspolitico, salsis, sinapi; aquam quoq; cum pipere exhibet, nam prædicta coctionem crudorum efficiunt, flatus discutiunt, attenuant humores, frigiditatem eorum compescunt, qui modus optimus est curandi omnem quartanam. verum Tralianus hanc Gal. curationem accusat, vt quę non omni quartanæ conueniat, quia diatrion pipereon, diaspoliticum, salsamenta potius humorem melancholicum suo calore incrassant, & periculũ

est,

est, ne augeant obstructiones, aut quartanam duplicem, aut triplicem faciant, presertim a principio, sicuti de theriaca idẽ Gal. dicit: quare per calida humida temperata potius curandam esse quartanam monet. præterea dantur quædam quartanæ nothę, vt quę fiunt ex bile assata, quæ curari debent ueluti tertianæ per frigida humida. sed ut uerum fatear uidetur ignorasse Tralianus artificium Gal:, qui veram omnis quartanæ curationem, & exquisitam proponit; nam omnis quartana quomodocunq; fiat, a melancholia naturali fit, quę frigida & sicca est; nec enim ab atra bili fieri potest, ut dictum est supra, & quæ per adustionem fit, si quartanam facit intra terminos melancholiæ naturalis continetur, & pariter longa est, & horrores, cruditates veluti ea melancholia, quæ fex sanguinis est ac uere naturalis dicitur: ideo Gal. aliquando vtitur calidis humidis temperatis, aliquando uero calidis siccis, & ita periculum euitatur, quod timet Tralia; ut ab illis incrassetur humor melancholicus; adde quod piper & electarium de piperibus & diaspoliticum non adeo calida sunt, vt theriaca & magna anthidota, quia calor piperis non transit primas venas, nec per calida humida solum potest curari quartana, nisi quæ proponuntur a Gal. per interuallum adhibeantur; nam illa non possunt superare crassitiem & frigiditatem humorũ, nec flatus discutere, & attenuare pituitam, nisi hæc accedant a principio: igitur commodissima sunt oximel simplex, syrupus glycirrizæ, capillorum veneris, de pomis, de borragine, lopulorum cũ decoctis quæ roborent, addendo radices vtriusq; buglossæ & flores, ac ad extenuandum epithymum talis quoq; potio conueniens erit ex iure pulli in quo polypodium & alteæ radices coquantur cum saccharo, quibus per aliquot dies exhibitis ad attenuantia ueniendum, & electarium ex tribus piperibus ad drach. I. cum aqua, vel vino oligoforo ieiunis exhibendum aliquando piper in aqua per aliquot dies damus: non numquam diaspoliticum drach. I. cum saccharo rosaceo, & in cibis salsamenta & sinapi; deinde rursus ad calida, & humida redeundum & paulatim vtriq; humores melancholicus & pituitosus uacuandi, & iterum ad attenuantia humores veniendum, itemque decoctum cinæ & salsæparilliæ moderatiores sunt, deinde guaraci & saxafraßæ decoctum in sirupis matutino tempore & in potu etiam eorum aquis vtendũ. Cæterum Gal. etiam per interualla salsamentis vtitur non ex car

nibus, aut piscibus crassæ substantiæ, sed ex his quæ facile coquantur, huiusmodi sunt inter pisces saxatiles aringhæ, sardæ, & potissimum acciughe dictæ quas Gal. inter omnia salsamēta laudat, sic enim attenuantur humores, & melancholia corrigitur vt facilius educatur. iterum sciendum quod humor excrementitius ut cedat medicamento debet coqui, coctio adiuuatur calidis humidis, & remouendo impedimenta in secundis qualitatibus sic quia frigidus & crassus & hoc modo impediunt coctionem. vtimur calidis siccis attenuantibus ita quando calor impedit refrigerantia & incraßantia tali ordine procedendum in quartana silicet per calida humida roborandus calor natiuus, & per attenuātia calida attenuandus & calefaciendus humor. coctio tamen in putridis humoribus potissimum spectatur vbi vero febris non est, illico medicamenta adhibemus nisi ob multam humorum crassitiem impediamur. preparatus humor uacuandus mediocriter ex diasena cum hiera simplici summendo illius vnc. mediam spetierum uero hieræ simplicis. drach. I. admisceantur & cum sacchara faciendo bolum, vel ex aqua mulsa bibendum dare: at vbi signa coctionis apparuerint ad valida purgantia veniendum potissimū per inferiora inter quę primum locum habent radices ellebori nigri quæ vario modo apparari possunt uel in bolo vel iure, sic ℞. radicum ellebori nigri drach. I. cinamomi anici, dauci fœniculi, omnium in puluerem redactorum ang. VII. misceantur cum eodē elleboro puluerisato & exibeatur in aurora cū sacchara rosaceo vel in iure pulli. potest etiam dari eius decoctum sic. ℞. radicum ellebori nigri drach. II. in puluerem redigantur additis pulueribus supradictis scilicet cinamomi, fœniculi, cumini anisorum coquantur in libra I. aquæ ad consumptionem medietatis, postea cū sacch. exibeatur decoctum colatum, electuarium hamec conueniens quoque est medicamentum repetitum per interualla, qua purgatione repetita & abstinētia cibi in die accessionis & in vnctione dorsi tempore rigoris cum oleo de scorpionibus, pinguedine anseris & gentianæ succo, scribit Cardanus se sanasse quartanam pertinacem, & duplicem cum alui fluxu. antimoniū quoque preparatum optimum medicamentū est ad purgandum humores melancholicos, vbi pertinax est morbus, & uetustus datur quantitas granorum quinque, uel septem ad summum cum sacchara rosaceo, sed vires ualidas requirit; Cęterum tempus exibendi hęc medica-

dicamenta si fuerint deiectoria, est in die quietis, aliquando tamẽ vbi morbus non cędit in die accessionis exibentur per 8. vel 10. horas ante accessionem cuius rei autor est Hipp., seu alius quicumque fuerit libro de affectionibus, vbi pręcipit dandum medicamentum in apprehensione: prӕterea eo tempore habemus ad cutricem naturam humores commouentem. at contra in accessionibus abstinendum esse preceptum est numquam non obseruandum; respondemus quod medicamentum nõ datur in ipsa apprehensione infra purgans sed per 8. vel 10. horas ante illam; cogit vero nos ad id faciendum morbi pertinacia, presertim vbi vires validӕ sunt & alia medicamenta non pręfuerunt. at si per vomitum euacuare velimus id a cibo faciendum est vt monet Gal. validis medicamentis, vbi coctus fuerit morbus & vires validę existent & facile vomant in aliјs temporibus & in debilibus medicamenta uomitoria sint leuia, quӕ & in accessione vbi natura vomitum excitat exiberi possunt, inter vomitoria vero electuarium diaasarum primum locum obtinet quod clementer omnis generis humores circa ventriculũ & pręcordia vomitione reducit cuius autor Farnelius, non in hoc modo sed alibi semper comendandus, habet autem eius compositio in hunc modum ℞. syrupi mentӕ, & violarum an. vnc. VIII. coquantur in mellis crassitiem sub finẽ sub ducto igne, insperge radices peponis arefactӕ, seminũ raphani & orticӕ maceratorum in aqua rosarum & arefactorum & trictorum an. vnc. I. radicis asari contrictӕ & cretӕ vnc. II. cinamomi seminis fœniculi anisorum an. drach. III. confice in electuarium liquidum dosis drach. III. ex aqua ordei aut mulsa, detur autem ieiuno ventre, vel a cibo vel in ipsa accessione, & est sicurum medicamentum, quod pregnantibus & senibus exiberi potest, vacuandus quoq; humor est per sudores presertim in accessione exibendo potiones in declinatione accessionis cum natura eo tendit in quem vsum laudatur potio aquę ordei calidӕ ad unc. VI. adendo cocliaria duo vini maluatici greci dicti, & hoc est optimũ ad sudores ciendos medicamentum; in quem vsum quoque guaiaci dictum commodum est: vrine quoq; eo tempore potissimum mouendę, in quem vsum conueniunt decoctum asari & raaicum apiј & fœniculi cum sirupo alteӕ Farneliј. Hęc de causa antecedenti satis sint, mox de coniuncta dicendum quӕ est materia accessionẽ faciens, ea enim intemperies est lienis iecoris & ventris inferni

in quo

in quo eſt putredinis minera cum aggregato humore putrido, propterea attemperanda ſunt viſcera & roboranda & materia vacuãda ſenſibiliter & per halitum, quæ perficiuntur per anthidota calida & partium tenuium, & propterea Gal. exibet theriacam iam cocto morbo; datur autẽ eius drach. I. in vino per quatuor horas ante acceſſionem; nam habet facultatem uacuãdi materiam per ſudorem, & vrinas calefaciendi, & roborandi uiſcera; & repetenda eſt potio per tres vel quatuor vices. alia quoq; numerantur medicamenta in hunc vſum, ſed thæriaca maioris efficaciæ eſſe videtur, quamuis Gal. laudet multum medicamentum quod ex licore cirenaico conficitur. capit autem ſucci cirenaici, mirrhæ tragloditicæ, piperis equales portiones, ſed cum difficile ſit inuenire laſerpitium ſeu ſuccum illum cirenaicum noſtris temporibus ideo ad alia confugere opportet. anthidotus quoq; metridatis in hunc uſum exhiberi poteſt, hæc autem non ſunt exhibenda a principio vt dictum eſt, ſed poſt coctionem apparentem & vacuationes factas in diuturna quartana. ex arte autem chimica olea multa & aquæ ſunt quæ exhiberi poſſunt in hanc intentionem. inter alia laudatur quinta aſſentia roſmarini ſi ad ſcrupulum. ſ. in vino generoſo ante acceſſionem per duas horas exhibeatur: idem facit oleum de pipere, aut theribentine dando ante acceſſionẽ ex vino ad quatuor guttas, aqua canellæ ali quãdo vnius, aliquando alterius ex dictis quæ etiam ſolent rigorem, qui eſt moleſtiſſimum morbi genus, in hac febre ſedare, ideo medicus ad eum corrigendum maxime eſt intentus. corrigitur per ea quæ dicta ſunt intus aſumpta, extra vero inunctio ex oleo ſcorpionis, gentianę ſucco, & pinguedine anſeris, ſi ex his tota ſpina vngatur parum ante rigorem. Celſus libro 3. cap. 12. multa proponit in primis in acceſſione ipſa aquam calidam ſubſalſam vbi ex horrore incaluit ad vomendum exhibet. ſecundo ante acceſſionem allium dat item calidam aquam cum pipere, & lateres bene calidi pedibus applicentur frictiones quoque validę ante acceſſionẽ manibus, & pedibus & quoniam horrores & rigores ut ait Hipp. oriuntur ex lumbis & per dorſum perueniunt in caput tota ſpina calidis iniungenda in quem vſum oleum ſupradictum ſcorpionũ coſtinum, laurinum, rutaceum conumerantur, & vnguenta, martiatum aragonis & aqua vitæ appetentia quæ immodica fames curanda eſt potione vini meraci ante cibum, nam tale vinum ſo-

luit

luit famem 2. aphoris. 21. prȩterea conducit medullas cruris vituli elixas in cibo dare, quȩ medullæ nõ solum deijciunt apetentiã sed causæ morbi conueniunt, quia calidæ sunt & humidȩ, at si inapetentia multa ægros afficiat excitandus est uentriculus, ijsquȩ roborant intus & extra intus apponendi cibi qui maxime egro placeant, dumodo non sint valde mali, inter quæ sunt cappares, vliuæ, sardæ salitȩ, cepa cocta cum oleo & sale ac pipere accetaria itidem quæ gustum excitent & sinapi cum petroselini & mentæ folijs, addito sacc haro & aceto. extra uero ad stomachum roborandum potus ex calido vino nigro & ex comis abscinti. quod si copia pituitæ multæ in uẽtriculo fastidium cibi faciat ea uacuanda est vel per uomitum ut supradictum est, uel ex hiera simplici Gal. uerum si cum quartana lienis tumor & durities iungantur tunc maiorem habet difficultatẽ solutionis nec curari potest nisi dispositio lienis quæ fomes est ipsius febris remoueatur: solet vero hic affectus uel febrem antecedere uel subsequi. vtroq; modo difficile admodum est febrem istam tollere quia terminari solet in hydropem; dicuntur autem lienosi illi qui tumidum & durum habent lienem 4. aphoris. 44. præcæteris enim visceribus facile lien intumescit tum quia substantia laxa constat, tum etiam quoniam melancholiæ fons est quæ craßa admodum & vitiosa est & quoniam facile trahit ad se aquam ideo qui prauas bibunt aquas lienes tumidos habẽt & quare solet intumescere lien a quartana nõ raro propter multum aquȩ potum & multam pituitam flatum & cruditates, aqua enim lienem & iecur auget 3. acutorum vbi igitur lien durus apparet a principio si sanguis abundat Gal. venam anularem secat sinistræ manus quod tamen in lõgo tempore iam extenuatis non conuenit, & denique si ante quartanã lien tumidus sit ea ratione curari debet qua etiam quartana curatur: in processu difficile admodum est talem sanare tumorem, quia fere in hydropem transit communicata affectione iecori aut ex longo alui profluuio intermittit 6. aphoris. 44 aliquando tamen alui profluuium humoris nigri lienem soluit eodem libro aphoris. 46. quam deiectionem appellat Hipp. dysenteriam non quod uere talis sit, sed quia sanguis deijcitur melancholicus qui fluxus si pauco tempore duret solet soluere morbum, si vero diutius inducit aquam inter cutem aut leuitatem intestinorum & mortem. Cæterum medicamenta quȩ ad scirrosum lienem conueniunt intus

& extra

& extra adhiberi possunt, fert autem lien ualida admodum medicamenta citra molestiam 2. ad Glauc. & quo ad interna incoquit Gal. in aceto mulso radices capparum & scolopẽdri & merĩcæ tum radices tum ramuli & bibendum prębet ad attenuandos humores, postea leuiter purgandi ex epithimo & polipodio in iure uel sero lactis, extra vero lieni applicanda sunt quæ attenuant & absumunt humorem craßum & flatus, ita tamen ut per interualla emolientia applicentur Gal. medicamentum adhibet ex sulfure & alumine. quorum sulfur ualide extergit, alumen vero exiccat & roborat nam vbi tumet lien ex humore melancholico Gal. adstringentia commendat & roborantia simul cum extergentibus: at vbi pituita & flatus in eo uiscere continetur multum aluminis addit medicamento quæ poterunt cum oleo absintino admisceri: laudat quoq; Gal in eandem intentionem 11. metho. cataplasma ex oximellite abscintino & capparis cortice. interim oleo amigdalino & pinguedine anseris vngendus lien est ad humorem dissoluendum & ex decocto camomelli violarũ, acanthij alteæ, & maluæ fouendus & rursus ad prædicta extergentia & absumentia ueniendum. inter quæ amoniacum aceto dissolutum maxime conuenit, rursus potionibus attenuãdus humor validioribus ex oximellite scilicet cum decocto trisaginis merice & scolopendrij, & purgandus humor ualidioribus ex electuario hamec, aut nigro eleboro. Brasauolus in examine vnguentorũ procurando scirro lienis, hunc ordinem seruat medicamentorum. si lien tensus sit cum modico dolore iubet ut recipiãtur olei de capparibus vnc. II. pinguedinis anseris unc. semis misce & cum cera fiat lenimentum molle quo calido lienis regio ter in die ungatur at si lien ualde durus sit ab hoc incipito ℞. olei de capparibus aceti fortissimi an. unc. II. misce & buliant ad consumptionem aceti postea adde, pinguedinis anseris, medullæ uittulinæ an. unc. semis, misce & cum cera fiat lenimentum molle quo pluries in die lien inungatur. si profecerit in eo perseuerato, sin minus hoc vtaris ℞. olei de capparibus, liliorum alborum an. unc. II. aceti fortissimi succi ciclaminis unc. II. misce buliant vsque ad cõsumptionem succi & aceti; postea adde pulueris radicum iridis, galangæ, citræ, radicum capparum, corticum tamarici an. drach. I. pinguedinis anseris medullæ uittulinæ, butiri recentis an. vnc. semis, misce & cum cera fiat lenimentum molle quo pluries inungatur

regio lienis. si profecerit in eo insiste, sin minus R. vnguenti pro splene communis vnc. III. aceti vnc. IIII. misce, buliant vsque ad consumptionem aceti, & nonnumquam cyclaminis succum, adde & vtitor. quod si non profecerit ad magnam compositionẽ veniendum, ait Brasauolus, quam describit Capite de vnguento pro iplene, quam ait sexcenties expertum fuisse, & semper habuisse intentum; quam descriptionem ab eo loco petito. Sed dũ hæc fiunt optima victus ratio præcipienda est, & vt quam minimũ bibat curandum. potus vero sit vini oligofori, si febris adsit vel decoctum merice scolopendrij, & radicum capparis. si hæc non satis sint ad extenuandum lienem vsus calibis conueniens esset, si æger exerceri posset; quod fieri vix potest in quartana; tentarũt aliqui aquas sponte nascentes cum vtilitate; alij ligni potum, sed hi peius habuerunt: quidam inurunt locum crustas faciendo, vt eo expurgetur materia. atq; vbi nulla spes est sanationis vita producenda, & leniter tractandi sunt, bis purgandi autumno, & in vere; & bona victus ratio percipienda quæ est optima omnium remediorum.

Ex his quę a proprietate quartanam curant, sunt succus plantaginis ante accessionem per duas horas ex vino. item parietaria in vino cocta & cõmesta. id ipsum faciunt camomelli flores parũ exiccati, & contusi fiant pastili, cũ vino generoso, & dentur similiter ex vino; at si vinum fastidierit æger ex mulsa, nec solum aduersum quartanam, sed omnes longas febres prędarum est remedium, dosis drach. I. in puluerem redigendo: coquuntur etiam flores isti parum siccati in mulsa aqua, & commeduntur & bibitur aqua illa. & iure commendatur camomellum, habet enim omnes intẽtiones, aperit, attenuat, mediocriter calefacit, sudores mouet, & vrinas. succus item radicum verbasci a proprietate quartanas curat. Paracelsus in libro de tartaro nescio qua ratione ductus quartanas a tartaro renum fieri contendit, certe non possum risum continere cum ineptiam atq; arrogantiam huius hominis considero, qui cum methodum profiteatur eius ignorantissimus sit; cum remedia aplicat nulla fulcitur ratione, sed prorsus empiricus est; multa impudenter, & falso promittit circa remedia & cum methodum iudicem non habeat lętales errores committit; remedia in accessione ipsa, & morbi vigore, nec non pleniorem cibum exhibet, humores in febribus nulla preparatione

indigere ſtatuit; quę omnia perniciosa ſunt dogmata, & licet per artem chimicham pręſidia aliqua non ſpernenda inuenerit, illa tamen indigent egregio operatore, & ſapiētis medici peritia, alioquin lętales commituntur errores; pleraque falſa abſurda admiſcet; ceterum exempla aliqua eorum; quę ad curationem quartanæ aducit, proponam ex libro de tartaro. primum remedium hoc eſt ℞. alchali de teſtudinibus drach. I. Criſtalli bene triti & calcinati drach. 5. mūmiæ ſcrup. I. pro vna doſi: nec tamen tempus docet, quo exibendum ſit remedium hoc, an in vniuerſali tempore, ſcilicet principio, augumento, ſtatu, aut declinatione: nec quo tempore particulari: videtur tamen intelligere ante parroxiſmum: cæterum quæ proponit multam ambiguitatem habent, ſicut cætera omnia obſcura, ignota, adeo, vt a nemine intelligatur; alchali vocamus cinerem concretū cuiuſdam herbæ ex qua fit vitrum, & ſapo, hiſpani uocant bariglia, itali ſoda, ideo alchali de teſtudinibus intelligere videtur hunc cinerem per aduſtionem teſtudinum factum. at quam vim manifeſtam habeant teſtudines ad quartanam non video cum frigidum ſit animal & potius huic febri aduerſarium, ex igne tamen potuit caliditatem acquirere, vt combuſta omnia acquirunt.

Criſtallum diuerſas habere facultates videtur; nam & aſtringendi, & tenuandi, atq; penetrandi facultatē habet, quare ad diſenteriam eius puluis datur ex vino, conficitur etiam ex eo oleū, quod merificam frangendi calculos vim habet: hanc criſtallum dicit calcinandam eſſe, ſed qua ratione non docet, nam calcinationes multis modis fieri poſſunt, quorum aliqui ſunt pernicioſi præſertim in metallis per errodentia: quid per mumiam ille intelligat non minus ambigum eſt, ſiquidem hoc nomen mumiæ apud illum diuerſas habet ſignificationes: ſimpliciter mumia intelligitur compoſitio quædam, quæ fit ad conſeruanda cadauera, quæ conficitur, ex aloe, myrrha, croco, & balſamo; hæc ob calorem, & ſiccitatem quartanæ conuenit, ſed non omni tempore; verum poſt coctionis ſigna. interim aduertas oportet quod cum ſumitur mumia ad medicamenta non debent eſſe, nec caro, nec oſſa cadaueris exſiccati, ſed liquor qui in illius concauitatibus reperitur, aut confectio ex illis quatuor adductis. ex hoc remedio facile intelligi poteſt quam ambigua, difficilia periculoſaq; ſint illius remedia.

Aliud

Aliud eiusdem remedium ad quartanam tale est ℞. de liquoribus ladani scrup. I. croci, aloe hepatice an. drach. III. fac pilulas comunes cũ aqua absinthij dosis grana VII. nec hic facile diuinare poßumus quid per ladani liquorem intelligat, nisi extractum eiusdem, aliud eiusdẽ ℞. alchali soluti; ex cineribus absinthij drach. V. olei de colcotar scupi I. misce dentur hæc ante parroxismum hoc secundum rationem factum esse videtur, sed non exibendum est nisi post coctionem apparentem in veteri quartana, cæterum oleum de colcotar, oleum vitrioli, seu quintam eius essentiam intelligere videtur, sed in magna nimis dosi exibet satis enim esset grana V. exibere.

De febre pestilenti.

FEbris pestilens, quod magna sit inter morbos, quod maligna, & quod vniuersam prouinciam aliquando depopuletur, prę cęteris omnibus malis medici diligentiam, & accuratum iudiciũ requirit: & quia ad dignoscendum difficilis, ad prædicendum fallax, & curatio illius difficultatibus, & controuertijs scatet: quod si Hipp. eos medicos cæteris anteponit, qui in acutis curandis excedunt, tanto magis laude digni censendi sunt illi, qui in pestiferis febribus melius se gerunt; quia non solum de salute illius, seu alterius hominis agitur, sed totius vrbis, atq; prouincię, & qui hæc curare melius sciuerit magna censetur gloria dignus, quamobrem magnus Hipp. ob extinctam Græciæ pestilentiam aurea statua donatus fuit, & publico decreto sibi posterisq; suis alimenta instituta fuere. Igitur si vmquam medicus laborare debet, & studium, curam, ac diligentiam impendere, in hoc tam sæuo malo id efficere conuenit. Cęterum si antiquissimos medicos consideremus, & in primis Hipp. & Gal., non exactam nec absolutam huius morbi doctrinam tradidere, nec contagiosam pestem cognouerũt, quæ pannis, vel alij materiæ adhęrens seminarium præbet, nec etiam malignam febrẽ, quę cum ex antematibus inuadit, cum sit morbus perniciosus, quin imo nec eã quæ cũ variolis & morbilis nos afficit; siquidem hęc quoq; inter nouos morbos connumeranda videtur. posteriores græci vix quidquam aliud de hac re prodidere, quam Hipp. & Gal. Arabes, & latini pestilentes febres earumq; naturam & curationem diligenter prosecuti sunt: sed

cum multa, ac varia, & controuersa, imo contraria inter se scribant; propterea laborem hunc suscipiendum putaui, ita vt non inutilis conatus hic, futurus sit: siquidem controuersias componere, dubitationes soluere, & solum necessaria tradere mihi est in animo, quod vtrum assecutus fuerim aliorũ esto iudicium. Quoniam vero omnis methodus a definitione ortum ducit, ideo a pestilentis febris natura incipiemus, & eam exacte perpẽdemus ac in suas causas resoluemus, vt ad recte operandum præparemus nobis viam. Sed cum diffinitio duplex sit, altera nominalis quæ per accidentia procedit; altera quid rei, & essentialis, quæ ab essentia desumitur: vtraq; nobis est explicanda, sed a nominali incipiendum quæ uiam aperit ad essentialem indacandam. Pestilens febris est nobis proposita, quæ denominatur pestilens a peste, quam græcilimon appellant: per quod nomen videntur intelligere morbum epidemium, seu pupularem, qui grauis adeo sit & sæuus, ut plerosq; interficiat, sed si quod exactum est quærimus, dicendum quod conditio epidemica non est proprium, nec essentiale ipsius pestis, sed quod corrumpens sit, & sæuus morbus, qui vt plurimum interficiat, ideo si talis morbus sit sporades, recte pestis dicetur: videmus enim sine vlla epidemia conditione aliquãdo carbonem, vel antracem aliquem corripere, qui quatuor dierum spatio decedit, quem morbum licet non vagantem, pestem merito appellabimus: Gal. vero ab eo quod plurimum accidit pestem describit, quod sit epidemia, licet necessarium non sit: semper tamen morbus grauis, & corruptiuæ breuiter interficere valens, dicetur pestis. est autem pestis, genus quoddam ad pestilentẽ febrem, siquidem pestis aliqua sine febre est, vt Hipp. experientia confirmat libro 3. epid. & Gal. libro de cibis boni & mali succi. Quare cum febrem dicimus pestilentem, eam intelligimus, quæ nostræ substantię est corruptiua, illiq; maligna qualitate ac venefica repugnat; quod vero maligna qualitate, & a tota substantia nobis est contraria, venenum dicitur a Gal. 3. de temperamentis; & quia febris non potest esse nisi cor afficiatur: ideo ex prædictis essentialem huius mali definitionẽ colligentes, dicimus quod pestilens febris est intemperies calida, & sicca, a veneno progenita, quod cor afficit: quas conditiones vbi aliqua febris habuerit, seu sit epidemia, seu sporades, & vagans, seu endemia, ac regionalis, seu continua, vel intermittens, pestilens dicetur; quia talis est

lis est illius essentia. neque mihi probatur sententia Mercati, qui hanc febrem semper cõtinuam esse dicit, quod in venis sit maioribus, & prope cor, ideo si aliquando videatur intermittere, id re uera non esse, sed ad apparentiam, cum tamen videamus tertianas aliquas intermittentes vere perniciosas, adeo vt tempore accessionis, longe sint grauiores continuis, nec necessarium est malignantem esse semper in venis, & prope cor, sicuti mox dicemus. Dicitur autem intemperies calida, & sicca, quia talis est omnis febris natura: differentia vero, per quam distinguitur ab alijs, est, quod venenosa sit, seu a veneno fiat, per quam conditionem distinguitur a ceteris febribus: nam calor qui febrem facit, non est simpliciter auctus, vt in ephimera, & hectica, neque simpliciter putridus, qualis est putridarum; verum est maleficus, atq; venenatus a tota substantia, & occulta nobis qualitate agens. Montanus reprehendit illos, qui dicunt calorem pestilentis febris esse ideo malignum, quia occulta nobis proprietate operatur, nam occultam dicere proprietatem est refugium ignorantium: ideo Gal. aliquando contra Erasistratum disputans, eos acusat qui vel ad proprietates occultas, aut ad nomina ignota confugiunt, nil docẽtes, quod facit Paracelsus, quare id quod per malignam qualitatẽ significatur, nil aliud esse quam magnitudinem putredinis, quæ humores & substantiam cordis putrescere facit: sed quam vis hoc illi demus, non est negandum profundam illam, & validam putredinem operari per occultam qualitatem, quod venenorũ est proprium; vnde dicit Gal. de theriaca ad Trisonem, pestem epidemiam esse venenum attractum cum aere; venenum autem a tota substantia, & per occultam proprietatem naturę nostræ aduersatur, & illam uincit, non quod aliquando causa qua venenum agit non possit cognosci, sed quia difficile admodum est, & a multis ignoratur. At dices aliqua esse venena, quæ a manifesta qualitate nos offendunt, vt opium, & cicuta: dic quod ista nõ sunt vere venena & deleteria, sed quantitate occidunt; proprijssime uero deleteria atq; uenena dicuntur, quæ occulte pugnant nobiscũ, & cum inter venena quædam calida sint, quædam uero frigida: quod pestilentem febrem facit calidum iure censetur, quia febris calida est, sed quatenus venenum nostram substantiam putrefacit: at dices si venena, teste Galeno, vincunt naturam nostram, omnis pestilens febris esset lætalis quod non videmus: secũdo, om-

nis

nis acutus morbus occidens homines esset malignus, & pestilens, vt pleuritis, angina, quando lætales fiunt; superant enim naturam nostram. Ad primum dicimus, quod venenum superare naturam nostram non intelligitur, quod semper id faciat, sed facere sit aptum; vincitur enim aliquando vel quia euacuatur statim, vel a natura ad ignobiles partes transmittitur, vt in bubone pestifero, aut quoniam antidotis, & alexifarmacis eius natura vincitur, vel deniq; id contingit, quia diuersi sunt veneni gradus; alia enim magis deleteria sunt, alia minus, quędam in instanti operantur, aut breui admodum, alia diu occultantur, vt rabidi canis. Ad secundum dic, quod si in morbo consideremus eius speciem, magnitudinem, morem, & motum: species morbi per sua signa patognomonica dignoscitur, etsi symptomata in genere magna habuerit, dicitur absolute magnus; si specifica valida, dicitur magnus non solum in genere sed in sua specie: at cum mores morbi consideramus illum esse benignum aut malignum, qui bene moratus est dicitur benignus, qui vero malos mores habet malignus: & est vox ab animalibus desumpta, quorum quædam benigna sunt & bonorum morum, alia vero insidiosa. Igitur in communi significato omnis morbus magnus, & validus est malignus, quatenus periculosus est, & naturam prosternit; contra omnis malignus magnus: at proprie malignus est, qui insidiose procedit, & cum in essentia paruus esse videatur, magna habet symptomata, & re vera magnus est, sed talis non apparet: vnde exiguas febres aliquando valde malignas dixit Gal. ad argumentum igitur dicimus, quod morbus magnus occidens hominem non est semper uenenatus, quia superari naturam contingit aliquando per magnitudinem morbi generalem & specialem, ut febris ardens magna occidit animal non ob aliquam occultam proprietatem repugnantem nostræ naturę, quomodo febris pestilens aut uenenum faciunt, & ideo non omne quod superat naturam nostram, uenenum est, sed si ita superet, ut a proprietate substantiæ id faciat, dicitur autem pestilens febris tunc, cum maligna qualitas cor occupat, quæ aliquando insidiosa est quando parua videtur, sed magna habet symptomata; non vmquam magna est & sæua accidentia producit.

Sed hic non parua controuersia est, vtrum per hanc febrem cor primo afficiatur, & illud sit morbi huius origo. pro affirmatiua

parte Gal. est qui ait in peste attractum aerem petere cor per inspirationem, & 3. de precogn. pul. & illius substantiam putrescere, imo per hanc differentiam distingui videtur pestilens febris ab alijs putridis, quia in pestilenti febre putredo est in corde, & in humoribus illius; at in alijs putridis calor in corde, non est ex putredine humorum illius, sed propter vapores qui a putri materia aliunde ueniunt. contra tamen multa adduci possunt, nam non est necesse quod in peste primo cor afficiatur, cum aliquando sine febre membra corrumpantur 3. epid. 3. nec in febre pestifera semper cor est pars principalis quæ afficitur, licet ab aere inspiratio procedat, nam uidemus in uagante peste aliquando fieri anginas, nonnunquam pleuritides, aliquando catarros perniciosos, non raro phrenitides, in quibus credendum est non esse cor partẽ, quæ morbi sedes sit, licet ratione febris semper patiatur, nec necessariũ est quod in hac febre primo afficiatur cor, aliquando enim putrescunt humores in venis, aliquando extra uenas in aliqua parte a quibus eleuatur vapor cor feriens & ualde lædens eius robur, ut apparet in temporaneis uenenis: illud tamen est necessarium, quod in maligna, & pestilenti febre cor praua putredine & malefica qualitate offendatur, & per hoc distinguitur a reliquis putridis. ita videtur hęc secunda opinio magis recipienda, non negando tamen posse a corde putredinem incipere, illius humores aut substantiam occupando.

De causis febris pestilentis nunc dicendum eßet, verum quia in illius differentijs explicandis causarum quoque memoratio fiet; ideo vnicum efficiemus de vtrisque sermonem. Sumuntur enim differentiæ a febris essentia, a subiecto, & causis efficientibus: ab essentia quatenus est calor malignus, dicimus calorem harum febrium aliquando eße mitem admodum pręsertim in partibus externis, quod in pestilenti sporade plerumq; fit, quia intus retinetur vel accenditur in frigida materia, pituita scilicet, aut melancholia; aliquando autem calor acris est, & ualidus, quasi exurẽs, cum bilis accenditur, aut sanguis feruet, quod in epidemia pestilenti & in sporade uisitur, nam febris hæc omnibus humoribus se accommodat, & alias unius, alias alterius naturam aßumit: Montanus affirmat in hac febri pestilenti sanguinem uere putrescere, & quod omnis febris talis a sanguine putrido oriatur, & quod differat a synocha; quia in hac non sanguis, sed icor illius

putre-

putrefiat: a uenenata qualitate dicimus quasdam eße perniciosas admodum, quę comuniter uagantur, & contagiosæ sunt, nonnullas uero mitiores, & sine contagione, cuiusmodi sunt sporades, nec enim approbanda est opinio Mercati dicentis, quod omnis pestilens febris est contagiosa; contrarium enim experientia docet, siquidem in ijs febribus, quando sparsim uagantur, raro afficiuntur astantes & qui ægrorum res agunt: at respondet ille quod licet non sint contagiosæ per tactum mediatum, saltem per immediatum tales sunt; uerum nec sic potest effugere argumentũ, quia videmus illos qui fricant tales ægros minime affici. At dices, si quis cum illis dormiat non poterit euadere contagium, dic quod etiam si hoc illi detur non tamen dicentur uere contagiosę, quia tale quidpiam omni putridæ febri potest contingere; videmus enim aliquando in putridis simpliciter non pestilentibus ægrotare successione quadam omnes eiusdem domus personas. uerum id cum raro contingat non dicuntur contagiosæ tales febres, quod etiam quibusdam sporadum pestilentium potest accidere, & uere, contagiosæ febres sunt pestilentes ex aere uel seminario recondito. Tertia pestilentis febris differentia, & quę magni momenti est ad curationem, sumitur ab eiusdem calore putrido, ac maligno, nam quedam est solitaria, non copulata cum putri, quæ simplex ac uere pestilens dicitur; alia uero cum putrida iungitur: & hoc bifariam, aliquando putridæ iungitur a principio, aliquando in augmento, alias in statu elucet uel declinatione; accidit enim solui putridam, & urinas meliores videri, sed statim præter opinionem pulsus concidit, mors sequitur. quia licet communis putredo superata sit, remanet maligna in corde quæ non uincitur. uerum dices si pestilens febris dicitur magna putredo, quomodo potest esse vmquam solitaria sine putrida; dic talem febrem eße semper putridã, sed insigniter a proprietate nostræ substantiæ aduersam & talis esse potest sine vulgari putredine, qualis dicitur esse tertianę, quotidianæ, uel quartanæ, rursus pestilentium febrium quædam sunt continuę, quæ in corde uel circa magnas uenas existunt, quædam intermittentes, quoties uenefica illa qualitas in distantibus a corde locis sedem habet: ratione item loci affecti dicimus pestilentes febres incipere aliquando a corde a cerebro, uel a pulmone, aut uentriculo, uel iecore.

Sed quoniam cor uel primo uel maxime plerumq; in hac pestilenti

lenti febre afficitur, ideo celebris ex eo differentia orta est trimẽbris, vt pestilentis febris, vna sit ephemera, quæ in cordis spiritibus fundatur; altera putrida quæ humores offendit; & tertia hectica occupans substantiam ipsius cordis: ideo hac de re diligentius agendum. pro parte affirmatiua non desunt rationes, neque auctoritates, & de ephemera pestilenti ratio monstrat, quia sicuti malignus calor occupare potest humores & solidam substãtiam cordis, ita spiritus. Adde anglicam febrem quæ vagatur apud anglos & belgos, quę cum sudore perpetuo intra vnius vel duorum dierum spatium terminatur. reponendam esse inter ephemeras: de putrida pestilenti nemo est qui dubitet. at de hectica Gal. testimonium præbet lib. 3. de præsagitione pulsus, vbi putredo ipsa solidam cordis substantiam occupauit: est & ratio cõfirmans, quia in tali febre neque febrine æger se sentit, neque pulsus, aut urina a naturali statu discedere videntur, quæ omnia sunt hecticæ febris signa, & hæc dicitur solitaria febris, & simpliciter maligna. pro parte negatiua illud primo obijcitur quod cũ genus uniuersale febrium diuidatur in has tres differentias, ephemeram, hecticam, & putridam, non videtur pestilens febris, quæ vna species est, per easdem diuidi posse: secundo in particulari quod ephemera nõ detur pestilens primo brobatur, quia inimaginabile est putrescere spiritus in corde sine putredine humorum, & solidę partis: tertio ephemera benigna est, anglica febris maligna, & pessima & symptomata habet horrenda, sudorem perpetuum, lipothymiam, cordis palpitationem, pulsus frequentiam, & inęqualitatem; adde quod tanta sudoris copia, tam longa conualescentia in his qui euadunt, humores infectos in ea febre indicant esse. Quod vero non detur pestilens hectica, illud implicare videtur, quia in tam breui spatio temporis quatuor, aut septem dierum, febris habitualis produci non posset; adde quod si in tali febre a putredine occuparetur cor, non posset homo viuere nec vnam diem; cum illud teste Gal. 5. de locis affectis sustinere non possit aliquem validum morbum; ob quam causam putat Argenterius, quod pestilens febris, de qua Gal. 3. præsagitionum loquitur, sit potius ephemera ex spiritus infectione, qui a praua putredine corrumpitur. Pro determinatione dicendum, quod Gal. non posuit febrem pestilentem aliquam inter ephemeras, fortasse quia non putauit quod affici possit spiritus maligna putredine, quin statim & humores

inficiantur: attamen nihil prohibet, si pestilentem ephemeram ponamus, non quod exquisite & proprie talis sit, sed per analogiam, ac similitudinem, quatenus fieri potest vt in spiritibus fundetur in putrefacto eße, sit tamen in putrefieri in humoribus, & quoniam intra vnius diei spatium iudicatur ad salutem vel mortem; anglica autem febris non est absurdum quod a spiritibus infectis procedat, quia sudor ille vaporosus & madidus ab spiritu oriri videtur, vt videmus ex spirituum corruptione sudores ad uenire in sincopi: adde quod licet concedamus labem esse in humoribus per talem febrem, illa tamen præcipue in spiritibus cōsistit, & sic dici potest ephemera, licet alijs comunicetur affectus. Quod attinet ad pestilentem hecticam eadem ratio esse uidetur, nam non est inconueniens occupari a putredine solidum cordis corpus ob dispositionem subiecti non accensis humoribus & spiritibus, imo etiam si labes illis communicetur, tamen radicaliter occupat ipsum cor; quod sufficit ut talis febris reponatur inter hecticas: quod autem dicitur non posse habitualem febrem statim fieri; dic quod hectica duplex est, quædam in dispositione a principio, alia vero in habitu in progressu, sic hectica pestilens erit in dispositione; adde quod pestilens febris tam ualida est, ut intra tres dies aliquando consumat humorem radicalem ipsius cordis: ita Gal. ex phrenitide hecticam fieri posse concedit libro de locis affectis, dubitat uero an ex septo inflammato id contingat, quod uero cor possit pati magnas intemperies non negat Gal. sed vulnera, erysipelata, & inflamationes non item: nec absurdum est uiuere hominem cum putrida quæ occupat cordis corpus; nō enim dicimus esse consumatam putredinem. Quod vero tenet Argent. istam febrem esse potius ephemeram, minus probabile est, quia illius simptomata potius sunt hecticę, quam ephemeræ, nec cito terminatur ut illa, & plerumq; lętalis est.

De differentijs vero quæ a causis sumuntur, nunc redicendum est, illæ enim facile patebunt vbi illarum naturam & exactam diuisionem sufficienter narrabimus: dictum est supra quod hæc febris oritur ab aliquo ueneno quatenus a tota substantia agit, hoc uero uel est extrinsecum uel intrinsecum, extrinsecum ad sex res non naturales spectat, inter quas primum locum obtinet aer, cibus, & potus, animi accidentia, ac venus, ex alijs autem seminarium contagij, & venenum assumptum, uel illitum: causa

uero

uero intrinſeca uenenum eſt in corpore noſtro genitum, in humoribus, & excrementis; aer igitur cauſa eſt huius mali alteratus, aut in qualitatibus manifeſtis, aut a tota ſubſtantia; in qualitate manifeſta vbi nimis calidus fuerit, & corpus impurum malis ſcatens humoribus, & obſtructionibus obnoxium. 1. de differentijs febri: 4. nam licet aer calidus non ſit uenenatus, ratione tamen impuri corporis, febris accenditur peſtilens, in alijs autem qualitatibus præter naturam ſi mutetur, non fit febris huius cauſa, quando eſt epidemia, ſed potius alios morbos populares gignit, at uero cum in tota ſubſtantia mutatur hoc eſt putreſcit, tunc pręcipue huius febris cauſa cenſetur: dices fortaſſe ex Ariſtotele; impoſſibile, ærem non putreſcere, ſed alibi uerius dicit omnia elemēta prӕter ignem putrefieri. Falſo Paracelſus aſſerit libro de tartaro ex omni elemento prouenire peſtem, quam perpetuo ex ſpiritu arſenici fieri contendit, quem in mixtis & elementis ponit, ignibus enim extinguitur peſtis, & diſſipatur. Cum uero Ariſtoteles in aere negat putrefactionem, intelligendū de aere mixto, non ſimplici, aut de aere supremæ regionis; nam hic infernus aer putredinem concipit, idque dupliciter aut a ſupernis cauſis, cælo nimirum, aut ab infernis vapor eleuatur illum inficiens: a cælo coinquinatur, & putreſcit aer in calidis & humidis conſtitutionibus, & auſtrinis ſine uentis, quando aer non tranſpirat, neque refrigeratur, & aduruntur humores, idque cum auſtri ſicci ſunt, & qui longo tempore durant; humiditas utraque putredinis mater eſt ut patet in conſtitutione illa 3. epidemiorum & 3. aphoris. 16. aſſiduis imbribus putredines fiunt, præſertim ſi cum calore iunguntur: vnde in cranone carbunculos fieri dicebat Hipp. per largas aquas in ęſtiuis ardoribus 2. epid. Corrumpitur ſecundo aer a cælo per influxus ſiderum malignos ob infauſtos aſtrorum aſpectus, quod Tolomeus refert maxime in eclypſes luminarium, cum loco dominantur malefico, item accidit id per magnas coniunctiones, ut Saturni & Iouis, quæ nunc eſt: nec negandum eſt fieri peſtes & populares morbos per hunc influxum, ſiquidem ali quando in annis ſaluberrimis, quando tempora oportuna & tem peſtiue ueniunt fieri peſtes & populares morbos uidemus, & qui non unam urbem ſolum aut aliquam prouinciam inuadunt, ſed vniuerſum orbē ut contigit Anno 1592. cum catarris ille, mal di caſtrone dictus, primo Romam inuaſit, deinde per totam Ita-

liam, Galliam, Hispaniam, Africam, & ad omnes indorum regiones peruenit, corripiebantur enim febre duorum, aut triũ dierum ualida, cum magna tussi, qua debiles & senes sublati sunt multi, sed maior pars hominum seruata; ideo non fuit pestis, sed popularis morbus, quæ constitutio si praua admodum fuißet, posset vniuersum genus hominum extinguere, nisi Deus tantum malum auertisset: certum experientia compertum fuit in ea constitutione sanguinis detractionem prorsus nociuam fuiße, ideo cum eam a principio in caßum tentassent aliqui, postea in totum abstinuere; nec dicendum est hunc confluxum per ventos delatum esse in totum orbem, quia nullus uentorum id efficere potuit, cum illi mille modis uarientur, & mutentur non multo terrarum spatio, & impossibile uideatur vsque ad antipodas auram illam differri potuiße; si enim non multum intersit spatium credibile est ventorum aflatum malignos uapores defferre poße, sicuti in peste illa quæ Græciam inuasit ob uapores ex ethiopia delatos: non tamen in toto orbe id fieri potest, sed credendum est cęlum suo motu talem per orbem seminasse labem; uidemus præterea aliquando in saluberrimis locis, seruante anno suam naturam sine vllis ventis, pestiferas febres & lętales uagare; quod ad cælum referendum eße ratio dictat: hæc cum uerissima sint & ratione atq; experientia confirmata, ualeant illi qui aperte negant Cælum; quod nos conseruet, posse malignam qualitatem & delecteriam, transmittere in hæc inferiora; at dices quomodo cælum quod generationis & conseruationis est autor, potest pestem inducerer? dic quod Cęlum non modo agit in nos & inferiora motu & lumine, sed per influxum; si enim in lapide magnete uis admirabilis trahendi ferrum adest, & in torpedine torpefaciendi membra, cur in corpore æterno & nobilissimo quale est Cælum non aderunt uirtutes admirabiles quas in fluxus uocamus? quod si dicas cęlum per se est conseruatiuum vitæ nostrę, tamen ex accidenti vere corrumpit, item suo accessu generationis autor est, suo uero receßu corruptionis; ab infernis uero aer corrumpitur, quando uel ex terra, uel aqua uapores mali, & deleterij cum illo miscentur, unus modus est vbi non transpirat, & diu occlusus uapor in uisceribus terræ cum ambiente miscetur, in terremotibus, hyatibus, speluncis, puteis clausis, sepulcris, baratris; constat enim pestem quę tempore Gal. fere totum genus humanum absumpsit, initium ha-

buisse

buisse ex arcula aurea in templo Apolinis seleuciæ urbi cõsecrata; quam milites Anidij casſij ob auaritiam aperuere existimantes prętiosum aliquid continere; at dices, hæc pestis multas regiones peragrauit, & tamen non à cęli influxu orta est; dic poſse defferri seminarium pestis ab hominibus in longinquas regiones temporis spatio; ex terræ quoq; visceribus per illius meatus insensiles, corrupti vapores aërem inficiunt, ab eius superficie eleuantur, a cadaueribus hominum, quadrupedum, serpentum, locustarum, & cæmentorum putrefactorum: obsunt etiam bombices latrinæ, impura viuendi ratio, vt apud belgas sordes derelictæ ex ceruosia, uiscera animalium putrefacta in tabernis & locis publicis; a cerui item caulium putridorum, & halitus plantarum maleficarum, cicutæ tÿtimali, mandragoræ isatidis; viarũ quoq: sordes in magnis vrbibus, in quibus excrementa reÿciuntur, & loturæ coquinarum, ac sordidum viuendi genus, aërem inficiunt; quam ob causam Olysipponi, Constananopoli, atq; Lutetię febres pestiferæ, ac pestes non raro uagantur: corrumpitur quoque aer præcipue in fine æstatis ex putrefactis aquis stagnantibus & palustribus; vnde vrbes, quæ illis abundant eo tempore endemias, & annuales habent istas febres, etiam si annus suam naturam seruet; quod si plures causæ simul concurrant, vt annus sit austrinus, silens, cum pluuÿs, aut etiam sine illis, (austri enim uenti sicci peiores sunt quam humidi) & præterea annonę caritas atq; corrupti vapores ex terra & aqua aerem inficiunt, tunc sæuissima pestis oritur.

Cibus & potus secundo loco pestilentis febris causa solent esse, quatenus prauos ac venenatos humores gignunt; nam seu alimenta sint laudabilia, sed corruptione contaminata, qualia sunt frumenta, carnes, pisces praui, seu sua natura prauos succos gignant, quorum generum sunt legumina, herbæ, holera, fructus, fugaces, brasica, cepæ, allium, porrum, omnia ista pestilentis febris causam præbent, seu sponte homines illis vtantur, seu ob caritatem annonæ, seu obsidione, aut bello terrestri, uel nauali, quecumque obuiam ueniunt asſumant & bibant, pręterea vina corrupta, aut aquæ putrefactæ, & prauitas huius febris vbi ad est, gignendę occasio pręsto fit, tunc corruptiones fiunt in corpore nostro, ac perinde pestes, vt luculenter Gal. docet libro de cibis boni & mali succi, præcipue vero fructuum fugacium esus non raro malignas febres

bres producere Gal. affirmat lib. 2. de alimentis; ex his enim in uenis prauus succus generatur, qui data occasione malignas febres accendit: quare uel a fructibus abstinere oportet, uel eos moderatissime assumere monet. Animi quoque passiones corrumpere solent humores, præsertim timor ac mestitia, & sanguinem congelant, ac spiritus corrumpunt; vnde non mirum est si in pestilentia timor multis occasio fuit ægrotandi, atq; mortis; nec minus immoderata uenus, calorem innatum exauriens, ac corpus ualidissime conficiens, pestilentis febris sæpe fuit occasio; vnde ægri debilitati fere moriuntur: inter reliquas causas contagium validissima causa eße solet & pestis. ac pestilentis febris; est autem contagium affectus qui communicatur ex vno corpore in aliud mediante contactu immediato, aut mediato, propter uapores, seu propter aliquam qualitatem formam corrumpentem; origo illius est ingens, ac valida putredo, & sordida; & quo maior fuerit putrefactio, contagium lætalius est, qualis est canis rabidi, & sordium quæ in peste relinquuntur; seminarium enim huius mali per longum & diuturnum tempus conseruatur in aliquo mixto, præcipue pellibus, plumis, lanis, & panis laneis ac linteis; hinc aura quędam, seu mala qualitas emanat, quę afficit corpora nostra; unde & pestis, ac pestilentes febres inuadunt, & aer inficitur; quod contagij genus antiquis fere ignotum, nostris tamen temporibus, familiare est: ex hoc fomite seu seminario, vel potius vbi mouetur malignus uapor, vel qualitas, fit communicatio & tunc fiunt contagiosæ, febres; vere tamen contagium est quoties ambo affectu eodem corpora male habent, cuiusmodi sunt viuentia & unius generis, uel potius speciei; nam canis rabidi morsus uere contagiosus est, quia homini & cani pariter perniciosum est, & eo magis, quando hic homo alterum inficit, & hoc membrum vt puta pulmo alterum pulmonem; & quando contagium in lana aut pelle inficit humorem, nec lana nec pellis patitur; item cum vmbra malefica nucis, aut ficus, uel taxi offendit, istæ plantæ nil patiuntur, quare huiusmodi potius dicitur cõtaminatio quam uere contagium. Cæterum inficiuntur per contagium membra, præcipue quæ respirant, & aerem attrahunt, pulmo, pectus, cor, cerebrum, item cutis & oculi; sunt autem ex contagiosis malis quidam perniccosi admodum, quales pestes sunt; & ex pestifero semine contagij nascuntur a maxima putre-

dine

dine & quę præcipua membra occupant, contra, alij morbi licet contagiosi sint leuiter offendunt, aut quia a membris nobilibus absunt, aut putredo ingens non est, ut scabies, lepra, optalmia, gallicus morbus: vltima causa pestiferæ febris ab extrinseco, uenenum est, uel extra illitum, uel intus ad tempus datum; inter ea quæ illinuntur, semen contagij, atq; fomes sordes pestiferæ primũ locum obtinet; qua ratione perditissimi humores, atq; humani generis hostes, vrbes inficiunt, illinendo ostia, sedes, vestes, lectus, aut etiam partes corporis, sordibus illis; audi quid Olysipponi euenerit; arcula quædam mercium eo delata est cum naui, in qua merces erant, quã cum tres homines aperuissent illico mortui sunt, erat enim ibi seminarium contagij, quare statim magna lignorum copia posita, combusta est arcula, & quæ in ea erant, & liberata a tanto malo fuit vrbs. alia multa sunt venenorum genera, quæ uim maximam habent occidendi extra applicita, inter quæ est hydrargyrum, quod inunctum indebite hominem perimit. ferunt quoque Hispaniarum Regem Henriquum aureis calceamentis coriaceis pulcherrimis, donatis a mauro Granatensi occisum; quæ omnia uenena sunt ex putrefacientium genere.

Inuenere quoq: uenefici homines temporanea uenena, quæ pestilentem febrem, putrefactionem, tabem, aliaque pessima effecta producunt; est tamen hoc venenum magis insidiosum quam cætera, quia vbi præsentanea sunt; illico se produnt, & succurrimus, at temporanea prius radices agunt quam sentiantur; quod vero possint venena dari ad tempus Gal. docet 3. simplici. 22. quæ putrefacientia uocat, & errodentia: Theofrastus quoq; cõponi uenena affirmat, quę uel tardius, uel citius occidant intra mensem aut duos, uel tres, & intra annum; id confirmat etiam experientia in venenis, quę in membris gignuntur, ut mox dicemus; & vt apparet in veneno canis rabidi. Cardanus scribit ex esu tortæ lacteę quindecim personas occubuisse temporibus diuersis, quidam inter quindecim dies, alij post duos uel tres menses, & inter alia simptomata excitata est febris quæ cum vlceribus in capite præcedebat: at nec a veneficis & pessimis hominibus, nec ab alio tempus præcisum dignosci potest, ob diuersas naturas, ætates, corporis compositionem, cordis & uiscerum robur. vnde quidam magis, alij minus resistunt.

Deni-

Denique pestilens febris excitari potest a ueneno in nobis genito, & quod in corporibus nostris uenenum gigni possit, quale in rebus externis, & eadem accidentia facere, quę præsentanea venena vbi commouentur. Gal. testis est 3. & 6. de locis affectis, vbi ex semine & menstruis corruptis histericas passiones fieri dicit, in quibus accidentia praua, & mortes sequuntur; id ipsum ex sanguine coagulato in aliquo viscere uidemus fieri syncopes, scilicet lypothymias, & anxietates; pessimi quoq; humores ac praui; ut bilis porracea, eruginosa, ysatodes, atra bilis, per adustionem magnam uenena sunt, & accidentia uenenorum inducunt putredines, corrosiones, ulcera interna, pessima, & accidentia horrenda; in quibusdam etiam uiscera ex natura ad corruptionem apta, ut pulmo in tabe, aut iecur, aut cerebrum; in quibus nulla causa occasionem dante lentæ febres nascuntur, quæ nullo modo mitescunt, & tabe faciunt ęgrotantes: occasio uenenorum gignendorum euidens ex malo uictu, & horroribus in rebus non naturalibus, habetur aliquando ex animi passionibus ualidis in corpore optime sano, & temperato: huius ueneni qui in nobis gignitur causa triplex eße uidetur, mala uictus ratio, occulta naturæ proprietas vt in hereditarijs morbis ex uiscerum corruptione, aut casu quando in augustis vijs putris humor generatur, aut in aliqua cauitate, uel membro occulta ratione, cum alias sanum & robustum sit corpus, ut contigit Critoni primo epide. sest. 3. ęgro 9. cui erecte obambulanti pedis dolor fortis magno digito cepit, unde horridus, anxius, & delirus factus secunda die discessit, quem morbum Gal. in comment. malignum ex delirio pustulis nigris circa talum, vbi inceperat morbus, apparentibus indicauit: acutiorem & maligniorem casum proponit Fernelius libro de abditis rerum causis, in quodam ægro, qui ex orto in pede sphacelo, & paulo post deficiente pulsu, & sensu, ac mortificatione eius partis vna die mortuus est; qui casus satis ostendunt in corpore nostro uenenum generari, quasi præsentaneum sit, & uires habeat maximas, ac si quis illud ab extra norasset, quantum uis lætale, & perniciosum.

De

De Signis.

Signa cum trium sint differentiarum, diagnosticum, prognosticum, & memoratiuum, de diagnosticis, & prognosticis pręcipue dicendum; nam memoratiua non multum negotium faciunt; rursus signa prognostica sunt in duplici differentia, quædam pestilentem febrem futuram denunciant, alia uero iam pręsente febre euentum, & tempus illius ac modum præostendunt: & quia signa futuri huius mali primum locum obtinent, deinde diagnostica, postremo prognostica; hunc ordinem seruabimus, ut primo futuri mali inditia, secundo pręsentis, denique quę exitū morbi declarant percurramus; maximi enim est momenti futuram pestilentiam, ac malas febres præuidere, & antequam adueniant præuidere; in quo negotio, signa quæ sumuntur a causis præcipue considerantur, igitur epidemiæ pestilentis futurę in primis uaria est & inconstans temporis constitutio, præsertim calida humida diu durans austrina, seu austri sint humidi, seu sicci, & squalidi. annonæ caritas, vel ex absidione, aut bello, vapores multi ac turbulenti in aere; deffectus luminarum cum maleficis, facta, phenomena in aere apparentia, cometæ, trabes, stellę cadentes, fulgurum casus, plures soles ac lunę irides, halones, faces, fulgores, tonitrua, sol exoritur turbidus, cum obstaculo diuersorum calor, muscarum multitudo ante illius ortum & post occasum volitantium, terremotus, hyatus, maris æstus, inundationes, multi abortus, difficiles partus, interitus puerorum, reptiliū abundantia; serpentum, vermium, ranarum, hominum aut aliorum animalium non sepultorum; in corruptione aeris aufugiunt aues, nidos relinquunt, panis aeri expositus vna nocte muffum contrahit; caro vnius diei putrescit; moriuntur animalia naturæ humidæ, vt oues, boues, sues; vbi a terra malum est talparum apparitiones, ac serpentum qui foueas relinquunt; arescunt plantæ vtiles, nascuntur prauæ, & malignę; in aqua vero si abundent locustres, ac palustres, vbi putrescunt, ̣isces, moriuntur; superficie supernatat pingue quasi aranee̹ tela virescunt, viscosā herbam male olidam gignunt, vbi gignuntur ranæ, culices, serpentes, & alia praua animalia magni capitis: cęterum homines eo tempore mæsti, cogitabundi, tristes, ac valde meticulosi sunt,

quoniam multa abundat eo tempore atra bilis, quæ immaginationes, varias visiones, ac laruas repræsentat. at vero ex contagio, ac semine pestilenti, seu fomite maligno tunc malum oriri dignoscitur vbi semotis cæteris causis, ex contrectatione rei infectæ apparet contaminatio repentina. Venenum datum ad tempus difficile admodum cognoscere possumus, quando scilicet pestilens febris ab eo exoritur; signa tamen sunt aliqua, ex lingua præcipue, cum enim dato farmaco afficiantur, præcipue pulmo, iecur, & ventriculus; quæ pulmonem afficiunt, tussim siccam, ariditatem, sitim, & tabem, inducunt sanguinis, sputum; & propter vapores, ac saliuam, lingua contaminatur; quæ vero ventriculũ afficiunt inducunt nauseam, dolores, inflationem, alui fluxum, aut strigmenta; & eorum consensus cum lingua est per tunicam comunem, & per saliuam, iecur, aut per venas corrumpit calorem linguæ, & perducit ad lentas febres, & facit morbum similem naturali; lingua igitur in omnibus mutatur colore, vt nigra fiat, aut arida, flauescens, uel lucida.

Signa vero veneni in corpore geniti vnde febris pestilens oritur, si fuerit perniciosum non minus occidit quã pestis epidemia, nec tardius est, & inducit sæuissima symptomata, & acuties morbi tanta est, vt intra quartam diem occidat, quod contigit Critoni primo Epide. ægro 9. & phrenetico & caluo 3. eiusdem hist. 4. & 5. & hęc est pessima ueneni conditio; qualis etiam in hystericis apparere solet, cum respiratio fere amittitur, & sensus, ac motus: aliquando uero uenenum non ita est ualidum, inducias dat, & superatur a natura multoties, quale est febrium pestilentium, cum exantematibus, & variolis prodit, tamen signa quędam peregrina sui ipsius, de quibus mox dicemus; & vbi tales casus sine aeris manifesta corruptione contingunt, ex his febres pestilentes prædicere possumus; præcedunt etiam epidemias febres morbi vagi, inconstantes febres diuersorum generum, & mali iudicij.

Ex prędictis signis habes quę futuram pestilentem febrem indicant, mox de diagnosticis, & indicatiuis, quę pręsentem morbum ostendunt dicendum est; quorum naturam medicus diligenter expendere debet, vt statim in prima die si fieri potest maleficam eorum naturam depræhendere, vt possit cito occurrere, priusquam suas malũ figat radices; ideo Gal. 2. acut. 47. docet malas primarum partium affectiones statim a principio esse dignoscendas,

das, vel saltem dum augentur: quia vero signum essentiale febris omnis, calor est, ab hoc incipiendum; hic in hac febre plerumq; mitis est, quod contingit in simplici pestilenti; causa multiplex, prima quia fit in partibus internis circa cor, & illi propinquas venas; secunda quia calor cordis ob debilitatem non extenditur ad externas partes, & hoc proprium est febris pestilentis, quæ mali moris est, vt videatur debilis, obscura, cum tamen valde maligna sit; tertia quando pituita superabundat, & putrescit. verum, vbi pestilens febris miscetur cum putrida, & præcipue si bilis accendatur, tunc magnus calor apparet ac vehemens, quasi ardentis naturam repræsentans; illud tamen videtur esse propriũ & inseparabile huius febris signum, quod extrema semper sunt minus calida quam corporis medium, aut etiam frigida, quod signum Hipp. damnat primo progn. dum corpus inæqualiter calidum apparet, vt eas recte reponere possimus inter lipyrias; at licet calor tepidus videatur, interna tamen uruntur, & sitis adest, aliquando nulla sitis, multa internorum adustio, calor febrilis uix sentitur, id quod in pestilenti hectica contingit. uerum Gal. examinat ipsum toracem, in quo calor euidentior apparet & acrior; nonnumquam vbi cum putrida pestilens iungitur, calor euidens est a principio, & proportionatus, deinde superata putredine remanet calor tepidus, qui malignæ febris est soboles, & videtur declinare morbus, tamen accidit, vt repente ægri moriantur ob malignam, semper tamen considerandum an extrema sint vel frigida vel tepidiora, quia vt dixi hoc signum fere inseparabile est a pestilenti febre, cum extrema ad media non habent calorem proportionatum.

Succedit examinandus pulsus, mox vrina vt maxima signa, primo ad Glauco. & ideo hęc medicus examinare debet; prius igitur pulsus febris ratione, aucti, vsus, magnus, celer frequens apparere deberet; & pro ratione aucti caloris istæ differentię augeri: at in hac febre frequentia pulsus particulariter in maiori proportione ad reliquas duas, magnitudinem scilicet, & celeritatem augetur, ita ut longe sit frequentior quam maior aut celer; in febre tamen pestilenti sine humorum comuni putredine, quia cor mala qualitate afficitur, apparet pulsus paruus, debilis, ac valde frequens; tales enim sunt aifferentiæ resolutarum uirium, vt ait Gal. libro de introductione pulsus; dixit valde frequen-

tem, quia hęc differentia peculiaris maxime est harum febrium; quod si cum putredine humorum pestilens iungatur potest a principio etiam esse magnus, & ad proportionem caloris; at disoluta facultas hanc frequentiam habet faciliorem quam aliam pulsus differentiam; nam aucto calore in robusta facultate primo augetur magnitudo, mox celeritas, inde frequentia; contra debilitata facultate & resoluta, prius fit pulsus creber, deinde celer ac paruus. aliquando cum natura ad pugnam insurgit vel irritatur pulsus maior, & robustior apparet; sed paulo post cum in malo res tendit succumbit; in hectica uero pestilenti sicuti calor vix febris iudicium prębet ob exiguitatem, ita quoq; pulsus videtur similis naturali; Gal. refert hoc ad inæqualem intemperiem cordis, & arteriarum; vbi scilicet contenta sunt frigida, continentia calida vel contra, tunc fit temperies quædam propter quam pulsus naturali similis apparet cum tamen morbus sit pessimus: idem tamen incredibile aliquibus apparet, maxime in corde, quod cum sit calidissimum viscus, non possint in eo refrigerari humores, præsertim si ponatur caliditas in solidis; sed eorum pace dicam Gal. placitum hac in re non est reijciendum, siquidem de pituita vitria dixit idem Gal. aliquando, quod ab eo frigida est, vt nulla ratione calefieri possit intra corpus, & ego notaui in quodam qui maligna febre discessit, in dextro ventriculo cordis substantiam quandam quasi glaciem coagulatam ad magnitudinem nucis paruæ; item aqua in pericardio contenta, potest ad humores cordis, uel eius corpus trahi in tanta copia, ut refrigeret illa; nec negare oportet inæquales intemperies; sed alia causa videtur esse recipienda magis, cur pulsus aliquando, corde pessime affecto, sit naturalis; quia scilicet calor ab eo debilitatur, vt non possit pulsũ mutare & extendere, sicuti neque calorem communicare ob spiritus & caloris inati deminutionem ex affectione cordis; attamen si quis exacte talem pulsum examinet, inueniet differentiam a naturali; quia & languidior, & frequentior, & inæqualis erit; nec solum carpi arterias tangere oportet, sed cordis ipsius motum examinare, qui magis declarabit pulsus naturam sicuti igitur calor extremorum non proportionatus ad medium, videtur esse proprium, & inseparabile signum omnis febris pestilentis, ita pulsus frequentia maior ad proportionem aliarum differentiarũ, proprium & inseparabile istius febris signum eße videtur; ita

vt pulsus uideatur fugere illico manus contactum. at de respiratione qualis in hac febre sit, uidetur respondere pulsui, cum non exuriuntur partes internæ, tunc enim magna, & frequens apparet, nisi delirium adsit, in quo magna & rara fit, at vbi adest dolor, vel inflãmatio parua fit, & frequens, vt in morbis toracis ac pulmonis; fit quoq; suspiriosa respiratio & quasi gementium suspiria, quam malam dicebat Hipp. 4. aphoris. respiratio quoq; fœtida propria est pestilentis febris, licet non sit perpetua, & perniciosa tamen lætalis, quia magnam putredinem indicat; vnde Gal. libro 3. de præsa. pulsus, ad hecticam pestilentem cognoscendum monet vt olfaciamus respirationem, quæ fœtida apparere solet; fœtor etiam corporis ægrotantis perniciosum, & lætale signũ est & proprium huius febris; idem quoq; odor in urina: quare qui in peste sunt periti hunc fœtorem præcipue considerant in respiratione; aut si malus & teter uapor a corpore ægri ueniat, aut urina ualde fęteat quæ in hac febre tantum visuntur. fœtor item sanguinis extracti huius febris signum est proprium, & lætale, & aliorum excrementorum, fecum, ac sudoris.

De urina uero mox dicendum est, an in ea aliquod proprium signum huius febris reperiri possit: certe si aliquod est illud ad fœtorem referenda, varia tamen esse solet, aliquando naturali similis apparet, non est vt vulgo dicitur, quoniam natura non audet cum morbo pugnare; natura enim ex necessitate operatur, & semper in quantum potest agit aduersus corrumpentia; sed id accidit uel quoniam adeo debilis est, ut humores comiscere non possit ad mutandam urinam; uel quia cum in corde venenum sit, nõ alteratur vrina, sicuti in hectica maligna contingit; nam vrinæ mutatio propria est febrium putridarum non ephemerę, aut hecticę; ac si cum putrida comitata sit pestilens febris, tunc varia apparet vrina, vt plurimum turbata est, craßa, imo confusa; & hęc urinę confusio uidetur esse proprium signum malignę febris, in qua nulla ratione partes separantur, nec igne, neq; deposite subsident; in colore etiam male urinę apparent æruginosæ, uenetę, liuidę, nigræ, oleosæ, pingues; sedimenta autem nulla, aut crassa, turbata, farinacea, spermatica, diuulsa, nigra; deniq; cum uaria & multiplex vrina appareat in hac febre, duo tamen censentur propria, non tamen inseparabilia, & sumuntur ex magno illius fœtore & confusione; confusa enim vrina, quæ in

eodem

eodem statu perseuerat magnę putredinis est inditium, & longe peior est quam turbata; quia in hac vel caloris beneficio, vel a se partes separantur, in illa vero numquam.

Quo ad alui excrementa, deiectio ualde fœtens solet esse signum malignæ febris proprium, sicuti idem fætor in uomitu, sanguine, urina, & sudore; sed in alui egestionibus non est ita prauum inditium; siquidem hę sua natura graueolentia sunt, prauæ quoq; deiectiones in coloribus sunt, & substantiæ uariæ, biliosæ, spumosæ, sincerę, eruginosę, liuidæ, nigræ, pingues, rubræ, ramentosæ, leues, & albæ ac uirides, quæ sunt signa colliquationis: sanguis quoq; aliquando sponte deijcitur, qui uti niger, uel putridus, aut marcidus conspicitur, signum est proprium huius mali, sicuti & stillæ sanguinis nigri, ac sinceri. a uomitu frequenter hæc febris initium capit, pręsertim cum epidemia est, frequens namque uomitus, & frequentes sudores a principio non soluentes febrem, & qui aliquando etiam sunt diaforetici, apparent colliquantes circa collum, & ceruicem; minuti, pessimi sunt, & lętales; aliquando perpetui sunt per totū annū, ut in febre anglica, qui uel uires resoluunt, uel morbum iudicant intra spatium vnius diei; sed illud difficultatem facit quomodo sudor in prima die possit iudicare istā febrem, nam iudicatoria in bonum non fiunt in prima die? dic sudorem poße finire febrem anglicā, sed imperfecte; liberat enim hominem quia magna pars ueneni per sudores uacuatur, at non nisi longo tempore reficitur, & est imperfecta iudicatio; crises tamen ut plurimum sunt a principio malæ; nonnumquam uero accidit esse cum utilitate, ut in uenenosis morbis, in peste bubonia, & cum carbunculis, quia natura per abscessum, morbum iudicat, uel per sudorem, ut in anglica febre, cum materia illa non sit coctionis capax, & sic per imperfectam crisim morbus a principio iudicari potest, aliquando nulla euidens uacuatio a principio apparet, quod melius est, quia natura non irritatur, neque materia adeo mala est: vbi uero uel cum sudore, uel alui fluxu, uel uomitu, aut vrinæ effusione incipit febris, timendum est, ob contrarias causas. cibi fastidium solet comitari nonnumquam hanc febrem, ita ut nulla ratione quidq; gustare possint ægri, uel si aliquid petunt vbi apponitur reijcitur, quod malum signum & mala causa est.

Ad animalem facultatem pertinent delirium, conuultiones,

tre-

tremores manuum, vocis tarditas, vt non possint proferre quæ desiderant; aliqui se ægrotare negant, torpidi sunt, insensati, etiamsi natura prudētes sine pudore iacent, tam uiri, quam mulieres, alioquin honesti, graues in lecto sunt, ita ut uix moueri possint, uigilię fere continuæ, uel sopor ingens eos afficit in accessione, inquietudo stragulorum, a pectore deiectiones, lipothymiæ, syncopes, tristitiæ, omnia hęc simptomata possunt aduenire in pestilenti febre, nō quod sint inseparabilia uel simul in ea appareant sed quod aliqua ex his, & si non omnia uisantur.

Iam uero unum videtur esse signum proprium pestilentis febris, quo posito & illa necessario ponitur, quia caracter est illius, & quasi abscessus, quales sunt bubones, carbunculi, figetla, & alij tumores; qui apparent per pestilentes febres communiter uagantes, transmitente natura humores ad partes ignobiles post aures, uel sub axillas, aut ad inguina, quę sunt germina uiscerum affectorum, cerebri, cordis, aut iecoris; maculæ preterea uariæ, præsertim illæ, quæ exantemata uocantur, Italice petecchie, hispanice tabardillo, sunt signa propria huius affectionis; apparent enim per malignas febres huiusmodi maculæ culicum, mercibus similes, differentes colore, quantitate, exitus tempore; nam quædam sunt rubræ, alię flauæ, aliæ uiolaceæ, alię nigræ; quantitate, quia uel in multa copia, uel parua apparent, uel maculæ grādiores sunt, aut paruæ; tempore, quia quædam intra septimam vsque ad decimamquartam prorumpunt; primæ fere simptomaticæ, quæ in primis diebus conspiciuntur; aliæ criticæ, quæ post coctionem comparent; semper tamen cum calore, inquietudine, delirio, sopore ante illorum apparitionem; & fiunt ob ebulitionem sanguinis maligni, & apparent præsertim in dorso propter uasa magna quæ per eam partem perreptiant, nigræ, & violaceę, fere lætales sunt, & quo maiores fuerint, & a principio, maximæ enim putredinis sunt inditia, & malignę febris, simptomata quæ ad qualitatem mutatam pertinent, punicæ, & rubrę laudantur: Cæterum an exantemata hæc fuerint antiquis cognita Hipp præsertim & Gal. dubitare merito quis posset; nam si diligenter eorum uolumina percurramus, uix reperiemus memoriam ullam fieri febris cum maculis; Hipp. tamen 2. epide. sectione 3. mentionem facit istarum macularum, quæ per ęstiuas febres in quadam constitutione apparebant, ita enim habet ille. superuenie-

bant æstiuis febribus circa septimam octauam aut nonam, asperitates in cute miliaceę culicum morsibus maxime similes, non admodum pruriginosæ & persistebant vsque ad iudicationem, auditui erant graui Comatosę; per quæ uerba Hipp. hæc nostra exantemata intelligere uidetur, quæ antequã appareant, & paulo post delirium, & saporem inferunt, a biliosis vaporibus delirium, a crassis sopor & somnolentia; at nec hę peticulæ proprium signum malignæ febris semper sunt, uidi enim aliquando eas sine febre, aliquando cum exigua, & sine ulla cerebri offensione apparere, raro tamen id accidit; at licet hæ maculę inter peticulas numerari possint, non tamen tempore Hipp. aut Gal. frequens fuit hoc malum, quemadmodum hisce nostris temporibus, sed rarissimum, ut fere merito morbus nouus censeri debeat: apparent etiam maculæ in his febribus magnę, diuersorum colorum: nonnumquã post mortem uisuntur nigrę in dorso, sicuti illis qui ex ueneno intereũt; causa multiplex assignari potest; una quod exalante calore natiuo trahit sanguinem ad cutim, qui spiritu destitutus liuescit, atq; nigrescit, & amittit proprium splendorem; altera quia sanguis in superficie corporis aduritur, & nigrescit; tertia causa ex veneni qualitate, & humorum malefica ui, quæ inficit sanguinem, sicuti contigit illi qui uiperas uenabatur, ex morsu cuiusdam totus flauo colore, ac uiridi infectus apparuit, ut testatur Gal. lib. 5 de locis affectis; sic causa pestiferæ febris sanguinem inficere potest, & maculas facere nigras; aliquando viuente homine nonnumquam autem post mortem.

Denique febrium pestilentium vnum frequens signum apparet, aliquando a principio, sed magis in progreßu ulcera silicet, circa fauces, os, & linguam, quæ adeo afficiunt ægrum, ut nihil assumere possit cibi, aut potus; & aliquando maligna, & serpentia fiunt, non solum in ore, lingua, & faucibus, sed in gula, & aspera arteria: testimonium habet Gal. 5. method. vbi aliquando hemoptoicam passionem, & tabem post malignas febres ab vlceribus natas in illis partibus commemorat; qua de re Hipp. 3. prog. 15. fauces, ait, exulceratæ cum febre, horrendæ sunt, & si quod aliud signum ex malis antea dictis accedat, in periculo homo uersatur; nam aliquibus febris ardens uidetur inclinare, & superueniẽtibus his vlceribus pereunt, accedente fastidio cibi maximo, ut nil possint accipere, nec potum, quem etiam detestantur

ęgri

ægri licet exurantur, in quibus credendum est internas Gulæ, & asperæ arteriæ partes, vsque ad ventriculum ac pulmonem vlcerari, ac exedi, quod etiam, & in ventriculo, ac intestinis per eadem contingit, vt in his partibus corruptiones appareant; quare semper in acutis febribus, & malignis, fauces considerandæ; sunt enim viæ illæ per quas sursum vapores eleuantur, & deorsũ a capite descendunt humores, & non raro in hac febre afficiuntur, ac in cęteris acutis.

De euentu prædicendo in pestilenti febre.

GLoriosum profecto est, & pene diuinum si præter omnem vulgi expectationem hominem sanandum prędicas; & è contra timeas quando alij spem magnam concipiunt; itemq; superuentura in morbis accidentia, pugnas, motus, ac tempora prævideas; hoc tamen non cuiusq; hominis est, sed illius qui omnia artis præcepta caleat, & in curandis ægris consenuerit, atq; ingenio præcellenti sit dotatus; ideo difficillimum censetur, sed multo difficilius prędicere in malignis, ac pestilentibus febribus, in quibus nullum adeo bonum signum conspicitur, quod sicure salutem denunciare valeat, & vix aliquod tam malum ac prauum quod interitum præscribat ineuitabilem; ideo in his pręcipue, vere dixit Hipp. non esse certas salutis, ac mortis omnino 2. aphoris. 19. sunt autem tres signorum gradus, tam in bonis, quam in malis in bonis bonũ, valde bonũ, optimum; in malis malum, prauum, pessimum; & inter signa bona, & mala, media quædam statuuntur quę neutra iure merito dicuntur; exemplum habes ab Hipp. in prog. omnium horum: ex his oportet coniecturam facere considerando non solum numerum signorum, sed uim, & magnitudinem; illud tamen seruandum a medico uelim, vt in his pestiferis febribus, non euentum prædicat antequam morbus ad statum peruenìat, contingere enim solet aliquando in his vti melior vrina fiat, & remissio febris esse videatur, remanente tamen pestifera in corde qualitate, hominem perdat; ideo reliqua symptomata mẽte percurrenda sunt: at dices natura in statu morbi recte solet operari, quomodo igitur apparente urina bona, & febris remissione moritur æger? dic quia superata est putrida febris quæ cum maligna erat coniuncta, remanet tamen maligna; cæterum vbi exante-

mata, uel maculę nigrę sunt, lætale signum iudicatur, & nemině vidi seruatum: idem erit, si liuidæ videantur, vbi autem maculæ rubrę sunt, & ad septimum, nonum, & vndecimum se proferunt, neq; occultantur cum alijs bonis signis, spes salutis elucet: sed dices non posse hunc abscesſum macularum soluere morbum, quia non est pro ratione leuandi morbi, cum minima pars materiæ ita deponatur; propterea per apparitionem harum macularum vix posse fieri crisim aliqui opinantur: sed dicimus hanc apparitionem tanquam signum saltem, vbi criticę apparent esse bonum: vel dic quod in hoc malo magis peccant humores qualitate, quam quantitate; ideo potest natura per istas maculas sauguinem a malefica qualitate expurgare; nam quæ vacuantur, ait Hipp. multitudine non sunt metienda, sed si qualia oportet purgantur: longe tamen melius iudicant has febres aliquãdo variolæ, & morbilli, siquidem fit abscessus pro ratione ad proportionem peccantis materię. Cæterum febris pestilens epidemia solet iudicari intra quatuor dies per abscesſus transmittendo natura materiam ad partes ignobiles, scilicet inguina, post aures, ad axillas, aliquãdo in alias partes corporis, vbi bubones, & carbones gignit, qui aliquando febrem antecedunt nonnumquam eam sequuntur, qui si fuerint in partibus infernis, & de natura bubonis magni, ac rubri, spes est salutis; at si in supernis partibus appareant & mali coloris, nigri, vel liuidi, & carbonis naturam refferant pessimi sunt; denique a conferentia & tolerantia euentum prædicere oportet.

De pestilenti uero febre hectica, de qua Gal. mentionem facit, 3. de præsagio pulsus; quando pulsus, calor, & vrina vix a statu naturali discedunt, æger tamen necessario moritur; quia in ea, putredo in substantiam cordis occupauit: sed an sit necessario interficiat, Gal. affirmat, & ex eo probatur, quia nemo potest euadere, vbi putredo ingens qualis est in maligna hectica febre substantiam cordis occupat. Contra tamen Petrus salius hanc febrem non semper lętalem esse asserit, in qua pulsus, vrina, & calor vix a naturali statu discedunt, sine concursu putridę; dicit enim se multas huiusmodi febres sanasse, imo qui tali febre maligna laborant, cum non sit adiuncta putridæ facilius sanari; sed errat hic vir alioquin doctus, & acuratus; quoniam hectica pestilens, de qua agit 3. de præsagio pulsuũ, habet fætidam respirationem, quæ vbi adest necesſario est lætalis: vel dic secundo quod

hectica

hectica pestilens vel est confirmata, cum ita valida sit, ut radicalem humidum breuissimo spatio assumat, uel in dispositione primo modo hectica pestilens semper est letalis; quia tam valida consumptio ob magnam putredinem fit: secunda uero non item; nam potest humidum radicale aliquando paulatim consumi ab interno calore, aliquando repente ob causæ potentiam, id quod in pomo conspicitur, quod paulatim aliquãdo exsiccatur; nonnumquam repente ab aliquo extrinseco: prima febris non semper est lætalis. secunda uero non curatur; cum igitur respiratio fetida est, aut vrina, aut sudor, aut corpus halitum fætidum transpirat, inter signa letalia adnumerantur, ut nullus fere sit qui euadat: ceterum signa bona in vrina, in fæcibus, in pulsu bene se habere ad oblatam mentem constare; & respiratio quoque non læsa ad salutem ægrum tendere declarant, dummodo constantia sint, & durent. Hipp. 3. progn. 8. pessimarum febrium signa proponit ad prædicendam mortem intra primum quaternarium, sicuti opposita ad salutem, quæ semper memoria tenere debet medicus; qui enim superstites euasuri sunt facile, ait Hipp. spirantes & doloris exortes sunt, & noctu dormiunt, aliaq; signa securissima habẽt; qui uero morituri, ægre spirãtes fiunt, delirantes, vigilantes aliaq; signa pessima habentes; hæc vbi a principio apparent non possunt esse critica, & plerumq; ægri moriuntur; in statu vero possunt ad uenire ratione crisis future, quia perturbatur natura & horrenda excitãtur symptomata inconstãti morbo ut docet Gal. 3. acut. 45.

De præcauenda febre maligna.

DVas habet medicus intentiones ad præcauendas febres pestilentes, altera causas efficientes respicit, altera uero corpora, quæ ita preparentur, ut difficile maleficas dispositiones recipiant; quo ad causas efficientes, diligenter percurrendæ sunt, & illarum signa distinguenda, vt possit medicus illas oppugnare, & obtundere, nec corpora offendat, & tunc precipue insudare debet, vbi causæ uniuersales sint, quæ minantur prouinciarum ruinas, & vrbium depopulationes, inter quas ea quæ ab aëre dependet primum locum obtinet; siquidem potentissima est, & quia vniuersalior est omnium causarum, & quia eius mutationes vehementiores sunt, & maxime morbos faciant 3. apho. primo, si istæ

ſint in manifeſtis qualitatibus, ſed multo magis in occultis; ideo uocat Hipp. hanc cauſam diuinam primo progn. 3. & peſtilentis febris cauſa eſt multis modis, vt ſupradictum eſt; primo quando calidus in exceſſu fuerit, tunc ratione corporis male affecti poteſt talem morbum inducere; licet aliqui velint quod calor ſine humore non poſſit id facere; facit tamen ſi corpus impurum fuerit, primo de differ. febris; ergo tunc refrigerandus erit omni ratione, quærendaq; loca ſunt in montibus, aut quæ aquiloni ſint expoſita, frigidis aquis, & artificialibus fontibus, ac frigidis plantis alterandus, aceto, aqua roſacea irriganda domus, addendo ſantalos, & ad ſuffitus & canforam: procurandum, vt aër tranſpiret & liberum habeat exitum; cubicula ſubterranea, non tamen humida habitanda, atq; omnibus modis calor ille refrigerandus; frigida alimenta ſumenda; bibenda aqua, ut ibi longa temporis conſtitutio auſtrina durauit cum pluuijs; aut ſine illis; vnde putredinis aëris inſtat periculum, uel ad ſiccißima; loca eundum, vel corrigendus aër eſt per ea quę validam uim ſiccandi habēt; ſiquidem ſicca omnis putredinis remedia ſunt; nam putrefiunt facile quę calida & humida ſunt nec trāſpirant 11. metho. inter ea quę maxime ſiccant ignis eſt, ideo aëris non ſolum humidi, ſed qua vis ratione corrupti, præſtantiſſimum & maximum cenſetur remedium; non enim ſiccando ſolum putredinem tollit, ſed diſſipādo omnes uapores, omne contagium, & quamcunque aëris malefici conditionem corrigerendo conducit, quamobrem Hipp. ſummus uir hoc uſus remedio Græciam ſeruauit a peſte; accendendi enim ignes ſunt circa loca nemorum accenſione, & per vias vrbium ſępe; imo quotidie ignes fiant cum odoriferis, ſcilicet lauro, cupreſſo, iunipero, pino, oliua; nec ſolum per uias, ſed per domos iſti ignes accendantur, a quibus ſuffitus ſicci eleuentur qui aërem emendent, ſuffitus ex belſuino, mirrha, prę cæteris ex aßa fætida iudicatur omnium validiſſime aërem putridū emendare.

Conſiderandum pręcipue eſt vnde origo putredinis fiat in aëre, & tollendæ cauſæ; nam ſi a ſupernis veniat, vt per conſtitutiones temporis calidas & humidas, vel a malo influxu, aër igne & ſuffitibus, ut ſupra corrigendus; & ſi ex aquis putrefiat aër, quales ſunt paludum, & ſtagnorum, foſſorum per ęſtatem, procurandum eſt ut per Iulium & auguſtum dum non pluit exiccentur paludes, & foßi; quod ſi exiccari non poſſint, ſaltem nouis aquis

per

per interualla ad loca aquarum deductis, illarum putredo remoueatur; sicuti enim pluuiarum aquę solent corrigere istas putrefactas; sic si arte irrigentur, & renouentur frequenter, minime corrumpentur: quod si neque exiccari paludes poßunt & fossa, nec noua aqua con duci; semel saltem in mense mundentur ab herbaceis quas gignunt; quod si Pisis fieret non uagarentur pestilentes febres ad æstatis finem & autumnum: vbi autem ex aliquo terræ hiatu aura maligna eleuatur, locus magna lignorum strue posita incendatur, & comburatur: quod si cadauerum multitudo adsit, illa vel comburenda, vel profundis fossis sepellienda, longe ab vrbe, & argilla uel calce opperienda; & si quid aliud in superficie terræ immundum sit, remouendum: in magnis vrbibus mundandæ viæ a sordibus, & excrementis quotidie; quia hæc vbi quiescunt pessimam putredinem spirant; cuius negligentia non raro pestes ac pestilentes febres adueniunt, vt dixi, Olysipponi, Bisantio, & Lutetiæ: vbi præterea locustarum, aut reptiliũ, serpentumue multitudo adest, vbiq; accendendi ignes; vt illorũ putredo extinguatur: acerui herbarum male olentium, & malę plantę ex terra & aqua extirpandæ, comburendæ, uel ad flumina transmittendę; & quæcumque sordes cuiusuis loci auferendæ: quod si ex terræ meatibus malignus vapor aërem inficiens ascendat, tunc altiora domus loca habitanda, ignes pariter frequenter accendantur, viæ struantur multa arena, & herbis, quę odoratæ sint, quales sunt thimus, maiorana, saluia, pulegium, laurus, cupressus, iuniperus: deniquę vapores aëris extirpandi sunt atq; agitandi, si qua arte idfieri possit; videmus enim magnas pestilentias, orta maxima tempestate ceßasse, sicut in peste Olysipponi contigit, quæ cum iam per multos menses grassata esset, tam ingens uentorum procella per tres dies excitata est, vt numquam talis antea visa fuerit; post quam malum in totum extinctum est: Salius ad eam intentionem dissipandi vapores auxilia excogitauit, quibus commoueri poßet aër, si tormentis bellicis, vulgo artigliaria dicitur, quotidie multoties concutiatur aër ad dissipandos prauos in eo uapores.

At uero vbi annonę caritas propter frugum inopiam adest, uel bello nauali aut terrestri alimenta defficiunt, aut corrupta sunt tam cibus quam potus, difficile est præcauere malignas febres; in caritate annonæ, pauperes cogunt legumina, aut herbas commedere,

dere, & quidquid illis obuiam uenit; idem facere coguntur qui diu nauigant, aut obſedione longa tenentur; proinde principum cura maxima eſſe debet, vbi ſterilis eſt annus, frumenta vndique prouidere; quod ſi herbas commedere neceſſitas cogat, eas coctas cũ oleo, aceto, & ſale eſitare oportet; & quæ minus nociuæ ſunt, cuiuſmodi lactuca eſt & cicorium, beta triplex, braſica, malua, borrago: inter fructus probantur ficus, vuę recentes, ſed magis paſſæ; ſicuti & pruna, amigdalæ cum caricis, & caricæ cum nucibus; ſunt boni ſucci. pira, ac poma coquenda: inter radices rapa, paſtinacia, magis probantur; minus cepæ, porra; inter legumina, oriza, faba, piſa, cicera, fazeoli; at ſi neceſſitas cogat in defectu carnium, aut piſcium laudabilium ad alia confugere oportet, quæ valde inſuauia non ſunt, & minus diſtant a temperie hominis, qualis aſinino caro; ſed pulli iuuenis quam Gal. ſimilem eſſe dicit ceruinæ 3. de alimentis, æquorum quoq; carnes edere, & catulorum, fælium, & murium per obſidiones coguntur milites, quę ſi bene coquantur tam aſſę, quam elixæ, additis aromatibus minus malæ cenſentur: iterum ſi vinum adeſt, bibendum, corrigit enim prauorum alimentorum malitiam; ſin minus aqua pura, & non turbida, aut praua, corrupta ſtagnorum uel paludum; quod ſi tales aquas bibere cogantur, eas coquendo, diſtillando, traſcolando, corrigere oportet; allia edenda ante potum, quæ corrigere aquarum prauitatem Dioſcorides aſſeuerat.

Quo ad contagium qua ratione ſit præcauendum nunc exponamus, & in primis cauere oportet, cum merces clauſæ aliunde portatę apperiuntur, ne appropinquemus ad illas, præſertim ſi a locis qui peſte infeſtari ſolent aduenient, iubendum vt aëri exponãtur, vel aqua mergantur, quia ex agitatione harum rerum repente affici homines uidemus; quod ſi contingat, omnia igni tradenda quæ ſeminarium contagij habuere; & ſi homines pereant, & ipſi quoq; igni tradendi; ſi uero ægrotent ſequeſtrandi vltra vrbem omnes veſtes, & mobilia illorum etiam comburantur; occidantur canes, fęles, conſortium hominum fugiendum, omnia munda ſint; facile vero communicatur ex corporibus contagio infectis, etiam aëri illa mala qualitas, vbi morbus procedit; ſolet autem ſęuire peſtilens febris circa noui lunea, & pleni lunea; ideo per ea tempora maiorem ſui curam habere conuenit; quia commouentur humores, & contagium magis & citius opperatur

nisi enim moueatur non inficit corpora .

Cum vero febris pestiferæ causa intrinseca (vt dictum est) uenenum esse possit temporaneum, ideo magnam custodiam adhibere debent, qui suspicionem habent, ne incauti illud assumãt; quia temporaneum venenum non statim se prodit ut præsentaneũ quod illico se manifestat, cui succurrere possumus; procurare ergo oportet, vt fidissimi sint famuli, ancillæ, coqui, qui cibos & vinum tractant. Seneca cum venenum timeret a Nerone, nullius opera in cibis vtebatur; uestes, interulę, sindones omnis denique œconomia munda sit, & sub clauibus reposita suffiantur odoratis; cutanda conuiuia, præsertim cum simulatis amicis, quales sunt vnius professionis, ob inuidiam enim, prauos & ignaros medicos, peritos occidere Romæ solitos veneno, Gal. affirmat; quare ab Eudemo Philosopho admonitus, ut sibi caueret insidias affirmat: locus ad mensam non idem seruetur, ita enim saltem tutus erit a pane: preterea vasa quædam sunt quæ exsudant, aut maculas contrahunt, vbi uenenum adest, quale est electrum, porcellana, aurichalchũ, quod vitiatur non solum a ueneno, sed ab accidis; ex acribus, catuli, ptisaci, fæles, aut corui, nutriendi; in quibus fiat periculum priusquam edas. abstinendum, a ferculis ualde mixtis, & ualde odoratis, aut dulcibus, vel acribus; sub his enim absconditur odor & sapor ipsius ueneni; fugiendus usus fungorũ, ranarum, & minutarum herbarum in acetarijs, in quibus herbæ plurimę habentur; fœniculus quoq; & saluia cauendæ, quia sub his latent serpentes, per quæ quando occidunt uenefici excusationem facinoris habent: quæ exponuntur in cibis odore prius examinanda, mox sapore, si quid fętidum, uel sordidum, uel in suaue, quod linguæ, & faucibus hęreat, uel strideat sub dentibus, uel acredinem præseferat, tunc reijciendum. at de potu maior habenda cura est, seu vini, seu aquę, quæ non statim haurienda, sed labijs degustanda, & exploranda sunt: coltella quoq: detergenda ne in his venenum adhæreat; qua arte si quis instructus procedat, omne genus veneni euitabit.

De causis extrinsicis, & intrinsecis pestilẽtis febris dictum est, qua ratione illæ oppugnandæ sint: nunc ad corpora ueniendum, quæ infici solent, & doceamus qua arte pręparari debeant, ne offendantur, atq; illud in primis sciendum quod aëris vitia, vnde epidemię pestes proueniunt, nulla arte melius uitantur, quam ex

muta-

mutatione loci; sic cum ex prędictis signis aëris corruptionem timemus, cito ad salubriora fugiamus loca, & ibi diu moremur, ac tarde admodum redeamus; nam multoties videtur sedata pestis, sed rursus insurgit, & in hoc nullum est artificium; sed consistit in fuga pedum. illud tamen quæstione dignum est, cur aliqui ex insalubri loco in salutiferum uenientes ægrotent, & moriantur: dicunt aliqui non esse locum mutandum, vbi tantum aër est corruptus, sed cũ imminet corruptio, & principia adsunt futurę putredinis; quia si ex iam pestifero cælo quis ad salubrem se conferat, natura aggreditur pugnam, quia unum tantum habet inimicum internum; at cum erat in aëre putrido, habebat duos inimicos, & non audebat pugnare: sed hę sunt fabulę & uanitatis plenæ; nam quo uis tempore conducit locum mutare, & debet sibi consulere vnusquisq;, ut fugiat aërem pestilentem quocunq; tẽpore; habet enim in hoc ut pessimam causam efugiat, a qua singulis horis instat mortis periculum, natura autem numquam desinit causam oppugnare, quia agit semper in quantum potest & resistit uenenis, atq; causis morbificis semper cum irritatur ab illis, ac mouetur; cur uero aliqui ęgrotent, & moriantur in aëre salubri, causa est, quia ex motu itineris commouetur uenenum, quod intra corpus quiescebat, & tunc naturam irritat ad pugnã, quod prius in aëre illo putrido non fiebat: respondetur secundo, quod si quis mutans locum portat secum putredinis semina, tunc vigorata natura ex aëre salubri aggreditur causam morbificam: sed sic obijcies, si natura semper agit in conseruationem indiuidui, quomodo in aëre insalubri non ęgrotauit ęger? & quomodo in temporaneo ueneno, ut in rabidis quiescit, nec oppugnat illius perniciem? dicendum quod sicuti uenenum vbi occulte agit, ita occulte quoq; natura agit: vel quod natura non semper irritatur nec mouetur, nisi cum causa morbifica in actum perducitur, quod fit in febribus intermittentibus.

Quod si necessitas cogat nos permanere in aëre corrupto, uel timentur febres pestiferę; tunc corpus prępárandum est ut magis resistat putredini; & si consulamus Gal. libro primo de differentijs febr. ista repugnantia consistit in siccitate; siquidem humiditas facile putredinem concipit; quare humida corpora siccanda esse dicebat, sicca uero seruanda in sua siccitate; proinde in humidis corporibus guaiaci, salsę, aut cinę decoctum cum uictu illo,

medi-

medicato, puto magnum esse, & validissimum auxilium, nequis pestifera lue corripiatur, & ab ea præseruetur: corpora etiã quæ obstructionibus scatent, & cruditatibus, & prauis abundant humoribus, aptitudinem habent ad febrem pestilentem magis; & ideo pletoricis sanguinis missio in cachochimia purgatio necessaria esse videntur; vt quis fugere possit, & defendi a putredine, & pestilenti febre Gal. primo de differentijs febriũ purgationis meminit, non autem missionis sanguinis: contra tamen posset aliquis dicere, non conuenire missionem sanguinis, nec purgationem ad euitandam pestilentem febrem; siquidem praua qualitas, & maligna pariter videtur afficere corpora omnia, imo quæ saniora sũt magis; siquidem in corrupto aëre quouis, iuuenes magis afficiuntur, quam senes; & robusti quam imbecilles, mares quam fęminæ; adde quod qui vlceribus scatent, minus offenduntur quam reliqui. vias quoq; aperire, & meatus reseruare, vt Gal. præcipit, non conuenire videtur; sic enim maior patebit aditus, quam si omnia clausa essent; præsertim quod venæ sectione, & purgatione corpora debilitantur, & commouentur humores, unde magis inficiuntur corpora; hanc sententiam videtur confirmare Hipp. primo de natura humana, vbi dicit ad præcauendam pestem duo esse necessaria, vnum ut mutetur locus; sin minus vt corpus extenuetur, & debilissimum fiat, vt quam minimum aëris atrahat.

Quibus tamen in contrarium non obstantibus, pro verissima habenda est sententia Gal. quod vbi corpora plectorica sunt, & vires constant sanguis sit mittendus; & vbi malis abundant humoribus sint expurganda, & obstructiones apperiendę, rarefaciendum, cruditates vitandæ, ac venus fugienda; hac enim ratione efficitur quod scribit Hipp. curandum scilicet, vti corpus quã tenuissimum fiat; tunc enim minimum aëris attrahet, & ratione siccitatis putredini resistet quam maxime: quod vero dicitur debilitari corpora a sectione uenæ & purgatione; dicimus quod sanguis non debet mitti nisi adsit plenitudo ad uasa, & uires ferant, alioquin potest plenitudo curari alijs ingenijs 4. meth. scilicet cibo tenui, & pauco, frictione, leui exercitio, & clisteribus, aut lenienti pharmaco; nec uires debilitabuntur: de purgatione idem dicendum est, quod ex mediocri medicamento non debilitantur corpora, nec humores conturbantur; quin imo leuatur fomes & materia disposita ad putredinem: ad argumenta quod sana

& robusta corpora magis febre corripiantur, vt iuuenum & masculorum; dico id prouenire quia talia corpora plerumq; plenitudine afficiuntur, & si temperata sint, ob calorem, multum aëris attrahunt, & multo humore abundant, quod in senibus, & frigidis, & cachochimis non contingit; Hipp. autem præcipuam causam pręcauendi pestem ex aëre dicit esse, vt quam minimum aëris attrahatur. qui vero vlceribus scatent, & pustulis, non facile corripiuntur a peste; quia corpus expurgatur per illam viã; ideo qui cauteria habent & fonticulos, difficile admodum corripiuntur peste, vt experientia compertum est; quia per eam uiã corpora expurgantur: raritas autem corporis in his vnum est, quæ repugnant putredini; siquidem hæc ab impedita transpiratione frequentissime oritur, vt saltem minus parata sint rara corpora, nec ex raritate fit vt maior aëris copia ingrediatur per respirationem, sed a calore multo interno; nam calor est qui attrahit aërem, & quanto fuerit calidus corpus, etiam si habeat pororum densitatem, multo plus attrahet aëris; imo qui densi sunt, per respirationem multo plus trahunt, quam qui raro sunt corporis habitu. quod vero magna præcauendi pestem causa sit parum aëris attrahere, vt Hipp. ait, confirmauit experientia in peste quæ Olysipponi seuissima grassata est, in qua delinquentes qui cellulis occlusi erant in carceribus sanctæ inquisitionis ad quas vix lux penetrauerat per angusta foramina, omnes seruati sunt; causa triplex statui potest; vna quia aër offendens minime ad ea loca penetrare poterat; secunda quia contagium non communicando fugiebant; tertia quoniam tenuissime ibi aluntur homines atq; fame macerantur, qua ratione tenuia redduntur corpora, & exiccantur; & ideo inhabilia erant ad labem concipiendam: contra tamen hic duo obijci possunt, vnum est exemplum a Rasi desumptum 3. conti. tractatu 3. asseuerante, quod in quadam peste, omnes periere & solum seruati sunt venatores ob assiduam exercitationem; exiccat enim corpora motus, & ideo tuta fiunt ad pestem, at contra exercitatio facit vt maior copia aëris attrahatur, & per consequens magis afficiatur corpus; ideo quies & nõ exercitatio deberent præseruare magis; 2. qui in angustissimis cellulis carcerati degebant, illi primo infici deberent, siquidem loca illa cum minime transpirent, magis ad putredinem sunt apta; vnde Gal. narrat in quadam peste eos qui in teguris degebant, & lo-

cis an-

cis angustis, priusquam alios malum sensisse. ad primum respondemus, quod tutior est quies aut motus mediocris, quam exercitatio valida, a qua non cogatur homo frequentius respirare; at in venatoribus qui natura sicci sunt, & valde sani, nec excrementis scatent, licet multa aëris copia attraheretur, ob subiecti contrariam dispositionem, non fiebat infectio; secus si corpora fuißent pletoria, aut cachochima, exercitio non aßueta, obstructa, & cruditatibus abundantia; hęc enim ex valida exercitatione maxime periclitantur.

Ad secundum dicimus, quod licet angusta loca minus transpirent, & ea ratione putredini magis sint obnoxia, tamen vbi aër infectus est, & clauduntur fenestrę, nec ingreditur, ea ratione fit vt minus potuerint lædi qui in cellulis illis clausis degebant; imo nullum aliud remedium pręstantius est, in locis pestilentibus, & pessimi aëris, vbi palustres & lacustres aquę putrescunt, quam claudere bene fenestras, nec illas aperire nisi postquã sol per duas horas vapores matutinos dissipauit, deinde adapertis fenestris, per aliquod spatium rursus eas bene claudere telaris lineis, uel vitreis, aut ex carta, & in cubiculis aërem per odorata corrigere: adde ex tenui dieta exiccata esse, vt minus labem concipere possent.

Cæterum inter cibaria, columbarum carnes a proprietate aduersus maleficas febres facere dicunt, laudantur quoq; auiũ montanarum, perdicum, ataginum, turdorum, parseculorum carnes; item & pisces aceto conditi, aut sale, magnam uim habent præseruandi a putredine; quia sal & acetum inter omnia resistunt putredini; vnde inter alia maleficorum remedia 6. epide. Hipp. proponit ista duo; quare spongiola aceto madefacta, & in ore gestata ac manibus, magnam efficaciam habet aduersus aëris malignitatem, item cariofilli ore gestati, aut cinamomum, & nuces. odorata etiam naribus, cauteria præterea in brachijs, & cruribus solent esse magnę efficaciæ ad præcauendam pestem vt dictum est; qui etiam scabie laborant, aut lepra, vel malis vlceribus, aut aliquam corporis partem imbecillem habent, præseruantur a pestilenti febre, aut quia eo purgatur corpus, vel quoniam putredo, & infectio illa antipatiam habet ad malignam aëris qualitatẽ.

Pręseruat quoq; a peste halitus equorum & iumentorum; adeo vt qui stabulis præsunt videantur magis immunes ab inclemen

tia cęli, ſicuti & armentorum, caprarum, pecudum, & bouium.

Inter ea quæ intus ſumuntur ad præcauendam peſtilentem febrem, pilulæ ruffi primum locum habere videntur, & quia ualentius ſiccant & aluum mouent, & quia ſunt alexi farmaca recipiunt aloen, mirrhã, & crocum, fiunt ex duabus partibus aloes, vna mirrhæ & una croci; alij loco croci armoniacum addunt & conficiuntur pilulę cum vino uel oximelite, quarum drach. I. ex uino diluto ſi per dies quadraginta aſſumatur effugiet infectionem; aloe enim, mirrha, crocus, & balſamum, corpora mortuorum incorrupta diu ſeruant, & ſic etiam viua conſeruare, & defendere a putredine poterunt; in eum vſum theriaca uetus atq; mitridatum ad auelanæ magnitudinem, ſi ſingulis diebus aſſumãtur, præſeruant hominem; item bolus armenus, cum ſucco baccharum iuniperi gal. 9. ſimpl. ſunt enim hæc propria remedia ad malefica venena; ſiquidem medium obtinent inter uenena & alimenta ſeu corpus noſtrum, præſertim theriaca, in quam ingreditur caro uiperę; allia quoq; cenſentur repugnare putredini prę cęteris, & corrigunt vitium aquarum; quamobrem eorum vſus in præſeruatione peſtis laudatur; præſertim illis, qui eis ſint aſſueti; in quem uſum & mala citria, nuces, ruta, ſaluia, caricæ laudãtur, ſi ex his doſis ſingulo quoq; mane hauriãtur ad pondus drach. I. uel duarum; oleum quoq; baccharum, iuniperi ad 4. guttas in iure quotidie hauſtum a putredine præſeruant: extra uero experientia comprobauit auripigmentum, ſeu ſublimatum in ſacculo iuſta cor, uel ad ſiniſtram axillam appoſitum præſtantiſſimum eſſe medicamentum, formula talis eße poteſt; ℞. arſenici, ſublimati unc. I. dictami cretici, ſinapi, cinamomi, an. g. X. ambræ odoratæ, belſuini an. g. V. miſce, fiat ſacculus qui ſub axilla ſiniſtra portetur, aut etiam ſupra interulam ad cor, nam a ſimilitudine attrahit quid quid inficere poteſt: uerum dices ſi alexiteria debent eße mædia inter uenena, & corpus noſtrum, 5. ſimpl., ergo arſenicum ſeu ſublimatum hoc, cum ſit purum uenenum appoſitum, magis lædet, quam iuuabit? ad quod dicimus primo, quod ſi corrigatur ea ratione qua diximus cum odoratis non offendet; ſecundo dic quod etiam ſi purum arſenicum apponatur tamen iuuabit, quia Gal. ſententia intelligitur de his quæ intus ſumuntur non autem extra; nam vlceribus multa applicamus ſine noxa quę uenena ſunt ſi intus ſumantur; at rurſus dices quomodo fiet

curatio semper per contraria si remedia maleficorum sunt similia uenenis, aut ex uenenatis constant? imo per similia omnino sanari scorpionis morsum videmus si idem scorpio loco apponatur: ad quę dicimus quod remedia uenenorum 5. simpl. uel sunt uacuãtia, uel alterantia; rursus quæ vacuant, aut trahunt a proprietate substantię, aut a calore; item alterantia vel id faciunt in primis & manifestis qualitatibus, uel in occultis; alexi farmaca si intus sumantur ut theriaca, sunt media inter uenena & corpus nostrum, & curatio fit per cõtraria quatenus carni viperę ad illius venenum inest antipatia quædam; ista etiam carnis scorpionis ad eius uenenum, qua ratione fit per contraria per se curatio, vel ex accidenti quatenus euacuatur materia ueneni, quia per similitudinem trahunt illud & roboratur natura, ut expellat; sic dicimus rhabarbarum calidum febrem curare; quoniam euacuat causam illius, scilicet bilem ducendo; at si theriacæ vsus & eorũ quæ calida sunt in præseruatione magis conuenit in curatione, nõ ita tuto dari possunt ob caliditatem, quia febris pestilens a ueneno calido fit; ideo in ea magis conueniunt quæ refrigerandi vim habent; adde quod in maligna febre quę fere lypiriæ naturã habet, & in qua interna uruntur, extrema uero tepent, minime calida alexi farmaca conueniunt, at præseruando tuto dantur; Cæterum quæ sine calore iuuant, quæ etiam in præseruatione prosunt, inter quæ betzoartica, bollus armenus orientalis qui pallidus est maxime laudatur a Gal. 9. simplicium; habemus etiam smaragdi, & betzoartici lapidis puluerem, hyacinthi, atq; lacrimæ, occuli cerui, conserua de acido, succocriti limonis, aranciorum, & hęc de præseruatione.

De curatione maleficæ febris.

QVa ratione pręcauere possimus pestilentem febrem dictum est, nunc ad curationem accedamus, quando scilicet iam homo actu ægrotat quid agendum sit per omnem differentiam huius febris; qua de re cum multæ sint controuersiæ non est facile determinare quid magis conueniens sit; nos uero vtrinque rationibus examinatis, quid magis ex re futurum sit explicabimus, intentiones medici pro hac curanda febre sumuntur a viribus quæ sui conseruationem indicant per uictum recte & commode institutum;

tutum;

tutum; deinde res pręter naturam, morbus scilicet, causa illius, & symptomata, morbus qui febris est refrigerãtia desiderat, quatenus maligna & malefica exiccantia, & alexifarmaca a proprietate agentia, causa, humores scilicet eam facientes, ratione copię inducant uacuantia, ratione uero qua venenati vacuãtia, extirpantia, & a tota forma alterantia; symptomata, quæ vires prosternunt & morbum augent lenienda sunt; quas intentiones quomodo perficere oportet explicandum sigillatim, & a victu qui uires seruat incipiemus, illius speciem, qualitatem, quantitatem, atq; oportunum tempus exponemus, quę sunt conditiones vnius cuiusq; remedij: & profecto ratio uictus bene instituta tãti momenti est, vt ea sola satis sit pro hac febre curanda; pręcipue quando sola est, non comitata cum putrida, in qua si quis aliã viam procuret sanguinem mittendo, aut purgando, interficiet ęgrum, vt mox dicemus.

De victu febris pestiferę.

DE victu huic febri conuenienti tractaturi, primo in vniuersali, deinde in particulari illum expendemus, quã difficile sit, quanti momenti rectam uictus rationem instituere in acutis morbis Gal. 2. acuto. 40. satis explicat, vbi asserit quod medicus quantitatem uictus conuenientem nõ potest aßequi, nisi per coniecturam artificiosam, & quod artificiose consectari viri est qui omnia quæ in arte sunt præcepta didicerit, atq; eorum vires memoriæ mandauerit, & diligentia omni adhibita se se in operibus artis exercuerit; quanti vero momenti sit error, si in uictu comittatur in acutis docet Hipp. primo acut. 32. atq; 33. vbi ex sorbitione ptisanę intempestiue data, aut pleniori uictu mortem causari dixit 2. eorundem 4. si quis ait primis diebus ægrũ inedia contineat, & postea in uigore morbi nutriat mortem plurimis manifesto afferet, nisi omnino facilis sit morbus; tota autem ratio inueniendi speciẽ uictus in eo consistere ait Hipp. primo aphoris. 9. & Gal. 2. acut. 36. ut cum ea possit perdurare æger vsq; ad morbi uigorem, nec illa mutanda est quo ad declinare incipiat, & iudicatus fuerit; species autem uictus acutis morbis conuenientes apud antiquos uel potus erat, ut aqua oximel & melicratum, aut ptisanę succus, vel deniq; tota ptisana, ut ibi scribit, nõ

panem

panem coctum aut condrum, oua, carnes pullorum aut auium, quibus medici fere vtuntur preter mentē Hipp. maximi & summi uiri; nam Hipp. referente Gal. primo acut. 25. victu tenui vtitur in acutis nec ptisanam excedit, audi verba Gal. eo loco, (loquebatur enim de pleritide) in qua non eſse nutriendum præcepit, niſi cum ſputa cocta, & matura apparuerint, ait ergo ibi Gal. conſtat igitur Hipp. languentibus ipſis neque aliud quidpiā ante pręfinitum tempus dare, nec panem, ſed ptiſana omnino cōtentum, quod ægrū ſatiantis replentiſq; non eſt, ſed potius ſi quis uitio uertere voluerit tenuius quam oportet exuperantium exacte eſt medium, & maxime laudabile & rurſus primo acut. 37. de ptiſana uerba faciens, eam cæteris cibis anteponit ut Hipp. fecit quod humectet mediocriter, incidat quę expui debent humida, tum demum quia uirtutem roboret. contraria facultate pollent panis & condrus; neque uirtutem quidem roborant, ſed neq; humectant nec incidunt, quod neque alterni quidpiam ineſt eorum quæ medici languentibus dare conſueuerunt, verbi gratia ouis, gallorum teſticulis, alis, piſcibus, iuuenibus columbis, & quæcunque id genus; quod ſi æger aquam mulſam ptiſanamq; faſtidierit, piſces ſaxatiles ſunt maxime idonei; ex quibus abunde patet quantum ab Hipp. & Gal. doctrina diſcedunt qui panem coctum, alicam oua, carnes, in acutis exhibent; ſiquidem magis replent quam conueniat; neque enim in acutis ptiſanam totam excedere oportet, ſi morbus ad decimam quartam aut vigeſimā iudicandus eſt; & ſi eam odio habent ægri loco illius piſces ſaxatiles Gal. dat, quorum tamen vſum adeo abominantur aliqui vt ſi quis piſciculum ægro concedat in perniciem vertat; in morbis uero 7. aut 11. dierum ptiſanæ ſuccum dabant, in acutiſſimis quatuor aut 7. dierum, uel inedia, uel potu aquæ oximelitis, aut melicrati, habita ratione virium, & conſuetudinis, ętatis, temperamenti, atq; temporis anni. hic uero opponet aliquis victū Hipp. eſſe nimis tenuem & periculoſum pręſertim hominibus noſtri tēporis qui ſolent pleniſſime nutriri per ſanitatem; præterea multos ptiſanam odio habere quorū ſtomachus illam ferre nō poteſt; ideo neceſſario ad alia veniendum quę magis alant, & ęgro placeant, quare in iure pulli panem coquunt, eoq; vtuntur, holera quoq; quæ tenuiter alunt, & grata ęgris eſſe ſolent, qualis lactuca eſt, cicborium, cucurbita: hæc non vitupero at illi ptiſana, uel

eius

eius succo alunt, & simul addunt panẽ lotum, & coctum, nã exhibent fere in acutis omnibus sex vncias ptisanæ, postea panem dictum, inde pirum, aut pomum, atq; eadem uesperi repetunt, omnes eodem uictu tractantes; alij statim timentes de uiribus, pullos contundunt, capones distillant, consummata præparant, oua quoq; his addunt, quasi athletam ad pugnam sint nutrituri, quæ uictus ratio suffocat ægrotantes, morbum auget, & si grauior fuerit mortem acelerant.

Quo ad quantitatem, Gal. non excedit vnc. 6. ptisanæ bis in die nam pri. acut. 21. si quis ait ptisanæ oxibaphum quotidie bis in die ad septimam vsque ad nonã exhibeat, minoris est facultatis quam id quo alunt alimentum, oxibaphi uero mensura apud quosdam est trium unciarum, apud alios sex, quod magis probatur; frustra ergo medici in acutis, ac presertim periculosis morbis ptisanę addunt alia cibaria multa, ut contusa, & consummata, quæ reprobanda sunt; nam præter quã quod insuauia sunt, ægris febris fomẽta existunt consummata ob pinguedinem; contusa ob quantitatem difficile coquuntur, fallunt quantitate, quia plus quam decet aßumitur, & biliosas deiectiones inducunt; stilatitia aqua carnis minus nocua est; sed neque illa conuenit, nisi viribus prostratis: quo ad panem lotum, uel coctum in iure pulli, si ægri ptisanam oderint, aut quod acescat in eorum uentriculis, potest panis exhiberi prius lotus, deinde coctus in iure pulli in exacte acutis, non in peracutis; sed tunc non oportet simul ptisanam dare, ut fit plerumq;; panis uero in acutis malis semper debet esse lotus, quia per loturam acquirit ut minus nutriat, nec obstruat, & refrigerandi uim habeat, primo de alimentis, & maxime accedit ad ptisanam, lauatur autem sic; medulla panis in aquam per horam mergitur, deinde exprimitur, & rursus in aquam infunditur, idq; ter faciendum, mox per setaceum percolandum, quod remanet in iure pulli, uel expressione seminum melonis coquitur, & fit cibus suauis admodum; qui ad ptisanæ bonitatem accedit, quo loco eius in ægris uti possumus, sed quia magis nutrit quam ptisana uel eius succus minus de eo dandum, si loco illorum exhibeatur.

Hęc in uniuersum de uictu pręmittenda erant; applicemus modo ista uniuersalia ad febrem pestilentem, de qua sermo nobis est, hæc enim aliquando pęracuta est exacte, & intra quatuor dies

indicatur, quod contingit in peste bubonia, ideo in tali casu tenuissimo uictu vtendum est, quia extremos habet labores, primo aphorismorum septimo; quare uel nihil dandum vsque ad morbi remissionem, uel solo potu vtendum aquæ cum iulapio, acetoso, vel succo ptissanę, aut potione iuris pulli cum eodem sine pane; quod si non adeo acutus morbus est, & ad septimam peruenturus sit, antequam iudicetur, aut succo ptißanæ, aut pane loto in iure pulli sorbili vtendum, in pauca quantitate, & ualde liquido; at si pestilens febris ad 11. vel 14. diem peruentura est, augere uictū debemus, atq; tunc uel sorbitione, ex succo ptissanę in maiori quātitate, uel totam ptissanam in minore dabimus; & si ptissanam odio habuerit, recurremus ad panem lotum coctum in iure pulli, ea ratione qua dictum est supra; semper tamen loco sacchari, acetosum, syrupum ptissanę, aut cocto pani miscebimus; aut de succo limonis, uel citri, item terram lemniam, vt putredini resistere possit; & licet hæc febris pleniorem victum requirat quam alij acuti, id tamen non ita intelligendum est, ut ægrum suffocemus; vbi tamen uires debiles sunt, possunt pro reficiendis uiribus, & repugnanda malignitati febris distillatitij liquores confici, quale est hoc ℞. conserue de acido citri, uiolarum, nenupharis, melisse, borraginis an. vnc. II. theriacæ ueteris drach. II. aquæ decoctionis duorum pullorum, vel caponum alteratorum cum acetosa, latuca, borragine, citronella ad drach. III. repone omnia in alambico vitreo, cum carnibus caponum, & micis duorum panum vino albo infusis fiat distillatio per balneum, tunc ℞. prædictæ distillationis lib. I. syrupi, acetosi vnc. II. misce, detur frequenter; singulare est alimentum refrigerans, restaurans, & alexifarmacum; hic uero nos detinet Montanus, quippe qui in febre pestilenti damnat iura ac panem coctum, siquidem sua humiditate putredinem augent, & in hac febre uictus debet esse siccus, & non humidus; sed pace ipsius dixerim; non concludit, quia omnibus febricitantibus, nemine excepto, uictum humidum commendat Hipp.; adde quod in iuribus, & pane cocto, addimus acetosam, limonis, aut citri succum bollum armenum, semina citri, acetosam ipsam, quę exiccandi vim habent, iura præterea pullorum ex se habent uim contemperandi humores malos, & est conueniens in corruptione humorum pri. aphor. 17. & coctionem adiuuat: Brudus lusitanus commendat in his febribus pisces salitos, qui facile coquan-

tur, quales sunt aringhæ, acciughe dictæ: quod si saxatiles pisces recentes sunt exhibendi, ut solea, rombus, coquendos iubet cum sale vberiori, vt saliti sint; nam saniem putridam corrigunt, & prohibent putredinem, ut uero minus sint siticulosi eos macerat prius in succo acetosę per unam diem; faciunt quoq; saliti pisciculi ad apetitum, illum excitant: igitur si febris ualida non sit, istis utendum eße reor, & magis in febribus malignis solitarijs, & peste: cæterum vsus acetorum conuenientior esse videtur, ideo pisciculos aceto conditos potius ægri assumant. Carnes quoq; si ob virium imbecillitatem dare cogamur, salitas exhibet; sic parans pullos, aut perdices, uel columbos, aßandos proponit, & cum iure salso irrigandos, dum assantur deinde succum exprimendum, & dandum eße ægris; nam sal omnium maxime putredini resistit: at quia salita sitim mouent, & febrem accendunt, ideo carnes auium potius aceto rosaceo, aqua rosacea, irrigabimus, dum aßantur, deinde valida facta expressione, succus extrahatur, de quo detur vbi nutriendi necessitas adest, & contusum faciendum; oua quoq; si cogat necessitas ob nutritionem in tali febre dare oportet, ea sic parato, ouum in aceto immergito per horam, deinde ad ignem coquito, ut sorbile fiat, mox ada perto, supra testam, & extracto albo, luteo succum citri aut limonis parum addito, & ita bibendum dato: in potu uero aqua conuenit hordeacea cum aceto, uel aqua distillata ex succo limonis, uel citri, vt fiat quasi posca ualde aquosa, vel loco eorum acetosus syrupus, vel de succo limonis, aut citri, aut oxi saccharum; vinum non est concedendum nisi in declinatione morbi, aut nos cogat necessitas aliqua dandi illud, ut medicamentum in virium repentino lapsu, lypothimia aut syncope, dũmodo non adsit aliqua interna inflãmatio; vbi enim hæc adest cum uirium imbecillitate, deplorata res est. quidam laudant aquam cum auro calibeatam, tanquam præstantissimum remedium, sed quid aurum efficere possit, magnæ efficaciæ non video.

Quantitas alimenti in uigore morbi minuenda, & quia uigor morbi aliquando est a principio, ut in morbis thoracis, & pulmonis, in fracturis, vulneribus, in peracutis exacte, in quibus statim a principio sæua symptomata occupant; ideo in his statim a principio tenuissimo victu vtendũ; at si vigor postea futurus est, cum morbus sua tempora percurrit; & tunc a principio magis

nutrien-

nutriendum, minus in augmento, minime in uigore; quę nisi recte quis perpendat, maximos in victu committet errores, & interficiet ægros, nisi morbus facilis fuerit; & hanc distinctionem uelim ut semper memoria teneat, quisquis exactę uictum describere intendit, quam docuit Hipp. aphoris. 10. primi libri, licet Gal. sicco pede eam transeat; quibus ait vigor statim futurus est, tenuiter statim alere oportet, intelligit in morbis thoracis, & pulmonis, ac fluxionibus; quibus autē posterius futurus est, intelligit de alÿs morbis, quę totam materiam reseruant ad vnicam expulsionem; & in ipso uigore de victu demendum, antea vero plenius alendum; in vtrisque tamen non est mutanda uictus forma, aut species, nisi post coctionem, & cum natura morbum superat.

De tempore autem cibandi, illud idem esse debet quod in alÿs febribus, vt in accessionibus abstineamus, nec nutriamus, nisi quando homo moderatissime habet, & minus affligitur, vt Hipp. testatum reliquit primo acuto. 46. putare oportet (ait ille) in omnibus morbis, non solum in acutis, & maxime in his qui febriles ac periculosissimi sunt, tempus hoc magnam vim habere. at Paracelsus, & eius sequaces, in vigore morbi magis alendos ægros contendunt, quo egregio inuento, suos perdunt ęgros, & naturæ acerbissimos hostes se præbent: hæc de victu quo vires conseruantur sat sunt, mox ad alias intentiones veniendum, quæ res præter naturam respiciunt.

Quia inter res præter naturam, causa morbi primum locū habet, nisi quid probibeat; ideo ad illam derigetur primo nostra intentio; & quia uacuantia humores prauos, duo generosa remedia sunt, sanguinis missio, & purgatio, propterea de his statim agemus, & a venę sectione incipientes, determinandum est, an febri pestilenti conueniat sanguinis missio, nec ne? pro parte affirmatiuæ multa adduci poßunt, quæ demonstratiue id persuadere videantur; primo quia febris pestilens morbus magnus est acutus, & perinde magna auxilia requirit; inter quæ venę sectio principalis est; Secundo hæc febris plerumque copulata est cum abscessibus, & inflammationibus internis, quę id auxilium expostulant; adde quod pestilens bubonia, & cum carbonibus, non modo sanguinis missionem indicat, sed eam si fieri potest, vsq; ad animi deliquium, Gal. teste 13. meth. & primo aphoris. 23. Ter-

tio, quia in his febribus præcipue sanguis peccat, & putrescit, vt ex maculis nigris, & exantematibus in ea apparentibus, igitur uacuandus; adde quod hęc febris plerumq; copulata est cum putrida, vbi adest magnus humorum apparatus, vt plectoria, aut cacochymia; quę missio sanguinis si committatur, omnia postea remedia incassum fiunt, obstructis vijs, & impedito alexifarmacorum transitu; præterea sanguinis missio remedium est refrigerans, transpiratum faciens, & exiccans; qua ratione maxime omnium putredini resistit: denique experientia nos docuit, largas sanguinis missiones in epidemia peste, ac bubonia, & cõtagiosa, ante bubonum, & post illorum apparitionem, multum contulisse; & qui pertinaciter hoc remedium reiecerunt, occubuisse; ut in peste que diu Olysipponi grassata est visum fuit. denique uix vllum aliud remedium, Celso teste, vmquam sanitatẽ restituit: Gal. quoq; in Critone 3. epide., qui intra duos dies maligna febre discessit, ut ipse asserit, miratur cur missionis sanguinis non meminit Hipp. ut maximi conuenientis remedij: ex quibus abunde patet in pestifera febre secandam esse uenam.

Contra tamen multa sunt quæ contrarium persuadent; primo quod Hipp. vbi de præcautione huius febris meminit, attenuandum corpus esse dixit; ita ut quam minimum aëris attrahatur curandum, nulla de sectione uenæ mentione facta; & quod de pręseruatione dicitur, idem de curatione dicendum videtur; nec Gal. eam probat libro de cibis boni & mali succi, vbi audaces uocat medicos qui sanguinem mittere uoluerunt in illis malignis febribus, quod putridus esset, & malę qualitatis; quare cum talis sit in his febribus, non conuenit sanguinem mittere. ratio quoq; multiplex afferri potest; primo quia vbi vires debiles sunt, non conuenit sanguinis missio, ut cumq; morbus sit magnus, at in pestilenti febri uires cadunt vitales, quod ex languore, & pulsus, & frequentia apparet, aut breui sunt casuræ; & ad sanguinis missionem, non modo uires præsentes, sed futuræ requiruntur constãtes Gal. teste, libro de curandi ratione per sanguinis missionem: secundo sicuti in assumpto ueneno non mittimus sanguinem (esset enim perniciosum) ita neque in ueneno interno, a quo fit pestilens febris, mittendus est; quod si de pestilenti bubonia sermo sit, nec in illa mittere sanguinem conuenit; siquidem si per abscessũ terminetur ad partes ignobiles, missio sanguinis retraheret humores,

res, & impediret naturæ motum: experientia quoque ad contrarium nos inducit, siquidem uisum est in his constitutionibus detractionem sanguinis, non raro esse nociuam, cum omnes deterius ab ea haberent.

Pro ista controuersia sedanda, Petrus salius, qui nuper de pestilenti febre scripsit, pertinaciter tenet, quod in hac febre non debet mitti sanguis per sectionem venæ; quia uires non ferunt, sed per hirudines, uel crurium scarificationem; ita enim tollitur apparatus putredinis sine virium iactura: & hanc suam opinionē experimento confirmatam retinet, quippe qui cum per multos annos in hospitali publico, multos ex hac febre curasset, euasisse fere omnes quibus ita sanguis missus fuit; illos uero quibus venæ sectione, ait ille, fere omnes perijsse: illud præterea notat, quod si contingat mulieres hac febre laborare cum menstruorum deffectu, his secandas esse in talo uenas. Secunda opinio est Capiuacei, qui in hac febre tunc solum secat uenam, quando sanguis peccat, ita tamen ut fiat statim a prima hora, antequam uires cadant. prima opinio vniuersaliter prolata nō approbari debet, quia vbi adest plenitudo sanguinis in ætate robusta, non est omittēda venæ sectio; presertim vbi pestis est epidemia, per quam validæ febres, & acutissimæ statim euadunt, in quibus velocissimum auxilium requiritur, quale per sectionem venę fit; non sic per hirudines, quæ paulatim trahunt; nec per cucurbitulas, quæ cutaneum sanguinem educunt; atq; in illis febribus, grassante peste, uires validę sunt, & cum cito iudicentur intra septimam diem, non est timendum quod ex ea sint casurę: in eo etiam uidetur peccare Salius, quod laudet in mulieribus sectionem venę a talo, quasi minus debilitantem uires, cum tamen ea magis debilitet, quam ex brachio Gal. teste; & experientia in his febribus, aut pestiferis non vagantibus vbi adest apparatus morbificus, si iunctæ sint cū putredine humorum, sanguinis missio conuenit a vena, nisi vires languidę sint; nec enim semper languent, nec quilibet languor uirium, venę sectionem prohibet: quod si timeamus de casu illarum, tunc ad hirudines, vel crurum cucurbitulas ueniendum; & prout acutior morbus fuerit, ita magis a vena extrahendum, & a principio; minus in processu: vbi tamen uires non repugnant, quocumq; tempore faciendum est, nec recipiendum quod Capiuaceus asserit, solum secandam uenam cum in hac febre adest pleni-

tudo,

tudo; quia sanguinis missio non a plenitudine indicatur semper, sed a morbi magnitudine, ut remedium refrigerans, exiccans, uias apponens ad medicamenta: Cæterum si pestilens febris fuerit nõ comitata cum putrida, vt uideatur accedere ad pestilentem hecticam, tunc nulla ratione sanguinem mittere oportet; nam cum ea febris necessario sit lętalis vbi respiratio fętet, nihil efficiet sanguinis missio; quod si etiam non fæteat respiratio, & spes sit sanari posse ægrum, detestanda est uenę sectio, vbi corpus purum est, & vrina talis apparet, nec adest apparatus putridæ febris; quia tales nullam vacuationem ferunt insignem; nam cum pestilentis febris simplicis tota pernicies a maligna qualitate pendeat, sine putredine humorum, aut eius apparatu, adhibenda sunt remedia non quę vacuent, sed quæ frigore, & adstrictione leui spiritus, sanguinem & humores cohibeant; cuiusmodi est mali punici, citrei medici, & vuæ acerbæ succus, conseruæ & syrupi eorũdem, atq; uictus persimilis; & ea quę a totius substantiæ proprietate, huius veneni uires obtundant, ut bollus armenus, terra lemnia, aliaq; huius farinæ, de quibus infra dicemus; vbi etiam febris epidemia ex annonæ caritate prouenit, tunc non conuenit sanguinis missio, ut Gal. aßerit libro de cibo boni & mali succi; quia uires debilitantur, & nihil proficitur, quod obseruandum etiam est in febribus aliȷs pestilentibus, sporadibus, in quibus si ad primam sanguinis missionem sanguis extractus prauus sit & corruptus, non amplius illam reiterare decet; hoc enim perniciosum ego expertus sum: denique vbi sanguis ad magnum deffectum, uel excessum à sui natura declinat, nulla ratione mittendus est, ut faciunt ignari & imperiti medici, qui quo illum prauiorem vident, magis vacuandum esse putant: cum uero in pestifera, & maligna febre sanguis vere putrescat & uitietur, secus atq; in synoca putrida, in qua ichor sanguinis solum putrescit, vbi ad primam sectionem, sanguis putridus, niger dißolutus, non coagulatus conspicitur, aut diuersorum colorum, & in superficie flaua sanies coagulata apparet, caue ne amplius sanguinem mittas; quia cum totus mala putredine sit infectus, ex missione reiterata, uires magis debilitantur, & languent sine vllo iuuamento: & vbi processit annonæ caritas, & prauis cibis vsus est ęger, nulla ratione mittendus sanguis est, ob eandem rationem; cuius contrarium ut dixi ignari medici faciunt, quo enim sanguis pra-

uior

uior & malignior apparet, eo magis de eo euacuandum putant, & ęgros interficiunt; nam quanto humores citra, ultra ue à sanguinis natura longius recesserint, tanto parcius & cunctantius de illo hauriendum; & cum longissime ab ea forma abesse deprahendentur, in totum erit aphebotonica abstinendum; ideo quantitas sanguinis in his febribus non ita multa esse debet prima vice, ad obseruandam eius naturam, nisi in peste epidemia in qua aliquando ob carbones, statim a principio si uires ualidæ sint, ad librã, & vltra mittere possumus, illico ac apparet carbunculus, & antequam appareat; in processu autem morbi, vbi materia caput petit, quod plerumq; in hac febre fieri solet, quod delirium aut sopor indicant, tunc præstantissimum remedium reperij hirudines ad uenas maricum applicare, & sanguinem per eam viam educere: hic notare conuenit, quod per applicationem hirudinum ano, non uacuatur humor melancholicus sed sanguis tenuis, & subtilis, potius biliosus, ut experientia patet; quare cum talem molimur uacuationem, non ad atrum humorum educendum: sed ad euacuandum, uel reuelandũ nec obstat dictum Hipp: quod melancholios iuuet talis vacuatio; id enim de uacuatione naturali intelligendum est, non de ea quæ ab arte fit: quod uero ait Capiuaceus, conuenire sectionem uenæ quoties peccat sanguis, & a principio, non probatur, quia etiam si non peccet sanguis, etiam si plenitudo non aasit, vbi maligna febris cum putrida iungitur, & uires uolent, mittendus sanguis est, & ut diximus, ob magnitudinem morbi; & licet medicus post quartam diem ueniat, potest mittere sanguinem; Gal. enim non sumit indicationem mittendi sanguinis a dierum numero, nam etiam post uigesimã diem mittit dũmodo vires constent, ob libro de sanguinis missione; raro tamen; uirtus ultra quatuor dies constat in hac febre, ideo tunc uacuatio per hirudines, magis conueniens esse videtur: Cæterũ cum dicimus mittendum sanguinem in maligna febre scopos omnes considerare oportet, & virium statum, facta artificiosa coniectura, ne cum ægri detrimento sed vtilitate fiat: de loco mittendi sanguinis, quidam ex brachio dextro id faciunt; id putant quoniam ea uacuatio citissime totum corpus exhaurit; alij ex brachio sinistro, quia in hac febre cor afficitur, quod ad sinistram vergit; alij primo a destro, deinde a sinistro. at nullum horum est perpetuum; nam ubi nulla manifeste apparet ad aliquam par

tem

tem morbi inclinatio, dextri brachij secanda uena est semper, nisi vbi ad eam partem morbus uergit; ideo male faciunt qui semper detrahendo sanguinem primo a dextro, deinde ad sinistrum trahunt, quod uocatur adequare; sed si grauior magis appareat sinistra pars, tunc ab ea vacuare oportet, obseruando rectitudinem in carbone superiorum partium, brachionum venæ secandæ illius partis quæ afficitur; quod si carbo ad infernas partes appareat, vena secanda tali eiusdem; Cæterum sic de missione sanguinis in pestilenti febre statuere oportet; mox rationes in contrarium soluendæ. instabant in febre pestifera, vires statim cadere uel casuras, ideo non esse per uenam sanguinem extrahendum; dic quod vires non sunt semper debiles, nam a principio pestilentis febris buboniæ, uires constant; in sporadibus etiam non sunt imbecilles semper; nec pulsus paruus, exiguus, ac languidus semper apparet; nec quælibet uirium debilitas respuit sanguinis missionẽ, nisi in magna copia extrahatur, uel si ita debiles sint ut in simplici pestilenti, in qua nullus apparatus putredinis adest, tunc enim nullam uacuationem sustinent, ut supra dictum est, nec semper uires futuræ sunt debiles, si in præsentia non fuerint tales; imo nisi sanguis extrahatur vbi apparatus adest maior, & putredo atq; obstructio, & multo debiliores euadent; nec sanguinis missio commouet humores, quinimo euacuata illorum parte, natura robustior euadet, & melius superabit causam morbificam: quod adijcitur de uenenis externis assumptis, in quibus non secamus uenã; non est eadẽ ratio in internis, a quibus malignæ febres fiunt; quia externa cũ sint in uentriculo & intestinis, illico uacuanda sunt, antequam ad venas peruadant, & sanguinis missio trahat uenenum ad cor; at in maligna febre iam uenenum peruenit ad uenas & ad cor; ideo periculum non est secandæ uenæ: quod uero adducitur experimento, plures sectione uenæ lędi: adducemus nos idem experimentum eorum, quos curauimus; qui post venam sectam melius habuerunt, & sanitati restituti sunt, quam si omissa fuisset; quod uero in quibusdam pestilentibus, sanguinis missio nocuerit; fatemur, sed hoc cum rarum sit, ab eo non est sumenda regula quod in alijs fieri non debeat; fatemur enim, in pestilentia quæ ex annonæ caritate, uel obsidione, uel nauigatione oritur, non conuenire sectionem uenæ (ut dictum est) ideo si quis in ea id faciat, lædet ob uirium debilitatem, & sanguinis pessimam

quali-

qualitatem: quidam etiam morbi epidemij melius habuere, abstinendo ab hoc remedio, ob occultam morbi proprietatem, & tũc abstinendum uolumus; sed plerumq; vena in his febribus secanda, exceptis casibus prædictis, habita ratione morbi uirium, temperamenti, ætatis, regionis, quæ vel admittant, vel non; & si admittant, qua quantitate, ponderando omnia: quod vero opponebant, de bubone in peste, in qua abscessus solent esse salubres, & si sanguis mitteretur ratrocederet; dic quod si appareant bonæ conditionis & cessent symptomata, non debet mitti sanguis, sed antequam appareant illico id fieri debet. in carbonibus sanguinem mittere oportet quocumque modo appareant, nisi tumores sint magni, & in infernis partibus, & morbus minuatur; nec timor est quod fiat retrocessus, quia in multa copia denitur. item apparentibus maculis, si plenitudo adest sanguis, mitti debet, & symptomaticæ fiunt; tunc enim uigorata natura melius expellet, & abscessum perficiet.

De purgatione in pestilenti febre.

De purgatione, an conueniat a principio non minorem difficultatem habet, non loquor de leniente, quod primas uias euacuet, de hoc enim non est controuersia; sed de purgante, quod a secunda, uel tertia corporis regione educat; quod uero a principio nullum ex his conueniat quæ eradicatiue purgant, Hipp. sententia illa cælebratissima est, quam Gal. semper colit & admiratur, concocta esse medicanda, non cruda, & in principio nisi turgeant: at in principio cruda est, & in pestilenti febre, sicuti in alijs, raro materia turget; quin imo in corde, uel prope cor, aut aliquo morbo firmatur. Ergo a principio electiue purgare non docet: secundo quia cum hæc febris fiat a qualitate veneni, magis requirit alterantia, quam euacuantia: tertio quoniam vires debilitantur; præsertim a pharmacis validis, quę omnia calida sunt, & febrem accẽdunt; quarto commouentur humores, & maior ideo fit infectio: quinto quia potest alui fluxus excitari qui solet eße perniciosus in hac febre. adde quod purgatio a principio opus naturæ impediet, scilicet abscesus, per quos febris epidemia iudicari solet. contra multa sunt quæ a principio purgandum esse in hac febre moneant, in primis coctio non debet expectari; si-

quidem in peste crisis vt plurimum sunt ad mortem; nec venenata materia a natura superari potest, nisi illa vel ad abscessus transmittat, vel per aliquam euacuationem; ideo illico a principio purgandum est, post sectionem uenę, si illa necessaria fuerit, aut sine ea, vbi sectio omittatur: valide uero purgandum aiunt; quia a corde trahendum est uenenum parte longissima; id quod uidetur experientia confirmari, nam in Germania, pro maximo secreto habetur purgatio, quæ fit cum pilulis euforbij: & hæc est opinio Capiuacei, vt pro purganda bile, scamonium præparatum; pro pituita, diafenicon; pro melancholia, helleborum nigrum: sed quia hęc medicamenta nimis calida sunt, dat insuper bibendum serum lactis ad libram unam uel duas, si febris ualida fuerit; & hæc medicamenta statim post sectionem uenæ per decem horas, danda esse arbitratur. secunda ratio, quia materia venefica, uel turget, uel saltem urget, neque superari potest: adde quod uideamus in febre pestifera epidemia, fieri crises a principio; aut per abscessum, vt in bubonia; aut sudorem vt in anglica; aut etiam per aluum, tertio epidemiorum tertio, & per illas ægrum euadere: quare etiam si medicamento purgante vacuatio fiat, statim a principio, erit cum vtilitate. pro determinatione huius cõtrouersię dicendũ, quod vbi febris pestilens fuerit sola, sine complicatione cum putrida, aut in pestilenti symplici; nec conuenit sanguinis missio, neq; electiua purgatio; tunc enim ex qua vis ualida vacuatione vires cadunt, & nihil vtilitatis habetur, sed repugnare oportet per ea quæ maleficam qualitatem obtundunt; & si uacuandum est, id uel leui clisteri, uel lenitiuo aliquo faciendũ. at vbi febris pestilens cum putrida iungitur, tunc uel est epidemia & graßatur in populum, vel sporades; si fuerit pestilens epidemia, principale remedium illico est sanguinis missio, non purgatio conuenit; potest tamen fieri post sectionem venę in ualida admodum virtute: nec crisis expectanda, uel concoctio; quia crisis in hac febre plerumq; est ad mortem, & hoc statim antequam appareant abscessus, vel aliqua euacuatio; nam post bubones aut carbunculos, non conuenit purgatio, ne materia ad intra retrocedat, nisi symptomatice id fiat. quod si ęger ualidus sit, & uirtute uigeat, ualido medicamento euacuandum; sed si talis non fuerit, mediocri, quale est rhabarbarum & solitiuus syrupus de 9. infusionibus, ad bilem; agarico, aut ialapa ad pituitam, aut diasena;

sena; epythimo, polipodio ad melancholiam. At in febri pestilenti sporade, non conuenit electiue purgari a principio, nisi materia turgeat, quod raro fit; aut similis febris fiat, qualis a parere solet in epydemia cum aritrace, aut carbonibus vt plurimũ; aut in his febribus quæ sporades sunt, purgatio electiua fit, post coctionem & cum mediocribus medicamentis, semper tamen cõsiderando quo natura uergit; non enim semper per aluum, sed & per uomitum, sudores, per vrinas, aut sanguinis fluxum, natura morbos iudicat, & cum per abscessus ad partes ignobiles id facit; eo etiam auocanda est materia, quod frequenter accidit in pestifera epydemia statim a principio; in reliquis vbi prorogatur morbus cum signis salutis. 3. prog. 23.

Igitur si in pestifera febre bubones appareant ad inguina, vel absceßus ad genua, procuranda illico maturatio, & inter cætera cępa cum axungia cocta, apposita laudatur; aut brasicæ & rumicis tursi in axungia contusi, in furno cocti emplastro applicata; fit quoq; ex cæpa, ruta, formento, & caricis, emplastrum satis accomodatum. narrat Cardanus, in quadam pestilentia apposuiße quasdam viuas ranas bubonibus, ut uenenum attraherent, & quia ranę moriebantur, alias apponebat; qua ratione attracto ab illis ueneno, multi seruati sunt: rupto abscessu a natura, vel medici opera diu apertum seruandum, vt corpus perfecte mũdetur; at si carbo appareat, & antrax, maius periculum est aliquando, sed raro maturatur, cum non admodum maligni sunt, & sunt parui, non dolorosi multum; & si febris leuis est, symptomata etiam leuia, non raro tamen malignissimi sunt; quare si ad illam apparitionem, non minuuntur febres & symptomata, si uires ualeant, copiosa sanguinis uacuatio facienda; si fuerint in inguinibus, in talo eiusdem lateris, si in partibus supernis, a venis brachiorum, inde scarificato carbone, applicandi andronis, aut polide pastilli, uel calcitis, hoc est vstum vitreolum in sapa dissoluendo ad malignitatem superandam: extincta malignitate, crustis detractis, vlcera ad sanitatem reducantur. Et si natura absceßum facit ad cutim, per maculas quæ petecchie vulgo dicũtur. quidam tenent non esse uacuandum corpus, non purgandum, ne fiat retrocessus materiæ; sed quo vis tempore appareant, seu a principio, intra quartam diem; seu postea, circa septimam, aut vndecimam, aut decimam quartam; semper adiuuandum esse

motum naturæ, cucurbitulis, & vnctionibus, frictionibus, quæ habitum rarefaciant: alij uero non esse adiuuandum hunc motum putant, nisi cum critice appareat, non vbi symptomatice, uel medio quodammodo; nam vbi statim apparent maculæ, id grauata natura, & irritata fieri solet. igitur si plenitudo adsit tunc sanguis mittendus, aut etiam purgandum; nec timendus retrocessus; quia natura leuata transmittet humores melius ad cutim: at si ad septimam, nonam, uel ultra appareant, cum conferentia, & tollerantia; tunc si id imperfecte fiat, adiuuandum motum naturæ uolunt: quę opinio videtur magis recipienda, & rationi consona; sed quia id cucurbitulis, frictionibus, & vnctionibus, & rarefacientibus fit; ideo de his dicendum, ac de cucurbitulis prius, quorum admotio post primas uacuationes laudant, plurimi, omnibus diebus, etiam a principio; quia ex illarum applicatione uident multum leuari ægrum ab angustia, & anxietudine; applicant autem eas cruribus, coxis, natibus, lumbis, dorso, vsque ad ceruicem; quarū aliquas scarificant, præsertim illas quæ in dorso cordi respondent; applicant itē sub axillis, ad extrahendum uenenum, pręsertim sub sinistra, & post aures, & prope inguina: sed contra obstat quod dictum est a principio, non eße euacuandam materiam, ideo magis conuenire in processu morbi. Montanus, prę cæteris, vsum cucurbitarum perniciosum eße scribit; nam nisi corpus sit vacuatum, augentur obstructiones, & subtile trahitur, remanet craßum: adde quod locus ad quem trahunt cucurbitulæ, refrigeratur, & magis densatur cutis; & quoniam trahitur calor innatus, & spiritus, qui intus continendus est ad morbum superandum: quod si aliquid boni habent cucurbitulæ, calefactio est externarum partium. sed multa alia sunt incommoda, vnde nisi uirtus fortis sit, ægri pereunt; quare putat Montanus melius esse ut trahamus ad cutim, frictionibus, & inunctionibus, rarefacientibus, quę sine ulla uiolentia trahant ad exra humores: quibus tamen non obstantibus dicendum puto, cucurbitularum vsum, vbi corpus iam est euacuatum, aut purum est, eße ualde utilem, præsertim cum partes internæ tepidæ sunt, aut frigidæ; nil enim magis videtur leuare inquietudines, & angustias ęgrotantium in his febribus, in quibus aliquando trahitur calor ad internas partes; in ipsa etiam accessione, cum extremorum frigiditate, & tam diu detinetur, ut nisi multis cucurbitulis

multa

multa flamma ignitis, illum reuocemus extra, periculum sit, ne suffocetur æger, nec amplius recalefiat: vtendum ergo frequenter cucurbitulis, & sine scarificatione, & cum ea, vbi excitare volumus, & uacuare. nec argumenta in oppositum adducta concludunt: dicunt debilitari calorem innatum attrahendo spiritũ: sed cur potius non dicit Montanus, euacuari per eas excrementa tenuia, & uenenum ad cutim extrahi, & excitari ab illis naturam, atq: leuari, quod experimento uidemus: at dices a principio non conuenire; dic quod vbi apparent maculæ symptomaticæ non conueniunt, sed si non appareant possunt conuenire ratione symptomatis, quod ualide præmit; sicuti si in accessione extremæ partes ualde refrigerentur, & difficulter eger calescat; itẽ si adsit inquietudo, anxietas, somnolentia: Celsus hoc auxilium nunquã esse periculosum dicit, siue in medio febris impetu, etiam si in cruditate adhibeatur: quod uero dicunt refrigerari locum, & condensari post applicationem cucurbitarum, parui est momenti; nam in vngimus nos loca oleo amigdalaceo tepido ad hoc euitandum; & cum æger illico cooperiatur in lecto, non est periculum condensationis cutis; nec pars qua apposita est cucurbitula condensatur magis quam reliqua, nec necessaria est corporis uacuatio ante cucurbitularum appositionem; quia si corpus non sit plectoricũ, possunt adhiberi, sine ullo periculo, omnia localia remedia Gal. 6. de medicamentis per loca primo. De loco apponendarum cucurbitularum in hac febre, controuersia est; quidam solum in partibus infernis apponunt cruribus, coxis, natibus, timentes ne si dorso applicentur attrahant ad viscera uenenum. sed superstitiosa est huiusmodi ratio, possunt enim applicari partibus infernis, & per totum dorsum; nec periculum est vt trahant ad viscera; quia illæ euocant materiam a centro ad circumferentiam.

In eandem intentionem, frictione vtimur, vt meatus aperiãtur, calefiant externa, reuocetur ad cutim materia; quę frictio debet esse media inter duram, & mollem; & inter multam, & paucam; ideo potest fieri aut manibus, aut linteis mediocriter asperis: vbi uero externa frigida sunt, multa & mediocriter durescens, qua frictione vtimur in febri sincopali humorosa.

Tertium remedium trahendi ad cutim, fit per ea quæ rarefaciunt habitum corporis; inter quæ hoc præstantissimum habetur, ℞. olei amigdalarum amararum vnc. II. aquæ vnc. IV. nitri

dracb.

drach. II. decoquatur vsque ad consumptionem aquæ, & in apparitione macularum inungatur cutis; si imperfecte veniant, & antequam ueniant elicit etiam id sudorem, nam aqua illa olei, calorem obtundit. Aëtius oleum assumit, Sabinum, sed nimis calidum est.

Adest quartum remedium, quod foris appositum post euacuationes videtur singulare; applicando scilicet cruribus, & cubitis, prope manus. aliqui etiam supra genua viscicantia, quæ suo calore, & mordacitate vim ignis habent, & exulcerant cutim, ac uesicas faciunt spatio 12. aut 24. horarum; vesicis deinde forficibus excissis, humor per plures dies educitur: inter vesicantia uero, cantarides assumunt, vt quæ sint alexiteria, & a tota substantia veneno resistant; quatenus enim vlcera faciunt, & dolorifica, attrahunt materiam ad partes externas ignobiles, eamq; expurgant, ideo hoc remedium vt singulare amplectuntur multi, & ad illud tanquam ad sacram anchoram refugiunt. ex alia parte uesicantia vituperantur, & nullo pacto admittenda uolunt multi; primo quia veneni habent naturam; secundo quod admodum dolorifica, & multos dies ægros torquent, uigilias inducunt; tertio quia obstructiones, & febrem suo calore augent; denique vesicam offendunt. pro decisione huius quæstionis dicendũ, visicatoria non esse temere adhibenda; non in magna virium debilitate; neque cum deliria & uigiliæ ægros affligunt; uanum enim iudico quod aliqui afferunt sedare deliria, & vigilias ex accidente, cum per se calorem & dolorem indicant vesicatoria quę vigilias faciunt; vbi igitur inclinatio adest in somnum valida, & materia caput petit, tunc laudo illorum usum, pro ratione uirium ægrotantis, & habitus corporis mollis, aut duri; nam ubi uires languidæ sunt uesicantia debilia eße debent, neque pluribus locis, sed ad crura tantum; ubi uires ualidę sint poßunt efficaciores fieri, & in cruribus, & carpis, ac supra genua at extremum, & maximum, ac ualidum remedium est, si omnibus his partibus apponantur: in mulieribus, & his qui molli carni sunt prędit debilia uesicatoria conueniunt; in maribus, & dura carne præditis ualentiora; & non ut faciunt aliqui, qui omnibus pariter uesicantia uehementissima, & plura applicant, & ęgrum miserabiliter torquent; qui potius ad curandos equos & boues, quam homines acersiri deberent: mediocre ergo uesicatorium tale erit

℞. pul-

℞. pulueris cantaridum preparatarum, formenti an. drach. II. in aceto scilitico fiat pasta pro uesicatorio; si valentius exoptas, sumito partes duas cantaridum, & unam formenti; hęc intra mediocritatem sunt; quę conueniunt fœminis, & mollibus carne: vbi ualidum efficere uis adde semidracmam euforbij, efficacissimũ erit si euforbij drach. I. vel drach. I. & . 5. addas & totidem cantaridum cum formenti drach. III.; sed hoc intra sex uel decem horas opperatur. fugienda tamen tam valida uesicatoria, quia sunt remedia plusquam extrema; uel si fieri debent in ualidis uiribus, & corporibus dura carne præditis, solum uni loco applicentur.

De alterantibus.

Alterantia sunt in duplici differentia, quędam quæ febri repugnant, & sunt frigida; alia quę ueneno resistunt; & hæc sunt duorum generum, alia id faciunt ratione comuni per primas qualitates, uel ratione putredinis quatenus exiccant ualde, uel denique ratione propria a tota substantia; id que bifariã, nam uel ueneni naturam aliquam obtinent & sunt proprie alexiteria, & alexifarmaca, non tamen naturam nostram uincunt, ut theriaca, mitridatum; vel ueneni naturam non habent, & dicũtur betzoartica vt lapis bezoar, puluis smaragdi, hiacinthi, unicorni; ex his cum quædam calida sint, alia frigida, uel temperata, accuratus medicus debet considerare quod curat febrem pestilentem, quæ calidus morbus est, & aliquando exurens; ideo debet prius experiri frigida & sicca, & quæ sine calore ueneno resistunt; inter hęc sunt acida, ut syrupus acetosus simplex de succo acetosę; citri, & limonis conserua; de acido citri; terra sigillata, bolus armenus, pulueres coralorum, hyacinthi, smaragdi, lacrima, oculi cerui, succus caprariæ, acetosę, cecerbitæ, quinque follij, santali, ellectarium de hyacintho, diamargariton frigidum; possunt quoque infundi pulueres margaritarum in succo limonis per tres uel quatuor dies; habet enim facultatem succus hic liquefaciendi margaritas, cuius succi cocleare unum bis in die exhibeatur; quæ remedia cum frigida sint, & bezoartica, in febri pelenti maxime conueniunt, præcipue vbi fuerit ingens calor; theriaca uero, & mitridatum, quia calida sunt nimis, non videntur conuenire, nisi febris fuerit debilis, aut misceri debent cum frigi-

dis & temperatis: epythemata quoque ex aquis rosarum, acetosæ melisæ, borraginis, capraginis, imo ex succi earum, si haberi possint, efficaciora sunt; addendo acetum, & portionem uini maluatici; quę cordi applicentur in declinatione febris: inunctiones quoque refrigerantes ad cor conueniunt, qualis hæc est, ℞. cerati refrigerantis Gal. vnc. III. santalorum rubrorum, luteorum an. scrup. 5. ambrę, muschi an. g. I. succi limonis vnc. 5. quo tepido inungatur regio cordis; per quę epythemata, & inunctiones melius corroboratur & refrigeratur cor, quam per ea quæ intus sumuntur; quia hęc tardius perueniunt ad locum, & per multas mutationes; nec ad calida ueniendum nisi pius hæc frigida experiamur: quod si ad antidota, ut theriaca, uel mitridatum, necessitas cogat uenire, exhibenda sunt ad auelanæ magnitudinem cũ vncia semis conseruæ de accido citri: possunt & per distillationem fieri aquę theriacales, qualis hæc est, ℞. succi galegæ, acetosæ, scordei, citri an. lib. I. adde theriacæ unc. I. misceantur, macerentur in aqua tepida, postea duplici uase distillentur; aqua extrahitur cuius uncia semis, aut vna ante cibum, tam mane, quã vesperi datur; hęc aqua præ cæteris præstantissima est, quia caliditas theriacæ corrigitur, ut in magna febre tuto exhiberi possit. oleum magni ducis, & matheoli de scorpionibus extra tantumodo sunt applicanda, non intus sumenda; licet oleum magni ducis intus ad guttulas decem nunc exhibeant non sine iuuamento.

Hic vero cuntos, & medicos omnes uitę mortalium studiosos admonitos velim, vt tanquam pestem caueant quædam remedia chimica, quæ uel per infusionem, potissimum per distillationem habentur; quæ Theofrastus ille, uel potius parafrastus paracelsus, & illius sequaces piristę pro secretis habent, & prorsus diuina a cœlo demissa, pro mortalium salute de mandata prędicant; nihil enim in ore aliud habent quam aurum potabile, olea, aquas, quintas essentias, colores, extracta per distillationem; quorum multa ex uenenis præsentaneis extrahuntur, scilicet stibio, hydrargiro, seu mercurio, auri pigmento, sulfore, calcanto, turpissime mentientes illorum uires, & promittentes omnium malorum curationem; qua ratione uel ægros sibi cõmissos perdunt, uel magno illato damno aufugere coguntur: si enim, quod ait Paracelsus, remedia a priscis inuenta nullius momenti sunt, præter theriacam, aut mitridatum; & aurum illud potabile omnes morbos

bos curat, idemq; facit tintura stibij, atq; olea & balsama sulfurea; cur id quod in Thessallo Gal. proclamat, sutores, extores, fabriq; relictis vilibus opificys, ad sacratissimam artem non se conferunt, in perniciem humani generis, aut cur isti chymomedici nõ præferuntur omnibus, ditantur a principibus, præ cęteris existimantur. non est certe negandum, per distillatoriam artem aliqua inueniri remedia, quæ si caute, & a peritis medicis adhibita sint, & qui conficiendi exactam rationem calleant, multum proficere possunt; distillationis enim commoda multa sunt, & magna; nam per eam partes dissimiles separantur, nobiliores ab impedimento liberantur, quæ imperfecta sunt per attenuationẽ perficiuntur; & rursus quæ diuisa sunt in unum iunguntur: at aurum, uel eius liquorem, aut argentum potare, quæ tamen inter metalla minus nocua esse videntur, quis feret? in primis cum distillatio sit extractio rei humidę per conuersionem in uaporem factam, humidum auri & argenti, seu uelis aquam seu oleum in his duobus metallis, adeo condensatum est & tenue, ut nulla arte separabile sit; præsertim in auro: poßunt tamen ab errodentibus dissolui, & tunc venena sunt; quin imo aurum & argentum insuperabilia sunt ab humana natura; & per consequens, dato quod aqua uel oleum ex illis extraheretur nocentissima essent: adde nõ carere aurum & argentum, neq; illorum extracta, pernicie & venenosa qualitate; nam cum metallorum omnium materia sit mercurius & sulfur, & illud venenum fit, sulfur, vero illius naturam accedat; erunt metalla omnia, etiam aurum & argentum, naturæ humanæ contraria; & tanto magis si in liquores per distillationem uertantur, quod etiam si fieri posset, non nisi per uenena calcinata aut dissoluta extillant: quare tanquam venena aurum potabile, eius liquorem, vel oleum, similiter argenti, antimoni fugienda, vt corrodentia & inimica nostræ naturæ. frustra etiam quidam medici ad ostentationem, uel auri folia dant, vel cibis dum coquuntur, monetas aureas immittunt; quid enim in iure habebitur, pręter sudorem, manuum illas tractantium? fateor aureos ducatos, si melancholicis dentur, eos ad lætitiam conferre; quia ad vitæ vsum maxime faciunt. at si de auro & argento hęc uera sunt, quid de calchanto, stibio, hydrargiro dicendum, quæ venena præsentanea omnes fatentur? Theophrastus ille paracelsus, longe quam Tessalus ignauior & imperitior, ac

præstigiator infamis, Hipp. & Gal. oblatrat, eosq; imperitiæ arguit; & inuidia, & astu exagitatus, ausus est aphorismos Hipp. detestare, cum meliora inuenire non possent, audiat Gal. medicinæ parentem, primo acutor. 17. de his nebulonibus scribentem; quidam, ait, in arte medica res nouas sunt aggressi, cum rebus prioribus melius quidpiam inuenire nequiuerint; quod externũ inusitatumque est, & nondum si vtile, est intellectum, laudant magis quam asßuetum, quod vtile esse est cognitum. ita Paracelsus & eius asßeclę, per ea quæ obscurissima sunt & enigmata, quę nec ipsi intelligunt procedentes, humanum genus decipiunt & perdunt; & cum ignorantissimus sit Paracelsus, ausus Hipp. cõtradicere, noua quędam periculo plena exaltans, quæ vt plurimũ in perniciem ægrorum temerarius, non modo extra applicat, (esset enim hoc minus malum) sed intus exhibet; nam calcanthum, seu vitreolum, inter errodentia uenena reponuntur, & illius oleũ eandem habere naturam certum est; licet quadam acidula qualitate, vmbram refrigerandi præseferat, habet tamen partes errodentes ualidas, adeo ut metalla corrodit, & periculum in se habet non spernendum. De hydrargyrum, auri pigmento, stibio, uenenis præsentaneis quis ferat audaciam? sulfur uero ipsum inter venena locatur, calidum admodum est, & ignis materia; vt iure merito febricũ appellari debeat; quanto magis illius oleum, præsertim si cum metallis conficiatur, ueluti flores eiusdem, quos ex sulfore calcantho conficiunt: quare non mirum est, si propter hæc intus aßumpta corrodantur uiscera; præsertim ventriculus, & intestina, vt experientia adapertis cadaueribus nos docet. at dices, dato quod hęc ueneni aliquam naturã habeant, tamen in pauca quantitate exhibita iuuare possunt; nam venenorum remedia, Galeno teste, debent eße media inter uenena, & naturam nostrã: adde experientia mõstrari quod hydrargyri inunctio gallicũ morbum curat; antimonium datum plures morbos longos pertinaces, & præsertim melancholia, corpus expurgando sanat. dic quod ea quæ ex metallis eliciuntur, præsertim calchanto, hydrargyro, auri pigmento, stibio venena uere sunt, & corrosiua; ideo non debent inter alexiteria numerari; quod si parua quantitate dentur, ut ad guttas, nihilominus continuata interficiunt. quo ad inunctiones argenti viui, & purgationem per antimonium; possunt quidem aliquando iuuare, si a medico perito commode exhibeantur, mul-

toties uero offendere, & cum pernicie, si ab imperito dentur: cũ igitur ista omnia sint periculo plena, cauere debemus ab illis, & illa remedia applicare quę si non iuuant, saltem non lædant; neq; morborum lętalium curationem aggredi, ut faciunt Paracelsi sectatores, quando iam a peritis medicis ægri fere derelicti sunt, sanitatem promittentes, & ad sua chymica confugientes, quæ illorum mortem accelerant; qui alioquin leniter tractati, fortasse naturæ ope euasissent; & ad hæc remedia confugiunt, vbi iam pro deplorato ęger habetur, quo si illorum remedijs moriatur culpa exortes fiant; si uero forte fortuna euadant, illi curationis palmam ferãt; cum tamen temeraria ista medicina plurimos occidat: tutior igitur curatio huius febris per ea quæ diximus, frigida, sicca, & exiccantia, habetur; quia & febri resistunt, & maleficam illius qualitatem oppugnant, uitando metallorum extracta, quorum maior pars perniciosa est, & illa principes fugiant, quos incautos isti decipiunt & perdunt: nam ipsemet Paracelsus fatetur, non posse dissolui metalla sine corrosiuis, posse tamen corrosiuam qualitatem arte separari: sed id difficile admodum, & fortasse impossibile est; id experimentum, vidi datum silicet aurum potabile egregie fabricatum manu regia a peritissimis chymicis in acuta febre, quod nihil fecit, imo potius magno fuit nocumento ęgro qui ex eo malo perijt. sed hic opponet aliquis, acida illa nõ conuenire febri, vt succus citri limonis, neque bolus armenus, aut terra lemnia; siquidem astringentia sunt; & Gal. primo acutor. 18. acria, salsa, & astringentia, non esse in febribus exhibenda præcepit, sicuti neque acida, pręter quam oximel. rursus oppones, remedium putredinis est concoctio, Galeno teste 11. metho. hic autem per calida humida perficitur; non igitur siccantia ualde, aut frigida & sicca, videntur adhibenda in pestilenti febre, in qua ingens est putredo. ad primum dicendum, quod acida quæ sunt austera vel acerba, non conueniunt in febribus putridis, & vbi adsunt obstructiones; quæ vero sunt accida simpliciter, partes habent tenues, quibus humores incidunt & attenuant; quod si aliquam astrictionem habent, illa potius ad penetrãdum iuuat: idem dicendum est de bolo armeno, qui ob siccitatem ingenti resistit putredini; & fortasse ob occultam aliquam qualitatem; & si etiam leuem habet astrictionem illa iuuat ad penetrationem. Gal. 9. simpl. bolum armenum multos in peste liberasse ait, uel

ex se datum cum aqua aut uino oligoforo, & datum cum medicamento ex fructu iuniperi, magnam efficaciam habet: quare possumus cum eßentia quinta fructus iuniperi miscere bolum armenum, maxime enim venenis resistit, & uomitum mouet. ad secundum dicimus quod frigida & sicca sunt, repugnant causę putredinis, & prohibent illam; & dici possunt coquentia, quatenus pręparantia sunt humores: interim tamen coctio quæ victus ratione humectante cibo, somno, vnctione, quiete perficitur, proprium censetur putredinis remedium: quod vero ex Gal. adijcitur, acida non conuenire febribus, vt ex experientia; dic quod saccharo, vel alio liquore temperantur: & hæc de febri pestilenti satis dicta sunt.

De febre lypiria, & epyala.

POst pestilentes, de aliquibus febribus dicendum, quæ ad illas referuntur, & eiusdem generis sunt, sed ob aliquod insigne symptoma celebres sunt, quales febres lipyriæ & epyalę; item si cum sincopi, & cum variolis copulentur; & in primis de lipyria & epyala tractabimus, per quas duas febres, eodem sentitur tempore in corpore calor & frigus; sed differentia est, quod in lipyria calor est in partibus internis, frigus vero sentitur in externis; at in epyala in omnibus corporis partibus sentitur calor & frigus 2. de differentijs febrium cap. 6. & in primis pro vera febris lipyriæ cognitione, sciendum quod nomen lipyriæ apud græcos idem est, ac si dicamus caloris defectum, sicuti enim lipothymia dicitur animi defectus; ita lipyria defectus caloris, quia deficit calor in partibus externis. mox vt vere naturam huius febris possideamus, dicendum est quot modis retrahi calorem ad interiora cõtingat, ita ut exteriora frigeant; licet enim hoc inseparabile sit ab hac febre, non tamen in tali casu semper febris lipyria contrahitur; igitur calor ad internas partes trahitur, in cordis affectibus potissimum; siquidem cum cor sit fons caloris, eum contrahit vel diffundit; in timore igitur, & cordis passionibus retrahitur in subsidium. 2. in omni dolore valido, pręcipue internarũ partium; quia transmittit natura ad illam partem sanguinem, & spiritum; ob quam causam inflammationibus partium internarum, pulmonis scilicet, ventriculi, iecoris, lienis, trahitur calor

lor ad interna, relinquens externa; & precipue quando inflammatio a crassis humoribus oritur, vt docet Gal. 4. acut. 16. nam in erysipelate, fere per totum corpus diffunditur. 4. retrahitur calor in rigoribus & horroribus, per accessionum principia, in cordis auxilium, vt rursus diffundatur ad totum corpus. 5. recurrit calor ad cor, ob ingentẽ putredinem, & malignitatem febris quæ illud occupat, vt in pestilentibus, in quibus fere interna calent, externa vero frigent. 6. vbi paucus est & debilis admodum, qualis apparet in moribundis, in quibus frigent extrema ob exiguitatem caloris, qui amplius diffundi non potest; sic in senibus per hyemem partes refrigerantur externæ ob debilitatem caloris. 7. retrahitur calor ad viscera post cibum ad coctionem illius; recurrit quoq; in somno calor ad interna ut reficiatur. denique interna calent, & frigent externa, ob humores crassos obstruentes ora vasorũ; vel quia duo humores in corpore sint quorum alter calidus sit, vt bilis; alter vero frigidus, vt pituita, ille in medio corporis putrescens febrem facit, pituita vero in partibus externis cruda existens frigus inducit. omnibus igitur his modis cum contingat calefieri interna, refrigerari vero externa; videndum est quo modo id in lipyria febre accidat. in primis nisi febris adsit, quomodocunq; caleant interna, algeant vero externa, non potest esse lipyria; supponimus enim febrem adesse; nec dicitur lipyria febris cum per initia accessionis id accidens contingit, quia paulo post calor diffunditur; in lipyria vero non accidit, cum perpetuo frigeant vel tepeant externa: quare nec intermittentibus lipyrię nomen conuenit, cum febris hęc sit continua; igitur lipyria febris fit, vel oritur ab inflammatione alicuius visceris, retracto ob id calore; vel a malignitate cor occupante, vt in pestilenti; vel vbi crassus humor impedit dilatationẽ caloris; uel denique cum bilis, & pituita vitrea in corpore abbundant, ut bilis in internis putrescat, pituita uero in externis inducat suam frigiditatem. at obijcies Gal. 4. aph. 48. lipyrias febres accidentia ponit inflammationum, nec per se tales esse dicit; at 7. aph. 43. dicit febrem epialam, lipyriam, elodem, thyphodem, reponendas esse inter morbos, & febres per se, non inter symptomata febrium; distinguit enim ibi febres, in febres morbos quæ fiunt ab humoribus putrescentibus, & febres symptomata ex inflammatione alicuius uisceris, & inter illas ponit lipyriam; has uero dicit habere pro-

pria

pria nomina, vt pleuritis, lateris inflammatio, hepatis, iecoris: & ita modo ponit lipyriã inter febres morbos, modo inter accidẽtia. pro solutione dic, duplicem eße lipyriam febrem, altera enim dicitur inquisite talis, & est quando ab humoribus nascitur, & tunc febris est perse; altera uero improprie est lipyria, cum ab aliqua inflammatione, seu erysipelate visceris exoritur; primo modo intelligit lypiriam 4. aph. 48,; secundo modo 7. eiusdem: cum igitur ob duas causas potissimum interna caleant, & frigescant externa in hac febre; uel ab inflammatione & abscesu uisceris, vel a malignitate humorũ, Gal. de prima loquitur 4. aph. de secunda uero 7. eiusdem. sed dices quid intelligit Gal. per febrem elodem ac typhodem? Aëtius dicit, quod febris quæ fit ab inflammatione uentriculi, dicitur lipyria; quæ autem a iecore inflammato typhodem uocat; typhodes vero dici videtur a verbo, typho, quod est efumo; omnes tamen istæ febres, scilicet typodes, elodes, sub lipyrijs videntur comprehendi; elodes tamen cum sudore semper inuadit. at dicet aliquis, ex Gal. primo aph. 12. vbi loquitur de typhode febre, dicit esse longam & semitertianam, medium obtinere inter acutas & longas; cum tamen uideatur 7. aph. typhodem reponere inter acutas: dicendum thyphodem febrem duobus modis fieri, vel a malis humoribus, vel ab inflammatione; vbi fit a malis humoribus pituitosis, esse longam; vbi vero ab inflammatione acutam; imo eadem febris dicitur lipyria & thyphodes cum est acuta, & vbi in thyphode, in partibus internis ardor est, in externis vero frigus aut tepor: sed videndum quid per partes internas, & externas intelligendum? id Hipp. explicatum reliquit 2. prognost. 4. vbi externas partes intelligit, caput manus, & pedes; per internas autem ventrem, & thoracem; caput (inquit) manus, & pedes, si frigida sint; id vero intelligere oportet in febre continua, seu a principio sint, seu postea adueniant, vt assidens signum: quod si iam moribundis id accidat, non dicitur febris lipyria, quod fere contingit omnibus febribus, cum ad extremum uentum est.

De febribus lipyrijs Hipp. 4. acut. tribus in locis mentionem facit; primus, tex. 13. vbi loquitur de febre ardente, notha, & salsa pituita; in qua aluus fluit, lingua aspera, sicca, salsuginosa est; vrina intercepta; vigilię, extremitates frigefactæ; & Gal. in commento refrigerata extrema dicit fieri in ea, ob inflamma-

tionem,

tionem, & virtutis imbecillitatem; siquidem causus hic nothus fit, quoties pituita salsa in ventre, aut hepate, aut pulmone putruerit: idem Hipp. 4. acut. 40. aliam febrem proponit, in qua aluus liquida est, cum pedum frigore; & Gal. in commento, id fieri dicit ob inflammationem, & ob colliquantem febrem: rursus tex. 47. de febre anxiosa loquitur, cum præcordiorum intensione, & extremarum partium refrigeratione; & Gal. in commento istam refrigerationem fieri dicit, ob magnas flegmones, quæ ex crassis succis ortum habent; quæ omnes tres febres inter lipyrias numerandæ sunt, ac malignas.

Cæterum cum hæc febris lipyria fiat a multis causis, distinguere oportet, quando ab inflammatione, vel malignitate humorum proueniat; nam cum ab inflammatione fiunt, signa aderunt doloris in parte inflammata, lingua aspera est & sicca, & aliquando nigra, pulsus durus, & extremorum frigiditas postea accidit magis quam a principio; contra uero vbi fit a malignitate humorum, signa magnę febris apparent; cum uero a bile intus putrefacta, pituita uero extra abundãte fit, signa aderunt vtriusque humoris, corpus extra tumidum, subliuidum, excrementa alui biliosa.

De epiala febre.

EPialos græce dicta est, quod tranquilla appareat, cum tamen valde perturbet ægrum, quasi mare tranquillum quod postea conturbatur; quam febrem Gal. 2. de differentijs febrium, dicit fieri ex crassa pituita, qualis est vitrea, vbi mediocriter putrefit; tunc enim in omnibus partibus corporis sentitur calor, & frigus; quia vapores putredi calorem accendunt; non putridi vero, & crudi frigiditatem inducunt: at si a pituta illa non putrescat, tunc inducit rigorem sine febre; at si multum putrescat, facit a principio rigorem, sed postea extincto rigore febris inducitur. verum contra adduces Gal. libro de inęquali intẽperie cap. 11. vbi dicit hanc febrem fieri, vbi bilis & pituita vitrea abundant in corpore, & per sensibilia monentur. secundo si ita est, nõ differt lipyria febris ab epiala; siquidem illa ex duobus humoribus fit apud eundem Gal. ad primum dicunt aliqui, quod sicuti duplex erat lipyria, altera exquisita quæ ab humoribus nascitur, & fe-

& febris eſt per ſe; altera notha, quæ ab inflammatione fit; ſic epiala, quædam exquiſita, quæ a vitrea pituita naſcitur ſola mediocriter putreſcente; altera notha quę a duobus humoribus oritur, bile ſcilicet, & pituita vitrea: ſed parum refert ita diſtinguere; nec ratio apparet cur magis illa dici debeat exquiſita, hęc vero notha; ſatis eſt pro ſolutione non ſibi contradicere Galenũ, cum diuerſas cauſas ponit huius febris. quo ad ſecundum dic, quod licet vtraque febris, tam lipyria, quam epiala fiant ab iiſdẽ humoribus, differunt tamen loco; quia licet vtriuſque, tam bilis, quam pituitæ cauſa ponatur, tamen in lipyria ſunt humores in diuerſis partibus; bilis enim putreſcit intus, pituita vero extra conſiſtit: at in epiala ſimul ſunt & bilis & pituita, & in eodem loco manent. Auicennas epialam febrem oppoſito modo interpretatur ac Gal. vt ſit contraria lipyrie; in hac enim vruntur interna, externa vero frigent; contra in epiala dicit rigere interiora, externa vero caleſcere; & cauſam ponit vitream pituitam, ſi internis putreat; ita vt tranſmittat vapores calidos ad cutim, at ſua frigiditate interna afficiat: quæ ſententia oppoſita eſt Galeno; qui ab eadem cauſa dicit fieri epialam febrem ſcilicet ex vitrea pituita leuiter putrefacta cum mouetur per ſenſiles partes, & in his ſimul ſentiri calorem ac frigus; vtrum vero talis caſus contingere poſſit, qualem imaginatur Auicennas, quod epiala febris contraria ſit lipyriæ, vt caleant externa, frigeant interna; credo quod fieri poſſit, ſi pituita vitrea in internis contineatur, & bilis in partibus externis; & id fatetur Gal. libro, de ſanitate tuenda 4. vbi ponit vtrumque caſum, & cũ crudi humores abundant in habitu corporis, calidi vero intra, vel è contra; ideo cauendum ne crudi ad habitum corporis trahantur; & è contra, ne calidi ex habitu ad internas partes euocentur: ſigna febris epialos, ſunt ſigna febris pituitoſæ: ac præterea, ſi eodem tempore ſentiatur calor & frigus per vniuerſas corporis partes, ſecundum Galeni ſententiam; at ſecundum Auicennam ſi interna frigeant, caleant vero externa, quod rariſſimum eſſe certum eſt, quia calor raro deſerit partes internas, & hæ difficilius refrigerantur vt calidiores.

De prognoſtico uero harum febrium quo ad euentum, lipyria febris thyphodes, elodes, epiala, omnes ſunt prauæ atq; malignæ, vt Gal. aſſerit; ideo ualde periculoſę, preſertim lipyriæ, quæ ab inflam-

inflammatione fiunt; de quibus dixit Hipp. 4. aphoris. 48. in febre non intermittente, si interna vrantur cum frigore extremorum, & sitis adsit, mortale; quod si liberentur ægri ob virium robur, id plerumq; per abscessum fit, aut sanguinis fluxum a naribus, aut crassi puris sputum, quod Hipp. testatur 4. acut. 16. & 46. qua ratione febres pessimæ solui solent: at vbi ex bile & pituita fiunt tales febres, difficile admodum curantur; bilis enim in hac febre calida sicca est, & crassa; humor uero frigidus & crassus admodum, qualis pituita vitrea est, uix coctionem admittit, extinguit calorem innatum, uires deijcit, syncopes & lypothimias inducit: contra humor biliosus qui has febres excitat, solet esse crassus, sincerus, mordax; vt anxietatem, & cardialiam faciat; febres assodes, seu implacidas, per quas ægri vnum debitum non sustinent, inducit.

Curatio lipyriæ.

QVoniam ex varijs causis oritur hæc febris, omni ratione nitendum, vt illas cognoscamus; vtrum ab inflammatione, uel erisipelate alicuius uisceris talis febris fiat; vbi pulmonis, uentriculi ieiuni, intestini, iecoris, renum, lienis; ita ut sit potius accidens quam morbus, uel oriatur ex malignitate humorũ, aut ex crassa & sincera bile; nam pro ratione causę, uaria quoq; curatio conuenit; ac pręterea accidentia quæ cum hac febre iunguntur, ut alui fluxus, lingua aspera, sicca, sitis, uigilia, somnolentia, aut sincopis, quod signum est proprium huius febris, a principio, aut paulo post aduenit; quæ omnia trahunt ad se curationem, quia vires debilitant & offendunt: illud tamen difficultatē facit, vbi morbus a frigidis & calidis humoribus nascitur; quia nec uenæ sectionem, nec purgationem, quæ magni morbi sunt remedia, uix admittunt crudi, crassi, & frigidi humores.

Sed percurramus lipyrias febres, quarum Hipp. meminit 4. acut. 40. & in primis illam in qua cum fluxu alui extrema sunt frigida, illud considerando, quod ubi a principio fluxus alui cum febre aduenit, semper malum est signum; quia indicat naturam irritari a mala causa morbi, uel uirium imbecillitatem: præterea considerandum, an sit lienteria, an diarrhea, aut dysenteria; lienteria enim solet fieri a debilitate uirium, diarrhea & dysen-

teria, a malignitate & acri humorum qualitate; præterea in dysenteria ulcera adſunt; fiunt etiam hæc ab inflammatione uentriculi, aut iecoris; quoties enim cum his adeſt uirium imbecillitas, aluus fluit; fit etiam ſic fluxus a colliquatione malorum humorum, in ardentibus, ac malignis febribus: Gal. refert cauſas fluxus alui, uel ad imbecillitatem uentriculi & inteſtinorum, quæ ab intemperie oritur; uel ad erroſionem, & mordicationẽ, uel colliquationem humorum: erroſio oritur, uel a malo pharmaco, aut ciborum corruptela; aut a mordacitate humorum, uel ab ulcere maligno; ſolet autem in maligna febre fieri ob mordacitatem humorum, aut colliquationem: conſiderata igitur cauſa fluxus alui; curationem adhibere oportet; & vbi exoritur ab inflammatione, morbus peſſimus eſt; quia ſanguinis miſſio iudicatur, quamuis ferre poteſt æger ob alui fluxum; ideo Hipp. pro curanda hac febre, uictu tenuiſſimo utendum monet, & continet ægrum in potione ſolum aquæ, aut mulſæ; quia acutiſſimus eſt; & ſi uires non ferant, ptiſſanę ſuccus conuenit frigidus: ſed notat Gal. quod ſi fluxus alui fiat a colliquatione (quod ex deiectionibus liquidis, fętidis, ſinceris dignoſcitur) tunc non conuenit mulſa, ſed aqua frigida in potu; at ſi fiat ab inflammatione craſſorũ humorum, tunc mulſa conuenit, niſi bileſcat: at in eryſipelate, acetoſus ſyrupus loco mulſę dandus eſt; ubi uero ex ulcere, ut in dyſenteria, aluus eſt humida, cliſteribus & potionibus attemperantibus utendum infra per hordei decoctum cum cerato Galeni, & ex oleo roſaceo omfacino, & ſaccharo (ut ſupra) in cibo exhibendo alicam, aut ptiſſanam ex hordeo toſto: pedes autem calefacere oportet, ne ſint reliquo corpore frigidiores, calidis linteis, lateribus, frictione ceromatis, quod in omni lipyria faciendum. reponitur quoq; inter lipyrias, febris ardens illa notha, de qua 4. acut. 13. meminit Hipp. in qua (ut dictum eſt) lingua aſpera, ſicca, & ſalſa apparet, ſitis magna, uigilia, alui fluxus, & extrema frigida; quæ febris ex pituita ſalſa oritur putreſcente (ut ait Gal.) aliquando in pulmone; nonnumquam uero in uentriculo; in qua febre extrema tepida ſunt, uel ob inflammationem ex eo humore contractam; uel a malignitate ſucci: utrum autem ſanguinis miſſio in hac febre conueniat, ſuadere in primis uidetur morbi magnitudo, ex abſceſsu facta; cum qua ubi uirium robur adeſt, ſanguis mittendus, ut dixit Hipp. tamen contra cum

ſup-

supponatur alui fluxus, non uidetur alia facienda uacuatio, Gal. teste primo ad Glauconem 13. vbi febris est cum alui fluxu nulla alia opus est uacuatione; & Hipp. dicit istam febrem solui per abscessum, quoties aluus astringatur; quasi quod per alui fluxum potissimum iudicetur talis febris: adde quod ipse monet, dandas esse sorbitiones attractorias, hoc est, purgandum humorem. dic quod si sine alui fluxu sit hęc febris, cum frigiditate, uel tepore extremorum, & vires & ætas consentiant, mittendus sanguis est; & fluxus non sit multus, nec timor sit debilitatis uirium, & sic intelligendus est Gal. loco citato; sin minus, medicamento leui purgandus humor, ex melle rosaceo solutiuo a principio, ut copia materię minuatur; nam alui fluxus, per alui fluxum curatur. at dices, si fiat ab inflammatione non conueniunt purgantia: dic quod radicatiua non conueniunt; sed lenia conuenire possent; ideo dixit sorbitiones attractorias esse dandas; quasi cibis medicamentosis sit vtendum; qualia dici possunt lenientia farmaca & clisteres; nam licet hic fluxus sit symptomaticus, tamen ratione causæ iuuare potest, & soluere morbum: coctio vero materiæ fiet oximellite, cum decocto radicum appij, cichorei, fœniculi, graminis: quod si ardor multus sit, syrupus acetosus conueniet. in cibo ptisana, cum acetoso syrupo; aut panis in iure pulli coctus, prius lotus; & far cum acetoso syrupo. quod si aluus astringatur in hac febre, quia iudicari solet per hemorargiam a naribus, uel crasso sputo, uel abscessu; obseruandum est quo natura uergat, & imitanda. Brasauolus notat hanc febrem ut plurimum per pruritum, & scabiem solui, cum sudor aduenerit, qui humores salsos & mordaces ad cutim deffert, & ob crassitiem exire nō possunt; quæ scabies non nisi cum maxima difficultate curatur: vbi vero causus hic nothus sedem habet in pulmone, hemorargia, vel crassi puris sputo iudicatur; alioquin ad abscessum uergit, ad aures, uel ad partes infernas, pudenda, & coxas; tunc adiuuandi abscessus: interim calefaciendę partes extremæ, vt non sint minus calidæ, quam reliquum corpus; & fricandæ ex aceto cum sinapi calido.

Sed veniamus ad tertiam lipyriam descriptam ab Hipp. 4. acut. 47. in qua ponitur febris implacida, & anxiosa, quam assodem uocat Gal. cum hypochondriorum tentione, & frigore extremorum; & fieri dixit ob magnitudinem inflammationis a cras

sis succis; uel ob malam affectionem oris uentriculi; quod vel a calidis humoribus malignis infestatur, qualis bilis est uitellina, porracea, ißatodes, & æruginosa; aut etiam pituita obstruens, atq; opprimens illam partem: sed cum supponantur contenta hypochondria, verissimile est ob inflammationem magnam alicuius visceris, vbi contenti fieri extremorum frigiditatem; hypochondrij enim contentio, si dura fuerit valde, horrenda est, pręsertim per totum hypochondrium; & tales febres iudicat Hipp. mortales primo prog. 25. quamuis aliquando per sanguinis eriptionem a naribus iudicentur, vel supponatiue; si 20. dies transeat morbus. possunt etiam prouenire hæc ex crassis succis in hypochondrio contentis, & in ventriculo, vt in sincopali humorosa, & multis flatibus, quod minus malum est: videndum igitur est qua ratione hę febres curari debeant, quæ lipyriæ naturam habent, & sunt valde malignæ, & acutæ: considerandum item, & quæ Hipp. ipse affert, & in primis perpendendę sunt vires: & quia morbus, vbi talia habet symptomata peracutus est, & fere intra quatuor, vel septem dies terminatur, & statim extremos habet labores; ideo summe tenuissimo victu vtendũ: quare Hipp. suorum præceptorum memor, solo oximellitis potu vtitur; intellige si uires valeant; & sorbitionem non dat vsque ad remissionem morbi, & vrinę maturationem; nam oximel vim habet alimenti, & medicamenti; & ad crassos humores tam in uentriculo, quam in pulmone attenuandos multum valet. qui igitur in hac febre pleniori uictu vsus fuerit, ut multi medici faciunt; qui extremorum frigiditatem sentientes, contusas carnes exhibent, & oua; omnes suffocant ea dieta male instituta: dat autem oximel aquosum; sed si vires non sint ita validæ succo ptissanæ in pauca quantitate vtendum. pro inflammatione vero & tumore hypochondrij, adhibet Hipp. lini semen, in aqua & oleo coctum, facto emplastro, quod exacte tepidum, uentri opponendum iubet ad mulcendum dolorem, & tensionem remittendam & resoluendum. at dices cur Hipp. nõ mittit sanguinem prius, cum morbus adeo granis sit, & malignus; præsertim quod resoluentia, & localia, ante vacuationem augent inflammationes 11. meth.? certe primũ quod fieri in hoc morbo debet, est venæ sectio; cum tam magnus morbus sit, & fere ab inflammatione viscerum procedat: deinde ad emplastra, & vnctiones veniendum; sed a principio, præsertim

tim

tim ad iecur, & ventriculum inflammatum, astringens aliquod addendum, non contenti puris resoluentibus; ideo vel crocum, vel absynthij comas miscere licebit huic emplastro quod Hipp. proponit. at si æger non tollerauerit emplastrum, ad cerata veniendum; quæ ex oleo camomelino, anetino, & mastichino, cum pauca cera fieri possunt. Cęterum symptomatis occurrendum monet, & primo anxietati; iubens vt iaceat loco obscuro, lecto molli, & decubitum eodem loco diu sustineat æger; nam lux vires debilitat; lectus mollis minus affligit corpus ægrotantis, si illi sit assuetus stare eodem loco, & ferre decubitum vnum, uires confirmat, & coctionem auget; sicuti agitatio accendit calorem, & corpus imbecille reddit: sed si non inflammatio, uerum frigidi humores, aut calidi anxietatem faciant, si æger vomere ex aqua mulsa potuerit, multum leuabitur, sicuti per clisteria infusa: frigus extremorum præcauendum, & eorum calefactionem; modis omnibus procurare oportet, quo calor ad exteriora prouocetur; est enim hęc febris ualde acuta, & maligna; ideo uel testimonio Hipp. magna diligentia, & custodia opus est; siquidem minimus error magno detrimento esse potest. vbi uero febris hęc fit a bile intra corpus putrescente, & pituita cruda in habitu existente; tunc si sanguis abundare videtur ex aliqua retenta uacuatione, & uires constent, sanguinem mittere conuenit; nisi cruditas tanta sit, ut probibeat talem uacuationem; sin minus, uacuanda bilis vomitu, aut deiectione, medicamentis lenioribus, deinde attemperanda acetoso simplici, cum decocto cichorei, graminis, agrimoniæ; inde vacuanda rhabarbaro, & melle rosaceo solutiuo: interim pituita quæ in habitu corporis est cruda, attenuanda frictionibus frequentibus, cum aliquo acopo, seu resoluente, qualis est vnctio Aëtij ex sabino oleo, & nitro, & quæ recipit oleum amigdalaceum, de qua egimus cap. de pestilenti febre: uictus fit ex succo ptissanæ, uel panatella in iure pulli; potus aquæ cinamomi: cauendum tamen, ne humores crudi ad uiscera trahantur, sed per halitum sensim educantur, & aliqua leui purgatione, si in excrementis de se significationem det pituita. at in febre epiala, vbi tam bilis, quam crassa pituita in eodem loco sunt, leuiter euacuabimus primo. inde quæ incidant, non multum adhibebimus, quale oximel est; at vbi a pituita uitrea procedit, sola intensiora, quale est oximel scyliticum, & de radicibus: extenuata &

cocta pituita, expurganda; & licet uitrea pituita coctionẽ non admittat, ita ut possit conuerti in sanguinem; tamen attenuatione, & obsertione, & calefactione præparatur, ut melius expurgari possit; ad quod præstandum hiera simplex Gal. cum melle rosaceo, sunt accommodata; extra frictiones inunctiones ex aperientibus: cibus sit panis coctus in iure pulli cum pipere; potus aqua mulsa. at si febris epiala talis statuatur, qualis ab Auicenna dicitur, cum frigent interna, & externa calent, quia frigidi humores intus sint, calidi uero extra, quod aliquando fit in lassitudinibus 4. de sanitate tuenda; tunc procuranda coctio humoris frigidi in internis, & euacuatio illius: bilis autem quæ in externo corporis habitu est, balneo, leui frictione ex oleo camomelli; si pauca fuerit resoluenda, si multa medicamento purganti; ita ut habeatur ratio vtriusq; humoris, & præcipue eius quod magis turget, altero non neglecto.

De syncopali humorosa.

QVia de febre lipyria tractauimus, cuius species est febris syncopalis humorosa; ideo de hac instituendus sermo est; & quia celebris admodum & periculosa: de qua licet Gal. 12. meth. diligenter & abunde egerit, quia tamen multas habet difficultates, & pręcipue in curatione, in qua Gal. notatur a Traliano, & alijs; ideo breuiter eius natura explicanda est, & difficultates omnes, atque scrupuli tollendi: & ut a nomine incipiamus, appellatur febris syncopalis humorosa; syncopalis, quia cum sincopi iuncta est; humorosa ad differentiam alterius febris syncopalis, quę minuta dicitur; illa enim humorosa dicitur, quia causa syncopis in illa sunt humores multi suffocantes; in hac uero inopia humorum id ipsum efficit. sed ut exacte utriusq; febris natura dignoscatur, uidendum in primis est, quid syncopis sit, & a quibus causis proueniat, & qua ratione iungatur cum hac febre; est enim hoc maximi momenti; siquidem omnium accidentium, syncopis horrendissimum est, & quod omnem medici curam ad se trahit; & nisi recte cognoscatur, præcaueatur, & curetur, citissimam mortem affert. in primis sciendum, quod diffinitur syncopis a Gal. 12. meth. pręceps uirium lapsus; per uires intelligimus uitales, quæ consistunt in temperamento partiũ prin-

principalium, quod temperamentum est calidum innatum, est aut fixum in membris, aut in sanguine, a quo fiunt spiritus, qui instrumenta sunt facultatum, & fiunt a vapore benigno sanguinis, & plurimi continentur in corde, & arterijs: describitur igitur a Gal. sincope, per præcipitem harum uirium imminutionem, vt distinguat lapsus virium, qui fiunt ex longo morbo sensim; ita igitur si quis recte syncopen diffinire velit, dicet esse velocem uiriũ defectum ob uitium caloris innati, & spiritus: dignoscitur vero lapsus hic uirium ex operationibus; ac primo pulsus erant formicantes, aut intermicantes, vel parui, obscuri, debiles; inæquales; motus ac sensus, aut deficiunt, aut valde sunt obtusi; cor enim in hoc affectu, quasi intercipitur, & cessat à suo munere; flos omnis deperditur tum in figura vultus, tum in colore; & sudores frigidi apparent: quoniam vero accidentia ista, modo maiora, modo leuiora aparent; ideo quando valida sunt, proprie syncopis dicitur, vt in iuuene illo 10. meto. & in histerica passione pallida: quando vero talia sunt mitiora, dicitur lipothymia, seu liposichia quæ leuior est affectio; sic Gal. 12. meth. si humores, ait, neque obstruant, neque grauent, syncopen non faciunt, sed uocatas lipothymias; quæ ignorans Auerroes perperam repræhendit Hipp. qui euacuandum dixerit aliquãdo ad sincopen; cum ille intelligat ad lipothymiam. sed est alter affectus qui ad uirium lapsus referri potest, & leuior adhuc est lipothymia; qui dicitur anxietudo, inquietudo, seu ambiguitas, per quam ægri loco vno stare nequeunt, sed hinc inde anxij mouentur, & hic affectus est initium ad alia duo, scilicet lipothymiam, & syncopim; ita vt ista tria, anxietudo, lipothymia, seu animi deliquium, & syncopis differant secundum magis & minus; sicuti vertigo, epilepsia, & apoplexia; nam vertigo leuis est epilepsia, hæc uero ut leuis apoplexia.

Causæ uero multæ, & uariæ huius affectus censentur, quas Gal. sigillatim numerat primo ad Glauc. 13. sed omnes ad unam immediatam causam reduci debent; igitur cum in sincope, & virium precipiti lapsu, calor innatus minuatur; & hic in temperamento solidorum, & spirituum consistat; sequitur, ut ea quæ calorem & spiritus imminuunt, sincopis causæ sint; calor autem extinguitur & imminuitur, vel quia suffocatur; vel quia dissipatur, uel a contrario ad primam causam reducitur syncopis de

qua

qua agimus, cum multi humores crassi ac frigidi occupant os uentriculi, & impediunt transitum caloris: item inflammationis & obstructiones viscerum, cordis, pulmonis, uentriculi, iecoris: sic fiunt syncopes in principijs accessionum, in apoplexia, hysterica passione; item a doloribus ex ira, aut timore, attracto sanguine, & spiritu repente ad cor, & uiscera; ac soluitur, & imminuitur calor, & spiritus, & quauis valida uacuatione sensili, aut insensili. denique alia est tertia causa, quæ a contrario extinguit calorem, vt ingens frigus; quod etiam facit alteratio a tota substantia; venenum intra uel extra corpus spiritus offendens, intra ut in hysterica passione illa valida, quam Gal. refert ad humoris frigiditatem, extinguentem calorem; licet sit magis verisimile, pati per hanc affectionem primo cerebrum, & occulta veneni qualitate affici inde facta communicatione ad cor, intercipi respirationem & motum; has omnes causas considerare medicus diligenter debet, vbi sincopis uel futura est, uel adest; quas si ignorauerit ex quolibet leui errore ęgrum perdere potest; ideo Hipp. 2. acut. 47. repræhendit medicos, quippe qui ignorent uirium debilitates in morbis; & quæ fiunt ob vasorum uacuationem, uel aliã aliquam irritationem; & quæ propter dolorem, & acumen morbi: nam quæ ex uacuatione, uel irritatione, ad resolutionem caloris, & spiritus reducuntur; quæ uero ad dolorem, & morbi acumen ad suffocationem uel malignitatem; atq; illæ cibo, hæ uero uacuatione & inedia sunt curandę; & ideo harum cognitio, uel ignorantia, salutem aut mortem afferunt. his de syncopi in generali habitis, ad nostram febrem syncopalem humorosam redeũdo, dicimus, quod causa illius Gal. teste 12. metho. est humor pituitosus, frigidus, crassus, ac lentus, occupans os uentriculi, ex multis cruditatibus; vnde obstructiones, & putredines, ac febres accenduntur lente, ut plurimum; calor enim lenis, & fumosus est; nec ad extrema multum diffunditur: apparet autem in hac febre totum corpus, facies, & hypochondria tumida; aliquando liuescens; ructus, nausea præceßerunt cruditati; signa; pulsus inęqualis paruus, & satis rarus, vbi ex frigiditate humorum nascitur. sed cum hæc febris dicatur syncopalis, videndum est, an cum ea sincopis necessario perpetuo adsit: dic quod non, sed perpetuo adest anxietudo, seu agonia; & inquietudo; quia suffocatur calor; at si multum suffocetur accedit lypothimia & syncopis;

pis; præsertim si adsit inflammatio, & humorum putredo: nam Gal. tres differentias facit huius febris 12. meth. a causis desumptas; vna in qua humores crassi, ac frigidi, & multi uenas & arterias circa os ventriculi occludunt, sine alia affectione; altera in qua simul adest alicuius uisceris inflammatio; tertia in qua humores corrumpuntur: & multum refert hæc dignoscere ad prognosticum, & ad curationem: & profecto ista febris vna species est illius, quam Hipp. depingit 4. acut. 47. in qua dicit ægrum anxium esse, hypochondria inflata, & extrema frigida.

Quo ad prognosticum, si febris fiat ex multitudine tantũ humorum craßorum, & frigidorum, Gal. sperat sanitatem; si medicum æger inueniat doctum, & peritum. at si cum inflammatione alicuius visceris copuletur, aut corruptione humorum, iudicatur lętalis: sed quę curationem recipit, accuratissimam diligentiam requirit medici; qui non modo præsentem syncopim, sed futuram præcognoscere, & præcauere sciat: verba Gal. audi, & memoriæ teneto, 12. meth. cap. 3. si iecur, & ventriculus, flegmone laboret, hæc si adsint, corpore iam crudis succis referto, desperata salus est, pulsibus sic mutatis; idest cum subito ad paruitatem, seu inęqualitatem, & imbecillitatem mutantur: ergo in huiusmodi casu ægri, te ipsum a culpa immunem pręstabis, si moriturum prædixeris, ac nullo generosiore medicamento vsus fueris: quibus vero spes est salutis, (est autem omnibus qui ita citra flegmonem ęgrotant) maximum medico, qui vtiq; ipsos a principio susceperit, videtur mihi decus esse; si in sincopin inciderint, quamquam per inscitiam medicorum, quotidie id fieri cernitur: hæc Gal. qui hanc febrem curabilem statuit, si non procedat ab inflammatione, aut corruptione; sed a crassis, & frigidis humoribus; nisi accedat medici imperitia quæ ægrum perdat.

De curatione syncopalis humorosę.

Scopi in hac febre sunt, vacuatio; peccant enim humores multitudine; aut quia crudi, frigidi lenti; ideo coquendi, incidendi, abstergẽdi sunt, & totis viribus pręcauenda syncopis: quod si adueniat, tunc illius maior habenda cura; cum magis vrgeat, quam morbus; & pręcauendum ne redeat; quia releuati a syncope, facili negotio in eam redeunt: id fit confirmando membra

principalia, & roborando, atq; calefaciendo, nisi febris vrgeat; raro autem vrget in hac febre: & quo ad victum, vtendum admodum tenui, & qui extenuandi humores uim habeat: quas intentiones, qua ratione Gal. perficiat, audiamus, & quę sit illius egregia in hoc malo curatio; nec enim illius artificiũ nouit Tralianus, vel alij eius repræhensores, vt mox dicam. in primo ergo scopo, vacuandi essent humores; sed impedimentum adest; nã id vel fieri potest per uenæ sectionem, vel purgationem; sed neutrum conuenit a principio in hac febre: primo, quia vires debiles sunt: secundo quia ex vacuatione commouentur humores, obstructiones augentur, syncopis accersitur; quam adeo Gal. timet: nec in tanta cruditate, sectio venæ potest iuuare; quia bonus extraheretur sanguis, & cruditas fieret insuperabilis; nec uires ferunt; nec purgatio ob eandem causam; neque cruda materia crassa, & cruda a principio vlla ratione purganda; siquidem cocta medicanda sunt, non cruda; quid igitur faciendum? vacuanda est materia (ait Gal.) insensibiliter; & per inediam summam: ideo ad tertiam vsque diem, præter mulsam, nihil exhibet; & per continuas frictiones euocat calorem ad cutim; & attenuat humores, vt expellantur; fricat enim coxas, & crura pannis asperis; a supernis deorsum: deinde brachia; mox dorsum; & rursus redit ad crura: nec cessandum a frictione iubet nisi vel somnus, vel cibus impediat. inungit etiam corpus oleo camomelino, aut anetino, ad transpirandum; ita enim sine periculo putat Gal. præcauere syncopem. at contra hanc determinationem, insurgit Tralianus, & cum eo aliqui iuniores; inter quos est Mercatus; qui Gal. miratur non admittentem in tam sæuo morbo vacuationem; & permittat ægrum inedia ac frictione perpetua cõsumi; melius enim est (aiunt) vt pars materię euacuetur, per aliquod leniens medicamentum, quale est mel rosaceum, manna, diacatolicon, & similia; deinde curare, vt materia coquatur, & attenuetur; ac frictionibus vtendum, non ita continuis, vt facit Gal. sed moderatis: nec inedia tam extrema imperanda; sed vel contuso pulli, vel ouis, aut alio simili victu roborandas vires. ad id vero quod timet Gal. ne uacuandi humores liquentur, & moueantur, & ita syncopis prouocetur: intelligendum esse dicunt, de validis purgantibus, quæ ualida erant apud antiquos, non de lenientibus, quę minime humores commouent; sed leniter ven-

trem

trem soluunt: de sanguinis missione, illam a principio non esse faciendam monent; sed in progressu uacuata materia, & correcta aliqua ex parte; si uires robustiores appareant, & febris vrgeat; ita Gal. solet per cruditatem concoquere; deinde mittere sanguinem. at Tralianus parum constans, mittendum sanguinẽ affirmat; mox negat, sed pleniori uictu, quam Gal. facit; vtitur, ptissanæ succo, alica, uino: & moderatius fricat. certe horum rationes, prima fronte satis speciosæ uidentur; & Gal. doctrina, ideo non carere nota. sed si recte perpendamus illius scopum, frustra hæc omnia opponi inueniemus. in primis quod dicunt, Galenum non uacuare sensibiliter, quod illi leni medicamento faciunt, falsum est; siquidem ipse mulsam aquam dat ad aluũ mouendam, quæ loco medicamenti lenis illi est; præsertim, si cruda detur; quod si aluum non mouet, clistere utendum præcipit; & sic procurat alui mollitionem; fortasse melius, quam illi faciunt; timens ualidiora pharmaca, liquationem materiæ, obstructionũ augmentum. Quod uero opponunt, de uictu longe tenuissimo, quẽ ferre non possunt ægri, cum continua frictione: dicimus, Galenum considerare acutiem morbi validam, & multitudinem pituitæ; ferunt enim tales abstinentiam quãmaximam: & quod ipse Gal. mulsam in decoctione hysopi ad tertiam, & etiam ad septimam exhibet; intelligit, si uires ualidæ fuerint: & sequitur Hipp. 4. acut. 47. qui in febre huiusmodi, præter oximel, nihil exhibet vsq; ad declinationem; quo etiam oximelli Gal. utitur in hac febre; & aliquando ad succum ptissanę, & alicam uenit; si uires debiliores appareant: quin imo & a principio, uinum oligoforum album non negat cap. V. & vbi pulsus debilis, & inæqualis apparet, panem in uino tinctum dat. quare non erat ita leuiter accusandus ille, qui adeo caute, & accurate, uictum adhibet; non indiferenter, sed modo tenuissimo; ut mulsa, aut oximellite; quo acutior morbus fuerit, & uires fortes; modo pleniori, si uires nõ ita sint ualidæ: & ea ratione fit, ut non fame ægros necet. & si fricat perpetuo, id intelligendum est, si uires ferunt; nam hæc frictio, inquietudinem mitigat, & syncopim prohibet, calorem ad extera trahendo: nos & cucurbitulis paruis uti possumus, in hanc eandem intentionem. de missione uero sanguinis, certum est, quod a principio non conuenit; ob rationes prædictas: in processu uero, cum iam coquitur humor, & sedantur symptomata,

frustra uidetur facienda: tunc coctam materiam, & attenuatã, licet magis purgare, melle rosaceo, cum speciebus hieræ simplicis.

Verum hic dubitatio oritur non spernenda, quomodo Gal. fricat perpetuo corpus, antequam illud euacuet? nam hæc frictio potius augebit obstructiones. secundo dubitatur, cur asperam frictionem pręcipiat; hęc enim corpus ligat, ut Hipp. docet; at nos intendimus aperire, non claudere: quare frictio debet eße media inter mollem & duram, & multa. ad primam dicimus, quod frictio trahit paulatim humores, & calorem, ad cutim; nec fundit sicuti uacuatio sensilis per medicamentum: deinde dic, quod Gal. prius procurat, ad aluum mollire mulsa, aut clistere; & ita sine periculo materiam minorare. uel dic, quod est cura coacta, in qua oportet cutim calefacere, & trahere humores extra; quæ frictio cum inedia iuncta, impedit obstructiones: vel dic, quod frictio illa paulatim, & sensim trahit. ad secundum dic, quod frictio, quam Gal. præcipit, est media inter duram, & mollem; dicit enim lintea ad fricandum, debere esse non mollia, neq; aspera admodum; & ideo media censetur inter duram, & mollem. & cũ postea oleo laxante inungit, meatus aperit ad resolutionem. hæc de primis scopis, quæ uacuationem materiæ respiciunt, & uirtutis conseruationem per uictum.

Modo ad alterum scopum ueniamus tollendæ syncopis, quando occurrit: illam enim iam aduenientem Gal. ex pulsu cognoscit; si subito ad imbecillitatem, paruitatem, & inęqualitatem mutetur: quare statim recurrit ad vinum, in quo panem dilutum exhibet; quod faciendum esse monet pręsente iam syncope; siquidem vinum omnis syncopis remedium censetur 12. meth. illud generosum, flauum, non astringens; ut symptomati occurrat magis, quam morbo; quod uinum exhibet, aliquando calidum, aliquando frigidum; pro natura, & consuetudine ægri, & anni tẽpore: nam in biliosis, cælo ęstuoso, & consuetis frigidis, frigidũ dat: quod etiam in mulsa, & oximellite, & ptissanæ succo, & alica seruandum. at si fuerit hyems, & ęger pituitosus, calori assuetus, calidum uinum; calidas quoq; prædictas potiones, & alimenta propinat. alia multa remedia ponit Gal. curandę syncopis in accessione; silicet frigidæ in faciem aspersionem; sed in hac potius cum uino maluatico fieri debet: odoramenta item, quę naribus ad mouentur; narium appræhensiones; clamores ad aures; ad ex-

ad excitandum, uentriculi os, fricat, corroborat, nardino oleo; siquidem in eo fere est mali origo. oximel ad uomitum, eumq; tepidum prębet; ualida enim uomentia non conueniunt: in cruditate frictiones sint urgentiores: calefactio extremorum, si frigeant, ligaturæ & cucurbitę, cum multa flamma. Cæterum membra principalia roboranda; cor, & iecur epithematibus: cerebrum, & uentriculus odoratis ceratis: releuatus a syncopi, ne rursus in illam incidat prę cauendum: ęger quietus iaceat; non moueatur; & decubitum in uno loco sustineat: ita enim paulatim coquendus humor, minuenda copia, roborandæ uires; quo ad morbus sedetur, humores coquantur, & attenuentur: & tunc purgandus hiera simplici, cum agarico; aut eadem hiera, cum melle rosaceo solutiuo: nullum enim ad uitiosos humores in uentriculo existentes medicamentum, hiera præstantius reperiri potest, Gal. 8. per loca; licet magis biliosos educat quã pituitosos: hos tamen euacuat abstergendo, ob aromata quæ cum aloë in ea miscentur.

De syncopali minuta.

CVR hæc febris dicatur syncopalis minuta, ratio a contrario est, ad differentiam humorosę; illa enim per suffocationem caloris fit; hæc uero per resolutionem illius, & spiritus; ideo minuta, quasi ex diminutis humoribus: & sicuti in humerosa, facies tumida apparebat; ita in hac, contra unum comune signum est, ut extenuata gracilis, ac macilenta uideatur, talis denique, qualis ab Hipp. primo prog. 2. describitur: quę extenuatio fit duobus modis; aut propter uacuationem sensilem, aut insensilem: rursus si fiat uacuatio sensilis; aut fit paulatim, ut in hecticis per longum temporis spacium; uel repente, in alijs febribus putridis, & colliquantibus: & hoc bifariam, uel ex parte agentis, aut ex parte materiæ; scilicet corporis, & humorum, qui resoluuntur: ex parte agentis consumitur corpus in febribus acutis, quando calor ingens est & ualidus; qui tactum acredine sua, & multitudine, ac densitate ualde offendit: at calor malignus, ac pestilens, etiam si paruus sit, tamen colliquat, & absumit humores, atq; corporis partes: ratione uero materię calor hecticus, licet paruus sit; quia tamen in solidis est, & fixus, eas paulatim absumit, atq; in halitum colliquat, & exiccat: ratio-

ne item subiectæ materiæ fit hæc extenuatio in corporibus quę tenuem sanguinem habent, carnes molles atq; raras, os ventriculi debile; præsertim in cælo æstuoso, aut regione tali ex irritatione, ex putricis, ac debilitate retentricis; quas causas numerat Gal. facilis resolutionis; quamuis illæ non sint principales; sed adiuuantes resolutionem, & colliquationem spiritus, pinguedinis, & carnium: causa tamen calor est, vel ardens & multus; aut malignus, aut hecticus; qui magis operatur qualitate praua, quam quantitate, vt in hectica pestilenti: ad hanc causam deducitur syncopis, quę fit ex morsu alicuius humoris acris, & mordacis, circa os ventriculi inhibiti; facile enim consentit cor. cardialgię fiunt ex flaua bile, seu vitellina, aut porracea, aut eruginosa: tunc enim resoluitur corpus; quia ex dolore, facile spiritus absumuntur; & ex inquietudine vires debilitantur: aliquando tamen syncopis apparet cum tali facie, quæ repræsentat febrem syncopalem minutam, non tamen vere talis est; vt docet Gal. 12. meth. 6. sed ab ingenti inflammatione oritur alicuius uisceris, & caloris imbecillitate; qui non potest extendi ad membra, & frigent, neque nutriuntur: distinguitur tamen hæc, a syncopali minuta; quia in hac, calor valde acris, & multus sentitur circa partes supernas, aut malignus per totum: tot igitur modis dissoluitur corpus in febre, vbi insensibiliter extenuatur, & vires debilitantur, vt syncopem inferant; & aliquando id contingit sensibiliter, quando per aliquam euacuationem liquantur humores, pinguedo, caro; & est causa vna & eadem colliquationis vtriusq;, tam sensilis, quam insensilis; sed ex materiæ conditione distinguuntur a Gal. 10. meth. vltimo: nam sicuti in igne carnes quæ in craticulis aßantur, aliquando ob pinguedinem, & humiditatem, multum humoris effundunt; aliquādo vero ob siccitatem nihil; sed in halitum potius exiccantur; ita in corpore nostro, calor, uel ingens, aut malignus, vbi siccius corpus inuenerit, sine sensu corpus consumit; vbi vero humidum, & pingue, multum humiditatis excernitur: cæterum quę liquantur adeps est, aut caro, aut sanguis; excernitur autem colliquatio, vel per aluum, aut per vrinas, vel sudores; aliquando etiam ad partes ventris. sed hæc opponet Gal. 4. meth. vbi dicit febres colliquantes, sensibiliter, & per halitum transmittere humores; & sic distinguit marrasmodem febrem, a colliquante; quia in il-

la sine

la sine sensu corpus dissoluitur, in hac vero liquamenta per aluũ excernuntur: igitur non omnis febris dicitur colliquans, nisi sensibiliter excernantur humores per aluum. dic quod febres quæ dissoluunt corpus sine sensu, minus proprie dicuntur colliquantes; quæ vero per aliquam vacuationem, proprie tales appellantur. ad id uero quod Gal. dicit febres colliquantes humores, per aluum euacuare. dic quod intelligit de eo quod ut plurimum fit in febribus sensibiliter colliquantibus: at nihil prohibet, etiam per urinas, per sudores, & in malos abscessus, per colliquationem sanguinis fieri. signa colliquationis per uentrem sunt trium generũ, nonnumquam biliosa, spumosa, sincera sunt, quæ per aluum excernuntur Gal. 3. de victu acut. 13. cum alui excrementa (ait ille) spumosa, biliosa, & sincera fuerint; febris est quæ liquefacit, & ad tabem perducit. distinguendum tamen cum Gal. 4. acut. 12. biliosas deiectiones, quæ fiunt a colliquatione, ab illis, quæ ab vstione: a colliquatione vbi fiunt, habent prędictas conditiones, & plerumque fœtent nimis: aliquando fiunt ab vstione, propter biliosos humores, & uentris caliditatem; vel quia corpus expurgatur a bile, nec fętent adeo. Secunda differentia liquefacientis febris est: quando exeunt per aluum, pinguia, lenia, glutinosa; seu alba, seu subcrocea: tunc enim pinguedo liquatur, & deijcitur; at peiores sunt, si sunt subcrocę, quam albæ; quia maior putredo indicatur. tertia deiectio colliquatiua, est fœtidissima; vbi enim talis est, in febri pestilenti uisitur. imo Gal. pestilentium febrium signum, quasi patognomonicum, statuit has colliquationes, per quas aliquando pinguedo, aliquando uero, & carnes tenuiores liquatę excernuntur. de colliquatione uero quæ fit per vrinas, signa apparent uaria; quorum primum est pinguedo supernatans, velut aranearum telæ 2. prog. 35. item spumosæ urinæ, uel oleosæ, ac pingues, & fœtidæ in malignis: item quæ in magna copia excernuntur, solent extenuare, & colliquefacere corpus repente; quod aliquando in hac febre uisum est: vrinæ quoque sedimentum, colliquationem indicant solidorum, dum farinacea, orobina, furfuracea, laminosa, carnea, spermatica fuerint 2. prog. 28. fiunt etiam colliquationes carnium, per sudores fœtidos, diaphoresticos, multos; & vbi colliquatio crassior est, per aluum educitur; vbi uero minus crassa, per lotium; si uero adhuc tenuior, ad sudores pertinent.

Colli-

Colliquatio sanguinis, ex magna urinę copia colligitur, depræ benditur; quia ichorosus fit, & saniosus; vnde urinæ fluxus maximi, atq; colliquatiui: sed si renes trahere non poßunt, tunc demandatur sanies ad ventrem, & facit hydropem, qualis succedere solet in acutis morbis; quod non modo ex colliquatione sanguinis, sed adipis, & carnis mollioris contingere potest: quamuis Gal. id referat ad inflammationes iecoris, uel partium intra ventrem inferiorem contentarum, & ad intemperiem ualidam illarum: hæc de febre colliquante in uniuersum dicta uolumus; quia febris syncopalis minuta, de qua nobis institutus est sermo, inter colliquantes numeratur; quoties, uel syncopis accedit, uel periculum est ne ex ea fiat: quod præcipue contingit vbi mordax humor occupauit os uentriculi, ac inter illius tunicas continetur, & adest humorum tenuitas, corporis mollities, & raritas: & ijs qui sunt picrocoli parte superiori, & famem diu tollere non poßunt; quin in hanc paßionem ueniant; quo ad prognosticum, hæc febris magis periculosa est, quam syncopalis humorosa; ideo maiori diligentia indiget & sicuti de hac dicebat Gal. quod vbi cum flegmone iuncta est, lætalis iudicatur; ita de hac febre 12. meth. 6. scribit, quod si cum alicuius uisceris inflammatione copulentur, prorsus mortalis censetur; vbi tamen a causa externa corpus dissoluitur, vt aliqua uacuatione, vel fame, uel uigilia, minus malum est, quam si sine causa manifesta id contingat. colliquantes quoq; febres omnes periculosę sunt; quę liquamenta per aluum, uel per urinas fundunt; & multo magis, quę per sudores: istæ enim fere mortales sunt, si multoformes circa collum, & ceruicem, & caput fiant: in his uero, quibus deiectiones sunt colliquantes, si fætidę fuerint, longæ, sunt periculosæ, & etiam sine fætore; quia minantur tabem, ait Gal. 10. meth.

De cura.

A*Ccipiamus primo eam febrem ex colliquantibus, quæ proprie dicitur syncopalis minuta; & quæ fit ex humorum tenuitate, ac mordacitate, & syncopim minatur, uel cum ea iungitur. intentiones curatiuę duæ sunt; altera prohibere, ne syncopis adueniat; altera cum iam præsens illa est, remouere; quo ad præuisionem reficere uires oportet (ait Gal.) paulatim, & sæ-*

pe; &

pe; & si vires validiores sint, ex interuallis; nutrimenta debent esse obtundentia, acredinem non facile dissipabilia, roborantia os uentriculi: & quia syncopis fere in accessione apprębendit; quarundam febrium, pręcipue in picrocolis; ideo antequam adueniat febris, uictu tali pręcauendus morbus; optimum autem alimentum in his est ptissanę succus, panis in vino oligoforo, succus mali punici, oui luteum; ita enim si cibemus ante accessionem, pręcauebimus syncopim; exemplo Gal. 10. metho. Cęterum si careat accessionibus, ut in febre continua, cibi conueniunt, ex his quę tarde resoluuntur, nec celeres habent excretiones: inter quę Gal. 12. meth. 6. numerat ptissanam, alicam, fructus astringentes, panem lotum, ouorum uitellos, testes gallorum. at dices ista quę tardas habent excretiones, tarde concoqui; nos vero indigemus cibo qui facile superetur, & nutriat celeriter. dic quod tales cibi conueniunt, quando est extra syncopim, & iam ualidior ęger est; quia datur spacium coquendi: volumus autem reddere crassiorem massam sanguineam, quę ob tenuitatem resoluitur: contra cum syncopi accedit; ad uinum currimus, quod flauum sit, & calidum, quod per uniuersum corpus deducat; tale enim ratione symptomatis omni syncopi conuenit silicet uinum flauum 12. meth. Hipp. ad syncopes ex humorum acredine dat florem farinę, hordei tosti; quam polentam dicunt, in succo mali punici; & est optimum remedium, & expertum; conuenit quoq; in his, ait Gal., vinum pauciferum, nec sibi contradicit, pręcipiens aliquando, vt vino oligofero in his vtamur, & rursus valido & vinoso; nam in accessione, quando contra symptomata pugnamus, uinum datur generosum; extra accessionem aquosum propter febrem: potest etiam dari granatorum, uel uisciolarum uinum, cũ aqua hordei temperatum. sed hęc licet roborent uentriculum, nõ ita reficiunt, ut uinum: interim quia raritas corporis, & carnis mollities euaporationis causa sunt, & aër ęstuosus; refrigerandum corpus est, & aër ipse extra corpus; inungendum pręcipue pectus, & uenter cerato Galeni refrigerante; quod omnium optimum censetur: epithemata etiam, cordi, hepati, & uentriculo, renibus, quę refrigerandi uim habeant, ex succo plantaginis intubi postulace cum aceto; ad iecur, & uentriculum, & cor, ex cerato refrigerante, additis santalis. aërem uero alterare oportet frigidis, si ęstuosus sit, aqua rosacea sępe, & aceto irrorando stra-

 tum,

tum, & parietes hirundinũ & vitium, folijs appositis, loca subterranea habitanda; quę omnia vbi sudore æger dissoluitur facienda sunt.

At si iam syncopis adueniat in ipsa accessione, nisi flegmon adsit, vini haustum generosi; aut panem eo tinctum dare oportet, in parua admodum quantitate, ne uirtus suffocetur, uinum enim omnis syncopis remedium est præstantissimum 12. meth. V. quod dandum est, uel calidum, uel frigidum; facta distinctione temperamenti, ętatis, consuetudinis, & temporis anni, sicut supra diximus. Brasauolus ait, se syncopem in accessione prohibuisse; dando panem in succo mali punici tinctum; erat enim ex bile mordẽte os uentris: hinc excitandus ęger est; ac frigida in faciem inspersa; reuocat enim spiritus: uociferationes ad aures, narium apræhensiones; odores uini, & aceti; artus fricandi, & uenter; ad brachia, uino generoso calente; ad uentriculum, oleo nardino, spicaceo, quod maxime iuuare solet; aliquando etiam uomitus; magis enim conueniunt hic proritantia ad uomitum, quam uomentia, & id cum mordaces humores sint in uentriculo; ligaturæ quoque extremorum eo tempore vtiles sunt.

Cura colliquantis febris.

Modo ad colliquantes febres ueniamus, quæ per aluum solent excernere humores; id fit (ait Gal.) quoties, uel pinguedo, uel caro mollis liquantur: & distinguere oportet biliosas has excretiones; quando ex humoribus fiunt acribus, & biliosis, sine colliquatione, ut in diarrheis; possunt aduenire criticæ, uel symptomaticę: at in colliquationibus semper symptomaticę adueniunt. igitur si sunt sine colliquatione, & criticæ fiant, sinendum: at si imperfecte natura mouet, adiuuanda, vel clisteribus lenibus, attemperantibus: uel aliquo leui farmaco. verum si plusquam decet uacuatio fiat, & uires debilitentur, ad astringentia ueniendum, quale decoctum est ex nespilis, aut sorbis, aut mirti bacis. vbi vero symptomatice ueniunt excrementa biliosa, nõ debemus, neque prouocare, neque astringere, sed attemperantibus vti; & in cibis & in medicamentis; vbi a nimio ardore, vel humoris, uel uentris, propter adustionem, conducit extergere, attemperare, & postea astringere; ita enim per ordinem procedendum;

nam

nam quæ aluum ſiſtunt non ſunt aſtringẽtia ſemper, ſed attemperantia, & obtundentia humorum acredinem; quę dantur nõ modo vbi bilioſa acria, ſed colliquationes excernantur 4. acut. 41. vbi in colliquante fluxu, ſorbitiones frigidiores, ac craſſiores exhibendas eſſe dicit, ac uinoſiores, magis quam aſtringentes. ideo Gal. Dioſcoridem repræhendit, quod putarit omnia quę aluum ſiſtunt, debere eſſe aſtringentia; ſiquidem in dyſenteria, tragi ſuccum infundimus, & roſaceum ceratum, & adipem hircinum ad temperandum. quando uero ob malignam febrem colliquantur partes, & per aluum excernuntur, aut pinguia, aut fętida admodum, aut bilioſa, ſincera, ſpumoſa, numquam mouenda aluus eſt; ſed incraſſantibus frigidis, aut ſiccis remedijs vtendum: in quem uſum, aquæ quædam thermales, quæ frigidę & ſiccę ſunt, in potu conueniunt; quarum bis in die vnc. VI. aſſumendæ: & ſi in ea alimenta coquantur, ac per cliſteres infundantur, talis eſt aqua uillę lucentis, uel alia acidula ex albulis, uel arte paranda; vt ex terra ſigillata, qualis eſt aqua bolli Sereniſſimi Magni Ducis. Gal. præbet potionem frigidæ; ſed de quantitate diſtinguendum; vbi enim febris ualida eſt, & vires ualeant, & coctionis ſigna apparent, dari poteſt in multa copia; ſin minus paulatim & per interualla: qua de re 10. metho. vltimo, purgantia medicamenta in hoc affectu numquam conueniunt, ſed cliſteres attemperantes ex illis aquis ferreis, aut chalibeatis; uel hordei chalibeati, cum ſucco plantaginis roſaceo in cliſteribus; ceratum Gal. in omphacino oleo, cum hyrcino adipe liquefactis; quod etiam in diſenterijs a principio optimum cenſetur.

De febre cum variolis, & morbillis.

SIcuti ſyncopalis febris inter malignas iure connumeratur, ita illa quæ cum uariolis, & morbillis iungitur, ad eos referri debet, cum fere ab aëre dependeat, & contagioſa ſit grauis, & acuta & aliquando tanquam peſtis interficiat, & graſſetur; hęc eſt febris de genere continuarum ex putredine ſanguinis exorta: quare ſinocha putrida dici debet: ſigna uero ſunt ardor ſtatim prima die ingens ualde; faciei tumor & rubor; narium pruritus; temporum ſaltus; difficultas reſpirationis; raucedo; tuſſis; pulſus magnus, celer, & frequens; vrina turbida, rubra;

punctiones per totum corpus; dorsi dolor, lacrimæ inuoluntariæ; somnolentia; delirium; alui fluxus. uariolæ & morbilli, inter post apparentia signa connumerantur; nam a quarta die vsque ad 7. erumpunt pustulæ quædam, ac tubercula parua, per vniuersam cutim; quarum quędam sunt latiora, & uariolæ dicuntur; vulgo, uaiolo; alia uero sublimiora, & dicuntur morbilli, vulgariter, rosolia; hæc ex crassiore sanguine magis fiunt; illa vero ex bilioso: apparent autem diuersorum colorum; aliquando rubræ, albæ, flauæ, virides, liuidę, nigræ; aliquando in tanta copia, ut vix aliquid cutis appareat; & non solum extra; sed nonnumquam intus in ore, & faucibus, gula, aspera arteria; & cũ malum sęuum est, etiam in visceribus: sunt autem (vt antea diximus) efflorescentię in cute cum febre continua, quæ propria signa malignitatis censentur, ut diximus ante. græci omnem efflorescentiam in cute, cuiuscumq; generis sit, nomine exantematum significant; nec solum pustulæ, sed maculæ, colores, tubercula, bubones, carbunculi exantemata dicuntur; quia hoc nomen, eruptionem significat, & quæ in cute erumpunt uocantur omnia exantemata: sic & variolæ, & morbilli, eo nomine significantur: item maculę pulicum morsibus similes, exantemata sunt: denique scabies, & quidquid in cute apparet: & hæc exantemata, uel sunt sine ulcere, ut in maculis; uel cum vlceribus, ut in variolis, morbillis, & in scabie. moderni nomen exantematis ad paruas maculas erumpentes traxere.

De causa uero huius morbi, non parua est controuersia: præterea num morbus nouus sit, uel antiquus, & temporibus Hipp. notus, duæ sunt opiniones; prima est arabum, & nonnullorum ex nostris hominibus, qui tenent causam huius mali esse inquinamẽtum sanguinis mestrui, quod in partibus corporis relinquitur, deinde temporis spacio, data aliqua occasione, irruere, & offendere nostram naturam; & sic sanguini communicari, & tunc per ebulitionem quandam, & feruorem depurari; & quia materia crassa est, ad cutim transmittitur, per abscessum: nam sanguis menstruus quo nutritur infans, licet sit expurgatus, & purus, non potuit tamen effugere coluuiem humorum, qui cum eo ad vterum uenit ad expurgandum corpus; & sic calor quidam extraneus remanet in partibus, qui processu temporis sanguinem inficit. addunt quod nullus fere sit qui effugere possit hoc malum, quasi con-

naturale;

naturale; nec aër potest esse causa illius; siquidem in omni mũdi parte, omni tempore, fiunt uariolę, & morbilli: nec potuit esse morbus nouus, & propagatus per generationem; ut fit in gallico morbo, podagra, & phtisi, quia illi sunt morbi facti, & qui communicari poßunt; non febris acutę & malignę, quæ, in fieri, esse dicuntur; nec hereditarij, possunt eße, sicuti neque bubones, aut carbones: quare antiquum esse morbum aiunt; siquidẽ Hipp. illius mentionem facit 6. epid. sectio. 6. in Simone quodam qui latas habebat pustulas; & 6. aph. 9. latas pustulas non valde pruriginosas dixit. quare concludunt hunc morbum, antiquis, & patribus nostris, fuisse notum, & ab ea causa ortum duxiße.

Contra tamen; causa huius mali, iure merito, non ad sanguinem menstruum referenda uidetur; siquidem nouus morbus est; at si ex natiuitate eßet, ab initio mundi fuisset, aut saltem ita frequenter tunc, ut nunc solet esse: at licet antiqui, aliquam de his pustulis mentionem fecisse uisi sint; ea certe exigua est, & dubia, ut certum sit, uix illis temporibus fuiße talem morbum; negligentissimi certe habendi essent, si tam ingens, commune, & frequens malum, ita lotis manibus silentio inuoluissent: & cum sit morbus puerilis, Hipp. eos numerasset inter ætates 3. aph. vbi diligentissime puerorum morbos connumerat; & tamen nullam huius mali mentionem fecit: sed illud satis demonstrat, hunc morbum nouum esse; quod in multis mundi partibus, nusquam uisus fuit; vt apud indos occidentales, vbi numquam apparuit, nisi post quam Hispani eo peruenere; siquidem per contagionem ętiopis cuiusdam illuc delati magnam indorum partem sustulit: at si ab inquinatione mẽstrui sanguinis morbus oritur, illic quoq; fuißet communis; quod cum non ita sit, necessario fateamur oportet, causam huius mali non eße impuritatem menstrui sanguinis: adde naturam in nobis mancam & damnandam, si semina morbi, ab vtero contrahuntur; quæ omnia perfectissime facit; qua ratione nobis certe persuadetur, & concluditur necessario; morbum hunc nouum esse, & ortum habuisse ex aliqua mala cęli cõstitutione, & aëris uitio, siquidem vt plurimum est epidemius, raro sporades; ex cęlo uero, & aëris constitutione, noui morbi plerumq; fiunt; qua ratione dicendum, quod morbus gallicus ortus sit; inde communicatus; aquo etiam febres illas cum peticulis natas esse certum est: ideo hanc opinionem, ut probabiliorẽ

confirmo;

confirmo; morbum eße nouum, & a mala cęli constitutione ortum. pręterea posse etiam fieri sporadem, ex mala ratione uictus; non quod talis affectio communicetur per hereditatem filijs eorũ, qui affecti fuere; sicuti enim praua quędam constitutio cæli, præcipue humida, & autumnalis, hunc morbum parit; ita & mala victus ratio idem efficere poterit; nam maligni morbi, & a cælo fiunt, & dicuntur sporades: sic uariolę, & morbilli, ab utroq; fiunt; nec uerum est omnes mortales hunc pati morbum, multi enim sine illo vixere. sed contra hęc, aliqua difficultatem faciunt: & primo, cur hic morbus sit puerilis, & pueros præsertim afficiat; raro longęuos? nulla enim uidetur ratio, cur ita contingat. secundo, febris hęc dicitur de natura synochæ; at synocha non fit nisi in habitu corporis carnoso, sanguineo, ex multa sanguinis copia in adolescentibus 9. meth. at talis non est habitus puerorum; nec multa sanguinis copia in illis continetur. tertio, hæc febris de tertio in tertium accessiones habet; igitur non potest eße synocha, sed potius erit ardens exquisita. quarto quõmodo in hac febre semper fiunt crises per abscessus, numquam autem per euacuationem? quinto causa reddenda est, cur in hac febre symptomata prædicta appareant? ad primam dicimus, quod cum hæc febris fiat per ebulitionem, & putredinem; ideo in ea ætate præcipue fiet, qua maior est obstructio, & calor etiam maior; talis est ætas puerilis. a 3. anno ad 7. vel 12. in quo tempore calor non ita sepultus est, vt prius; quia corpus ante illud tempus multa humiditate obruitur, sed iam effunditur: minor quoq; in puellis vasorum est cauitas, multa angustia; vnde putredo, & feruor maior. adde quod cum per abscessum iudicetur ad cutim, & pori in pueris sint densi magis, proinde potius in ea ætate contingit hoc malum, raro etiam in infantia; præcipue ad 2. annum; quia calor adhuc sopitus est, & suffocatus a copia humoris. ad secundum dicimus, quod duplex est sinocha; quædam fit ex calore, & copia sanguinis; alia uero a feruore simul, & putredine; primo modo, non fit nisi in adolescentibus carnosis boni habitus; secundo modo fit in pueris: nam sicuti uinum tunc ebulitionem facit, quando est nouum, & mustum; ita puerorũ sanguis magis feruet in ea ætate; siquidem in his maior est angustia uasorum, & calor ualidus, copia sanguinis multa, pro ratione sui corporis.

Ad

Ad tertium dic, quod febris synocha, præcipue quæ fit ab inflammationibus solet exacerbari de 3. in 3. sicuti hæc de qua agimus ex ebulitione sanguinis; quia febris sanguinea, vt docet Gal. 2. de differentijs febrium 11. reducitur ad biliosam; sanguis enim cum putret, bilescit; non quod sit uere biliosa, differt enim a biliosa, & calore, & symptomatum uehementia, & ob diuersam materiam; ideo quamuis febris a sanguine, faciat quartum genus diuersum ab alijs humoribus; Gal. tamen eam reducit ad biliosas; ob dictam rationem. notandum hic velim, quod duplex est putredo sanguinis, altera in qua ipse sanguis vere putrescit, quod non fit nisi in febre maligna, & pestilenti; altera in qua non putrescit sanguis, sed ichor illius; & sic fit synocha putrida, quę reducitur ad biliosam. hic nota, quod habent humores omnes, tres substantias; vnam subtilem, quæ ichor dicitur; aliam crassam, & terrenam; tertiam denique vere talem: sic sanguis habet suum ichorem, habet crassiorem partem, habet mediocrem: rursus ichor, uel est massæ sanguineę, idest quatuor humorũ; uel proprie sanguinis; hic non accendit febrem, sed ichor massę sanguineę, qui acris est, & mordax; & vbi putrescit, febrem facit synocham, quæ ad biliosã refertur: quia ichor de bilis natura participat, & ex putrefacto ichore accenditur in sanguine febris, & sanguis nõ dicitur tunc uere putridus, sicuti in malignis; in quibus in se putrescit. & cum ut dixi, habeat sanguis tres partes ichorosam fæcalem, & mediam; cum accenditur, prima fit febris sanguinis, quæ ad biliosam refertur; cum tertia melancholica & hoc est, quod dicit Gal. ex putredine sanguinis fieri bilem, & melancholiam; at si tertia pars calefiat, & putreat; tunc fiet synocha uera. ad tertium dic, quod licet hæc febris uariolarum, ex acerbetur de tertio in tertium, non id certe dicitur uere biliosa, seu ardens; sed synocha potius; quia cum ichor putreat, bilis naturam adepiscitur.

De quarto, cur fiant in his febribus crises per abscessum, non per vacuationem; in causa est ebulitio sanguinis, eius multitudo, crassities humorum, pororum densitas, ac proprietas mala. & hoc est valde improbandum in hac febre; quia melius est iudicium fieri per euacuationem; nam quod fit per absceßum semper est laboriosum, & aliquod membrum afficit, & longitudinem morbi comitatur.

De

De causis uero symptomatum apparentium in hac febre, nunc dicamus; cum enim fiat per ebulitionem, ardens ualde, atq; calida statim a principio est; quod alijs febribus non contingit: ideo effumant humores ad caput, liquatur pituita, inde descendit ad pulmones: hinc difficultas, anhelitus, raucedo, tussis eos habent, auget difficultatem respirationis; ardor magnus; narium pruritus adest; & punctiones per totum corpus; ob acres uapores; & in naribus, ob salsam pituitam defluentem; temporum saltus, ob inflammationem; & ob eandem vaporum eleuationem; somnolentia, delirium, inquietudo, dorsi dolor, ob sanguinem inflammatum, & multum in uena caua, & arteria magna, quæ per ea loca uergunt, aluus liquida redditur; ut fiant & diarrheæ, & disenteriæ; ob acres humores, & corruptos ad illa loca uergentes; licet non semper id accidat. Quo ad prognosticum, fere solet hic morbus esse salutaris; signa sunt si appareant uariolæ, seu morbilli, a quarta vsque ad septimam diem, & ad illorum apparitionem febris sedetur; si sunt rubræ colore, uel albæ pustulę; si non in magna copia, nec parua; si non retrocedant, absit diarrhea, aut disenteria; si pustulæ maturauerint. at contra si cum exeunt pauca, aut in magna quantitate; si colore sint flauo, liuido, nigro; si retrocedant; si ad exitum febris non minuitur; si communicatur affectio partibus infernis; si cum uomitu frequenti incipiat in ætate adulta; tunc lętalis eße solet: aliquando ad malos & pessimos absceßus terminatur, per quos membra corrumpuntur, & cadunt: & ad oculos plerumq; morbus firmatur; & cæcitatem miserabilem inducit. magna huius mali elucet spes, si illico in prima die, uel secunda occurramus; & præcauentes malum, sanguis mittatur. at si pręgnantes mulieres hoc morbo corripiuntur, fere abortiunt, & raro euadunt; & etiam magis periculosus si in adulta ætate fiat, & si cum frequenti uomitu incipiat, ut dixi, solet esse lętalis. Sed queres hic merito, cur exantemata, quæ, peticulæ, dicuntur, sint longe peiora, quam uariolę & morbilli? nam ad illorum exitum febres augentur, sed ad horum eruptionem sedari solent. causa duplex educitur, altera quod hic morbus statim uiget a principio; ideo iudicationes habet meliores quam alij maligni, in quibus morbus suum decurrit tempus. secunda quia hæc putredo, non est adeo maligna, vt illa. potest addi tertia ratio, quoniam abscessus hi, pro ratione

sunt,

ſunt, & iudicare melius poſſint morbum, quam maculæ illæ paruæ, in quibus vix aliquid materiæ educitur; hæc de euentu. de tempore vero dic quod intra 14. dies iudicantur; vt plurimum intra ſeptimum: Gal. illud adnotat primo epide. ęgro primo, in philiſco: quod vbi in acutis, tertia, & quarta dies, male habent, & ualida ſymptomata vrgent, morbus iudicabitur citiſſime ad ſeptimam, vel nonam diem.

De curatione.

VIres quæ ſunt ſecundum naturam, conſeruationem poſtulant: cauſa antecedens, ſcilicet plenitudo ſanguinis vacuationem indicat; febris refrigerationem; partes nobiles deffenſionem, ne a natura opprimantur, motus naturæ adiuuandus; & tertio alexifarmacis contra malignitatem pugnandum; deniq; ſymptomatis occurrendum, ſi grauia apparent; puſtulæ quoque requirunt maturationem, reſolutionem, uel ſenſilem vacuationē; & turpitudo, quæ a cicatricibus ſolet in facie remanere, corrigenda quantum licet; præſertim in mulieribus. cum vero primum locum obtineat vacuatio, & hæc fieri poſſit per ſanguinis miſſionem, & purgationem; ſciendum in hac febre non conuenire purgationem vllo pacto, præſertim a principio: primo quia periculum eſt, ne alui fluxus malignus concitetur, qui in ea ſolet eſſe perniciosſus & lætalis; ſecundo ne natura impediatur a ſuo motu, qui eſt ad partes externas & cutim, per abſceſſum, uacuando materiam: tertio quia cum febris ſit de natura ſynochæ a ſanguine progenita, proprie indicatur ſanguinis miſſio, non autē purgatio; ideo laudo vt vſq; ad quartam diem, vt nec medicamento leni, nec cliſteri, aluus prouocetur; ne ea irritatione facta fluxus concitetur: nec id lędere poteſt; ſiquidem tota materia ad cutim deponitur: ideo quamuis ſiccetur aluus per quatuor, uel plures dies, nihil incommodi eſt, nec debet medicus mouere aluum, niſi glande. quidam purgandum eſſe uolunt etiam a principio, ſed leni aliquo medicamento; quale eſt caſſia, uel manna, aut ſyrupus roſatus; uel aliquo leni cliſtere; ſed tutius eſt abſtinere ob cauſas, quas diximus. alij in declinatione purgandum uolunt; quod non eſt probandum abſolute; ſiquidem ſi natura recte iudicauit morbum, non eſt quod aliquid moliamur, ex ſententia ſenis

primo aph. 20. cognoſcimus autem recte iudicatum morbum; ſi vrinæ, & alui excrementa appareant pura, & ſecundum naturam, 2. aphor. 15. vbi ait ſi fauces ægrotant, & puſtularũ eruptiones oriuntur in corpore, excrementa expectare oportet; nam ſi biliosa fuerint, una corpus ægrotat; ſi ſanorum excrementis ſimilia, tuto corpus alere poteris: at ſi excrementa impura fuerint, poſtea quam puſtulæ apparuere, & declinauit febris; tunc aliquo medicamento purgandum corpus eſt; dũmodo non ſit infans vnius anni, & lactans; tunc enim purgando nutricem, & ea die lacte exhibito purgabitur infanti vltra ſecundum annum, aliquid per os exhiberi poteſt, pro ratione ætatis, & uirium: at ſanguinis miſſio illa eſt, quę præſertim generoſum, & ſingulare eſt auxilium in hoc malo, ſi debito tempore fiat, quantitate, & loco conuenienti; nam eſt remedium euacuans proprie cauſam morbi, & deobſtruens, atq; uentilans, & refrigerans, quantitas pro ratione virium demenda: vtrum uero ex vena mitti debeat, dubitationem habet; ſiquidem Gal. libro de ſectione uenę, & alibi; non eſſe ſecandam uenam docet, niſi 14. annum tranſierint; imo eo tempore requirit uires robuſtas: quare cum in adultis talis morbus appareat, ſecanda illico uena eſt: at in pueris, uel ſanguis mittendus non eſt, vel non per ſectionem venæ. cui reſpondemus, quod ſi qui variolis afficitur, ſit duorum, trium, aut quatuor annorum, cum morbus magnus fuerit, tunc per hirudines, aut cucurbitulas, ſcarificando crura, ſanguinem mittemus; at ſi tranſierit quartum annum, ad ſeptimum, & nonum, vel decimum; vbi graui hoc malo afficitur; debet a vena mitti ſanguis; ſed nõ ſunt excedendæ vnc. quatuor ob mollitiem carnis; at ſi debiliores fuerint, his etiam, uel ſcarificando crura, uel per hirudines ano applicitas, ſanguis mittendus. ſi puer ſit vnius anni, vix aliquã miſſionem ſanguinis tollerabit: at in hac ætate raro admodum fit hic morbus; & his quoq; cucurbitulæ cruribus apponendæ ſcarificatę ſi fieri poteſt, ad duas vnc. aut hirudines applicandę uenę iecorarię. quod vero adducitur ex Gal., ait loqui illum, de magna ſectione venę, qua antiqui vti erant ſoliti; ad libram ſaltem, vel Cotilam; hæc pueris. non conuenit niſi poſt decimum quartum annum, ſi vires valent, & morbus grauis ſit, & habitus denſus pro ratione virium. hic non poſſum non deteſtare quorundam medicorũ apud Luſitanos, & Hiſpanos audaciam, ne dicam

cam

eam temeritatem; qui puerulis quatuor, aut ſex menſium uenā in brachio ſecant; & adeo ſunt in ſecanda vena ſeduli, & diligentes; vt nullam diem ſine ea tranſeant; atq; id indifferenter; vix conſiderantes, an pueri ſint, vel ſenes; debiles, an imbecilles; quale anni tempus, aut morbi; & quæ natura ægri; vnam ſolum, vel minimam indicationem preferentes omnibus alijs; quod regio Hiſpana largas ferat ſanguinis miſſiones; atq; id non modo in acutis febribus, ſed in intermittentibus omnibus faciunt: ſed iſti longe magis profecto peccant, quam Eraſiſtratus, qui in nullo morbo admittebat ſanguinis miſſionem; vnde ſanguifrigum eum aliquando Gal. appellat; hi vero vires proſternendo, ac debilitando ęgros, quotidie, ſanguinem larga quantitate, quo uis morbi tempore mittentes, in altero longe grauiore exceſſu conſiſtunt; quos ſanguinis ſitibundos, & auidiſſimos recte appellabimus, ac humani generis hoſtes: nec eſt quod ſe excuſent, quod regio illa largas, & frequentes ferat ſanguinis miſſiones; hæc enim minima eſt omnium iudicatio; nec tanti facienda, vt alijs præponatur: audiant Galenum 11. meth. 14. qui de putridis febribus loquens, non eſſe mittendum ſanguinem, ait, ſi vires ſint imbecilles; ſi cruditas adſit; ſi puer fuerit; ſi ęger ſit habitu laxo, molli pingui; ſi tempus & regio æſtuoſa fuerint: & licet hæc nō adſint, ſanguis ſi mittendus eſt; id ſemel, aut bis faciendum monet, & a principio per hæc verba; verum quia nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſſionem poteſt; reponi ſanguinis aliquid ad curationis ſpacium debebit: quo minus intempeſtiue nutrire, neceſſitate vlla cogamur: hęc Gal. per quę ſatis arguitur quantum errant illi, qui eas vacuationes indifferenter quotidie tentant. tempus uero oportunum educendi ſanguinis in hoc morbo, triplex ſe offert; alterum ſtatim prima die, vel ſecūda, antequam variolæ vel morbilli erumpant: ſecundum quando tarde medicus accedit, iam erumpentibus puſtulis: tertium quando poſt eruptionem puſtularum, quando febris ſedata videtur, & rurſus inſurgit malum: quorum temporum primum illud ab initio morbi oportuniſſimum eſt mittendi ſanguinis, nulla interpoſita mora, & in qua uis hora id faciendum; ita enim leuata natura ab eo, quod veluti farcina præmebatur, melius iudicabit morbum & uitrix euadet. ſecanda ergo vena eſt, uel cruribus affigendæ cucurbitulę ſcarificando, vel denique apoſitis ano

aut brachijs hirudinibus, pro ut magis ex re esse videbitur. at etiam secundo tempore, tertia aut quarta die, in apparitione pustularum, si accedat medicus, vbi multitudo materiæ, ac plettora euidens est, & non facile uariolæ exeunt; si prius non fuit data occasio mittendi sanguinis, tunc mitti debet; siquidem ex hac uacuatione vigorata natura, melius transmittet humores ad cutim. de tertio tempore mittendi sanguinis, distinguendum est; nam si post pustularum apparitionem febris sedatur, & rursus insurgit; considerandum est; num id eueniat ex suppuratione variolarũ; quia dum fit pus, dolores ac febres exacerbantur 2. aphor. 47. quod etiam confirmabitur, si purę sunt vrinæ, & alui excrementa; & tunc nulla ratione mittendus sanguis est. at si febris post apparitionem variolarum rursus exacerbetur; quia imperfecte natura iudicauit, & reliquiæ intus remanserunt, quod etiam ex impuritate vrinæ, & excrementorum colligitur; & quia pustulæ non multum, nec commode se manifestauerint, tunc etiam sanguinem mittere licet; hæc de vacuatione.

Sed antequam ad alia procedamus; victus instituendus est humidus, ac frigidus; cum quo æger ad morbi vigorem possit perdurare; atq; ille sit statim valde tenuis; quia morbus peracutus est, & maxime a principio viget; & vsque ad diem quartam, vel septimam iudicatur, tenuis, multo magis in adultis, quam in pueris: & si lactans fuerit puer, (raro enim intra secundũ annum hic morbus corripit) lacte nutriendus; cocleare intra os immittendo, uel iure pulli alterato; si iam cibo est aßuetus succo ptissanæ liquidiore. at si puer iam sit quatuor annorum, ptissanæ succo, vel loto pane in iure pulli cocto, & trito, in pauca quãtitate; cucurbita, & lactuca in eodem iure cocta maxime conueniunt. fugienda dulcia, & vnctuosa; cum enim morbus (vt dixi) primis quatuor diebus, & vt plurimum intra septimam diem iudicetur; tenuis valde victus conuenit: & in adultis longe tenuior; sed in his ad 14. peruenitur, quibus idem alimentum dandum, ptissanę succus cum acetoso syrupo conditus, lotus panis, & iure pulli coctus. a carnibus in totum abstinendum; nisi ob debilitatem aquam carnis, multa aqua dilutam exhibere velimus. pro potu aqua hordei. a vino tanquam a peste abstinendum: & qui illud a principio concedunt, ægros interficiunt; decepti quod prouocet expulsionem; cum tamen febres accendat,

fluxio-

fluxiones, deliria, capitis grauitatem huic morbo propria augeat: quare vt venenum fugiendum est; nam si vinum pueris etiam sanis negant Hipp. *&* Gal. *quanto magis illis negandum est, qui maligna febre, & acuta laborant cum raptu humorum ad caput? nec decipiamini eoquod dicant per vinum adiuuari expulsionem omnem, & motum variolarum ad cutim; cum id facere possit, & longe melius, & sine nocumento aqua hordei; cui addi potest succus granatorum; vel syrupus acetosus; aut de acido citri, vel limonis succus, quæ pariter malignitati humorum resistunt, & febri repugnant; ardorem extingunt in partibus internis: aqua enim hordei, & rifrigerandi, & aperiendi uim habent: acetosa roborant viscera, & expulsionem iuuant post apparitionem variolarum, & sedata febre; tunc plenior victus cõuenit; quo casu pisces saxatiles, ex albo iure cocti, maxime conueniunt; ita tota ptißana in iure pulli cocta; alæ, & coxæ pullorum, & eorum testiculi, palearia, pedes, & minutalia.*

Post vacuationem, & recte institutam victus rationem, expectandus est naturę motus ad cutim, & variolarum eruptio; prohibendo ne refrigeretur cutis ab externo aëre; ita enim impediretur motus humorum. quod vero faciunt aliqui onerando corpora puerorum pannis, non probo; quia augent febrem, & anxietudinem, & suffucant illos: ideo sit leue operculum; ita tamen vt non patiatur frigus, & sit aër talami mediocriter temperatus: solent rubris operculis puerulos tegere, vt ea ratione sanguis extra magis ueniat: atq; sic, neque aliud faciendum ad auxilium naturæ recte iudicantis. quod si difficile exeant variolæ, & morbilli; tunc potest medicus adiuuare hunc motum ab extra aëre tepidiore; maiori tegumento; aliqua vnctione rarefaciente; ex oleo camomelino, aut anetino, facta in vino albo ebulitione; ad ipsius scilicet vini consumptionem: frictiones quoq; ad eas partes in quibus non sunt variolæ, aut morbilli; fotus per spongiam ex aqua tepida, quoq; maxime euocat uariolas: intus vero, vbi adiuuandus est naturæ motus; solent exhiberi decocta ex caricis, vel vuis passulis, aut capillorum veneris, vel liquiritię; quidam ius lentium adhibent in hanc intentionem: quia roborando adiuuant expulsionem; sed ius secundum, non primũ, Brudus *in hanc intentionem laudat; salitos pisces, vt puta sardas, quas acciugas dicimus; uel aliorum saxatilium esum; quia*

uim

uim habent magnam contra putredinem, & ad cutim humores transmittendi; attenuant enim illos, & ebulitionem adiuuant: sed quia siticulosi sunt, & febrem accendunt; ideo prius macerandi sunt in succo acetosę; ita enim minus offendunt: puto tamen esse fugiendos ubi febris uiget; nec omnibus naturis conuenire; sed frigidioribus: illi tamen magis conuenire uidentur vbi pustulæ sunt in partibus internis; quia eas rumpunt, saniem purgant, exiccant. malignitatem febris oppugnabimus sic, si frigida sicca, quę illam extinguunt exhibeamus; qualis est conserua ex succo citri & limonis, syrupi eorundem succorum, de succo acetosę, succus granatorum, & visciolarum depuratus: quin imo & visciulę, & amarenæ saccharo conditæ, lapis betzoar, rasura corni rinocerotis, eburis, cartilaginis, de corde cerui, aqua in qua maduerit unicorniũ, electarium hiacinthinum, diamargariton frigidum, aqua & conserua scorsoneræ Hispanicæ, puluis perlarum, coralorum, bolli armeni, semina citri; quę & alimentis, & potionibus misceantur; & in aqua limonum distillatitia exhibeantur cum acetoso syrupo.

Nunc ueniendum est ad defensionem partium internarum, & externarum; quas maxime offendunt uariolę, & morbilli; in externis sunt oculi, nares, aures, & si quę alia pars, ex multitudine, & malignitate uariolarum fœdetur: internarum partiũ os, fauces, gula, aspera arteria, uentriculus, pulmo, intestina, deffendi debent, ne uariolis occupentur; & quod pertinet ad oculos, qui per hos morbos uehementer lædi solent; adeo vt ulcerentur, claudantur, & cæci remaneant aliquando infelices ægri. igitur ea in primis adhibere oportet quę leniant, refrigerent, & mediocriter astringant Gal. 4. per loca lenientes liquores oculis accommodatos, dicit esse lac, & oui album; cum quibus astringentia leniter miscentur, ut succus rosarum, crocus, acacia; hæc cum lacte, uel oui albo miscenda: lac quoq; chalybeatum præstans est remedium, quæ oculis per gosypium instillanda: aqua quoq; rosacea cum oui albo conquassata in eumdem vsum facit: quod si ulcerentur oculi adhibenda sunt abstergentia, cum anodinis commixta ex sententia Gal. qualis est aqua hordacea cum tutia præparata; colirium de thure ex lacte, fenugreci decoctũ cum syrupo rosato. cauendũ mirifice est ne pueri marcinibus scalpãt oculos, uel nares, uel aliã corporis partem; quia hoc perniciosũ ualde est.

Quo ad nares, ne pustulas recipiant prouidendum est, attrahendo ea quę leuiter astringunt; cuiusmodi est aqua rosacea, cum succo puligonis, aut plantaginis: quod si ulcerentur, & pustulæ fiant in illis, exiccandę leuiter, sine morsu, aleo cotoneorum, cum tutia, uel aqua aluminis, aut eiusdem decocto, cum rosis, & hordeo.

Os autem & fauces summa cura deffendi debent, ne pustulis afficiantur; in quem vsum gargarismus fiet ex diamorone, cui omphacium Gal. addit, & aquam plantaginis, uel ex succo granatorum, uel succo nucum; ex quibus cum melle cocto diaarcon, uel diacareon Gal. facit: tenenda quoq; in ore malorum acidorũ grana. at si vlcerentur os, & fauces, Gal. in melle coquit succũ rubi, aut mali punici, uel nucum uiridum, aut prunorum, uel coteneorum, & vtitur: quod si vlcera sint mali moris, mel rosaceum cum alumine apponit. si pustulæ ad gulam fiant, uel asperam arteriam, iulapium rosaceum paulatim lambendum, cum puluere rosarum rubrarum. ne aures vlcerentur, etiam procurandum est; illinendo meatus, & totas aures, oleo rosaceo, omphacino; & si ulcerentur, & pluriant, aqua minerali ferrea, uel multoties chalybeata foueantur. at si multitudo pustularum aliquã partem externam occupet; adeoq; afficiat, ut periculum sit ne corrumpatur; tunc adapertis uariolis aurea acu, uel si putredo vrget scarificando lauetur, cum muria, uel lupinorum decocto, & applicentur quæ siccandi uim habent, ut ex farinis emplastrum, aliaq; pro intentione mali.

Quo ad pustulas procurandum est ut suppurentur, & suppuratæ resoluantur; pro quibus intentionibus fotus laudantur ex aqua cui camomelum, malua, radices alteæ, lini semen, & fænogrecum sint incocta; & per spongiam leuem fouendo; ita maturabuntur, & maturatæ per halitum resoluentur. quod si aliquæ pertinaces persistant, nec dissoluantur, acu aurea perforandę, deinde fouendæ aqua aluminis: fugere tamen quantum fieri potest oportet pustularum, perforationem; quod si aliquando id facere cogamur non omnes simul sunt perforandę, ne calor innatus dissoluatur, sed aliquę per interualla. ut uero exiccentur pustulę, inspergendi sunt pulueres coralorum, lytargirij; aut farina hordei, fabarum, cum decocto lupinorum. Cæterum ne turpitudo ex cicatricibus remaneant in facie, prę sertim fœminarum; inunctio

ctio fiat oleo de uitellis ouorum, cum alumine in puluerem redacto. lytargirij quoq; puluis, & plumbi vsti; atq; eloti cũ adipe gallinaceo, inungendæ: balsumum etiam quod ex occidentali india defertur inunctum cicatrices delet; fabacea quoq; hordei & lupinorum; farina cum mulsa abstergendi uim habent, & cicatrices tollendi, sicuti & ptißana ipsa ob abstergendi uim.

Quod si alui fluxus acris ac mordax, uel disenteria adsit, per quam sanies mala educitur; clisteribus vtendum, primo attemperantibus, & abstergentibus, ex iure gallinaceo, cum oleo rosaceo, omphacino; in quo adeps hyrci, aut ceratum Galeni, refrigerans sit liquefactum; addendo etiam succum plantaginis; ex lacte quoq; chalibeato conficiantur: deinde astringentibus vtendum ex decocto lentium, rosarum, mirti, addendo succum plantaginis, mastichinum oleum, mirtinum, aut lentiscinum.

De febre hectica.

Hectica febris, græce dicitur habitualis; & quia occupat partes solidas, quæ ad corporis habitum pertinent; ad differentiam spiritus & humorum; & quoniam in habitu consistit, ac difficile remouetur a subiecto: sed prima conditio, semper reperitur in hectica febre; secunda uero non semper; quia a principio facile curatur: prima conditio separat hecticam a reliquis morbis qui diuturni sunt, & non facile reccedunt, qualis est quartana. est igitur hectica febris, intemperies calida, & sicca, in partibus cordis solidis; & quia est in solidis, ideo respectu aliarum febrium, quæ in spiritu, aut humoribus consistunt, dicitur esse in habitu, & difficulter mobilis; quia solida magis continent calorem, quam fluida, vt humores; & non permanentia, ut spiritus: solidas uero partes; hic non solum uere spermaticas intelligere oportet, sed etiam carnosas, & adipem; quæ ex sanguine gignuntur.

De differentijs hecticæ febris.

Febrium hecticarũ, alia est symplex, exquisita, & proprie talis; alia vero notha, & non simplex; exquisita est, quæ seruat propriam illius naturam, nec cum putrida habet communionem;

nionem; notha vero, quæ cum prima aliquam habet similitudinem; sed putridæ conditiones sortitur: rursus hecticę putridæ, quædam est pestilens, & maligna: quędam simpliciter putrida: hectica pestilens, & maligna dicitur, quando calor malignus cordis substantiam occupat, & absumit; putrida vero, quando calor putredinalis, non malignus, solidas partes inuadit. rursus febris hectica exquisita, uel est sola, uel alteri copulata; uel cum alijs iungitur, & præcipue cum putrida. rursus febris hectica, quædam a principio inuadit, alia uero post alias febres oritur. qua in re dubitat Argenterius; quia cum febris hæc sit habitualis, & difficile remoueatur, ut habitus; non potest dici talis, nisi longo tempore; & sic non dicetur hectica febris a principio. dic primo quod febris hectica non dicitur talis, quia sit habitualis semper; nam a principio est in dispositione; sed quia habitum corporis, hoc est partes solidas occupat. secundo respondeo, quod licet habitus sit qualitas, quę tempore longo acquiritur, tamen ratione causę, & subiecti dispositi, potest inuadere a principio; vt quando ab ęstu, aut ira, aut calido exercitio, corpus calidum & siccum occupat: sic uidemus pestilentem calorem sua malignitate tãtum posse, vt statim calidum cordis humorem exhauriat intra septimam diem. quarta hecticæ differentia sumitur a membro, in quo primo oritur; quædam enim a corde incipit; alia uero ex alia parte, ut pulmone, cerebro, uentriculo, iecore, liene, renibus, vtero; vt tot sint hecticæ febres, quot membra a quibus originem trahunt. quinta hecticæ differentia sumitur a tempore illius, qua ratione dicitur quædam esse in principio, alia in augmento, tertia in statu, qui sunt potius diuersi gradus hecticę, quam ueræ differẽtiæ; distinguuntur hæc tempora non dierum numero (vt Gal. asserit) sed qualitate dispositionis; penes maiorem, aut minorem corporis consumptionem, & accidentium uacationem. in vltima specie dicitur hæc febris marrasmus, cũ corpus adeo attenuatur, ut facies appareat hippocratica; nil aliud preterquam pellis, & ossa; in qua pulsus admodum debilis, & ualde durus visitur: in prima specie quando est in principio, vix extenuatur corpus; pulsus licet sit paruus, & celer, non tamen debilis, aut durus euidenter est; media species hecticæ iam habet euidentem corporis extenuationem, & pulsus duritiem manifestam, atq; debilitatem; quæ differentia multos gradus habet, pro

ut ad aliquod extremorum magis, aut minus accedit: primus hecticæ gradus facile curatur; tertius non admittit curationem; medius medio modo se habet; quanto enim magis ad vltimum gradum, uel minus accedit, ita facilius, aut difficilius curatur. distinguũtur etiã gradus hecticę a Gal., per diuersas species humidi partis solidæ; est enim quoddam roridum, quod partibus adhæret solidis; aliud carnosum, & adiposum; tertium solidum, & fibrosum. vbi consumitur rorida humiditas fit primus hecticę gradus; vbi caro, & adeps, secundus; at si fibrosum, & solidum humidum, tertius hecticæ gradus nascitur, in quo marrasmus consistit. has tres consumptiones declarat Gal. exemplo ellychnij, quod ardet in lucerna, in qua cum iam defficit oleum, consumitur primo humiditas, quæ irrigat corpus ellychnij; deinde oleum, quod in illius meatibus hæret; tertio proprium ipsius ellychnij, quod vbi carbo factum est, licet copiosum infundatur oleum, non potest amplius refici. sed contra hanc humiditatum distinctionem dubitare contingit; & in primis Arist. negocium facit, qui has secundas humiditates frustra poni a medicis affirmat; quia sanguis ille est, qui vltimum alimentum dicitur, & immediate partes alit, neque aliæ humiditates mediæ sunt necessariæ, quas secundas medici appellant. Secundo Argenterius Gal. inconstantiæ accusat, primo quod non sibi constet in numero humiditatum secundarũ; secundo quod distinguendo hecticæ gradus per has humiditates, uarius sit, & confusus; primum probat, quia 7. meth. quatuor ponit humiditates antecedentes nutritionem; prima dicitur humor in oris uenarum capilarium contentus; secunda ueluti ros partibus adhęrens; tertia est humiditas adiposa, & carnosa; & deniq; quarta, quę est propria partium similarium solida & fixa, quasi fibrosa: at alibi tres humiditates ponit, dum pars nutritur; apponitur, glutinatur & assimilatur. peccat etiam, quia primo de differentijs febrium, per maiorem, aut minorem consumptionem humidi roridi, solum distinguit gradus hecticæ; ut primus sit, quando humiditas cordis rorida efferuescit; secundus quando iam consumitur; tertius vbi consumpta est: at rursus primum gradum hecticæ distinguit, per absumptionem huius humoris roridi; secundum per consumptionem carnis, & adipis; tertium per consumptionem solidæ humiditatis: cum igitur Gal. non sibi constet, nec in numero secundarum humiditatum; neq; in di-

in distinctione gradus hecticæ, per illas, (ait Argenterius) confugiendum esse ad alia meliora, & magis distincta. quare statuit duas humiditates, quibus nostrum corpus scatet, altera quæ est aquosa alimentalis, quę partes ita agglutinat, ut non consumatur, etiam homine mortuo, nisi per putredinem; alteram oleosam, quę viuentium propria est, & in qua uita consistit, & per hanc distinguit gradus hecticæ tres prędictos; per maiorem aut minorem illius absumptionem: quam doctrinam appellat Argent. suauissimas fruges; quas si quis gustare nolit, & cum antiquis velit glandibus potius pasci, illis concedatur.

Quibus tamen non obstantibus, Gal. doctrina recipienda est; dari humiditates illas secundas antecedentes nutritionem; & numerum illarum bene determinasse, atq; distinxisse hecticę gradus: & primo quod dentur præter sanguinem istæ humiditates, probari facile potest. primo quia cum non solum caro, sed os, & partes solidę nutriantur; hę non ex sanguine immediatè, sed per multas transmutationes alterato, aluntur: secundo probatur ex ratione nutritionis; quia antequam sanguis fiat membrum, primo attrahitur, secundo opponitur, tertio agglutinatur, denique assimilatur. quod attrahitur, est prima humiditas in uenis capilaribus; quod apponitur, ros est; inde agglutinatur; & denique fit partis substantia. non ergo ut tenet Arist. sanguis est vltimum alimentum; sed dicitur vltimum respectu cibi, aut chili, non tamen absolute. ex quibus patet, quod numerus humiditatum, longe probabilior est, quam Argent. cum sit demonstratione comprobatus. falsum etiam est quod supponit, humidum aqueum elementorum, non disolui in uiuis, neque in mortuis, nisi post putrefactionem; siquidem licet post mortem in cadauere partes continuitatem seruēt, magna tamen pars humoris illius elementalis in hectica marrasmode consumpta est. quo uero ad numerum harū humiditatum, dico, quod non est inconueniens, aliquando plures ponere, aliquando pauciores; nam inter secundas humiditates, aliquando sanguinem in exiguis uasorum capilarium oris numerat, & sic quatuor facit; aliquando exclusa illa prima humiditate statuit tres, roridam, carnosam, & solidam; quia sanguis in capilaribus venis contentus, vere non reponitur inter humores primos: sed quia maxime accedit ad roridam humiditatem, ideo aliquando inter secundas numeratur. quod vero distinguat gra-

dus hecticę, aliquando per humidum roridum solum; aliquando per roridum carnosum, & solidum; non est id vitio ponendum; id enim fit lucidioris doctrinæ gratia, & quasi in exemplum: illud enim certum est, si quis rei naturam respiciat, omnes tres humores, scilicet roridum, carnosum, & solidum, in omni gradu hecticæ consumi; quia febris hectica omnes istos humores inuadit, cum simul sint in membris; sed quia prius exiccatur roridum, deinde carnosum, & adiposum, denique solidum; ideo distinguuntur gradus febris, quasi quod vnus humor post alterum exiccetur, & non simul omnes. notandum hic quod humiditates istę tres, silicet rorida, carnosa, & solida, non solum considerantur secundum Gal. in partibus sanguineis, vt in carne; sed etiam ad proportionem in spermaticis, ac uere solidis; vt in osse, in quo pars mollior dicitur ros, alia durior caro, durissima uero solida: primæ tres humiditates in carnosa parte, distinguit gradus hecticę; secundæ vero gradus marrasmi, & tabis.

De causis hecticæ febris.

CAusæ febris hecticæ, una est efficiens; altera uero ex parte subiecti, seu materiæ dispositæ: efficiens causa potest eße quæcũque calorẽ inducere potest; seu ad agẽda; seu assumenda excreta, atq; retenta; seu ad extrinsecus ambientia; particulatim uero motus validus, seu animi, seu corporis; extra uero calor solis, aut ignis; ex cibis, & potibus, quæ calefaciẽdi vim habẽt excreta prӕter rationem; vt in diarrhea, disenteria, aut colliquatione qua uis, & uacuatione nimia, quæ ad causas notas, & procatarticas referri poßunt; inter quas inedia in corpore bilioso, calido, & sicco, numeratur a Gal. vnde diatriarij, hæc corpora ad ardentes, uel hecticas, abstinentia cibi triduana deducebant. ad causas uero internas hecticæ febris referuntur febres ardentes, & pestilentes, quæ humidum cordis absumunt celeriter; item febris lenta vbi prorogatur; affectus item alicuius visceris hanc febrem inducit; qui, uel est inflammatio, uel ulcus, uel putredo alicuius humoris in eo contenti; uel denique ipsius membri corruptio; quę omnia lentam, ac symptomaticam hecticam facere solent: inflammatio, seu sine materia; tanquam partis flogosis, & efferuescentia; uel cum materia, præsertim vbi ignorantes medici cataplasmata calida

lida & humida, & relaxantia adhibent 11. meth.: neq; audiendus est Argenterius, qui negat posse hecticam febrem fieri ab inflammatione, aut erysipelate membri; quia plerumq; occidunt; tamen antequam occidant hecticam inducere possunt breui tempore; qualis est ventriculo, pulmone, cerebro, iecore, imo ex inflammatione septi transuersi aliquando semel hecticam vidisse affirmat Gal. febris quoque pestilens, cordis substantiam occupans, colliquans, consumens, ac tabe faciens repente illius solidũ humorem, hecticã parit. secundus affectus uisceris faciens hecticã, vlcus est; seu in internis seu externis partibus. ex pulmone ulcerato sępissime hectica nascatu: neque audiendus est Argenterius, qui nũquam a principio hecticam fieri posse affirmat nisi ab ulcere; id enim falsum est, quia ulcus ut puta pulmonis, non facit febrem hecticam, nisi longo tempore, sicuti febres longę & lentæ: præterea a principio fit hectica cum causa potens fuerit in corpore calido & sicco, initium capiens ab ephemera, & ex causone, atq; ex pestilenti, & maligna febre. tertius affectus hecticam faciens est putredo humoris, ex obstrinctione alicuius uisceris, aut abscessu aliquo frigido. quartus affectus est ipsius uisceris corruptio; quoties substantia propria illius putrescit, quod sæpe fit in pulmone, aliquando in iecore, in hominibus vinosis, & qui calidis multis vtuntur aromatibus; sanies enim quædam in iecore progignitur, qua illius substantia putresit: quam febrem Fernelius se aliquando uidisse affirmat, & signa illius esse dicit, quod uinũ auidissime cupiant, & carnes maximo odio prosequãtur; atq; hæ febres quę ex corruptione uisceris nascuntur, nullis remedijs cedunt, non purgationi, uenę sectioni, uel victui commode instituto, sed sensim hominem consumunt, & ad tabem deducunt: propterea magna cura examinandum in tali affectu, quod uiscus patiatur pertractando partes uentris inferni, in quibus præcipue sedem suam facit, quod etiam in alijs febribus cum affectibus faciendum est.

De signis.

INter signa hecticę febris, primum sumitur a calore qui ad tactum in omni hectica (nisi cum putrida fuerit iuncta) lenis est, & ęqualis; neque enim sentit ęger se febricitare; attamẽ

tan-

tangendo corpus, si persistat manus, aëris sentitur, est autem calor hecticæ lenis, & paruus, ac languidus; quia in profundo est, & spiritus in pauca quantitate; ideo etiam paucus calor innatus, neq; diffundi potest, quod accidit in pestilenti hectica, & in lypirijs; qui calor in arterijs per has febres euidentior est, & maior quam in reliquo corpore; quia fixus est in corde: quo signo hecticam cum putrida iunctam, se cognouisse affirmat Gal.. Cæterum hic calor etiam in pectore, & in partibus extremis, maior etiam sentitur, ęqualis tamen fere, & vniformis, sine vlla accessione in hectica simplici depræhenditur; nisi quando cibum assumunt, post cuius assumptionem per duas horas calor, & pulsus augentur; ita vt noua accessio esse videatur; quod proprium est, & inseparabile signum hecticæ febris, qua uis hora cibus ingeratur; ratio est, quia calor ille siccus ad alimenti viciniam augetur, & efferuescit; sicuti calx, cum aqua illi apponitur; nam post duas horas alimenti uapores, & partes illius tenuiores ad cor, & membra perueniunt. Auerroes huius accensionis putat esse causam inflammationem membrorum, & eorum calorem, qui accenditur & augetur ad uiciniam alimenti; vt flamma ad olei appositionem; & Galenum accusat, quod voluerit membra habere ad alimentum illam proportionem, quam habet calx ad aquam; non enim id bene dicitur: ait ille, quia calx aquæ contraria est; & membrum non est contrarium alimento. sed longe magis repræhensione dignus est Auerroes; primo quia quod Gal. ut exẽplo accomodato explicauit ad rei naturam transfert. Secundo quia calor hecticus, cum sit siccus admodum, & in parte solida, ad humidi accessionem augetur; sicuti ferrum ignitum aut ignis, si aqua non multa infundatur; non quia sit aqua ignis nutrimentum, sed augetur calor fugiens suum cõtrarium; & hac ratione cibus est contrarius calori sicco, aut extra cibum calor in hectica simplici non symptomatica paucus est; fere æqualis, sine accessione aliqua, uel inæqualitate, aut rigore: quę duo contingere poßunt in hectica symptomatica, quæ pendet ex affectu partis; vel vbi cum putrida coniuncta est ratione putridæ. at hic dubitari poßet ex Hipp. qui 2. prog. dixit tabidos ad noctem exacerbari; ita etiam & hectica quę tabis quædam species est, etiã sine cibo ad vesperam augebitur. secundo dixit idẽ autor. 2. epidemiorũ, nõ modo hecticam, sed omnem febrem ad vesperam exacerbari;

cerbari; ergo etiam hectica ita procedit;non ergo calor erit æqualis semper in ea, solum a cibo, sed extra. dic ad primum quod loquitur de hecticis symptomaticis, quę ex vlcere, aut alio affectu procedunt. vel dic quod licet etiam conueniat hecticæ simplici, id fit quia somnus, & nox calorem contrahunt, & quasi cibus augent. sed hæc exacerbatio non est in hectica simplici conspicua, aut euidens, sicuti cum cibum assumunt. ad secundum dic, quod Hipp. loquitur de partibus diei, quarum peior est vespertina; ideo eo tempore febres exacerbantur; intelligitur si fuerint putridæ, & vt plurimum. nam in aliis quoq; partibus diei, solent accessiones inuadere: hæc de calore; mox de pulsu hecticæ dicendum.

Pulsus in hac febre, si fuertt exquisita, non notha, aut cum putrida copulata, debilis est, paruus, celer, ac durior; sed in secundo gradu iam manifestior debilitas est, & euidens durities, labefactata facultate, & consumpta humiditate; at in tertio gradu, in marrasmode, durus est debilissimus. Gal. ex euidenti debilitate, & duritie pulsus, secundam & tertiam speciem dignoscit; cũ enim debilis sit facultas, & dura ac tensa arteria, non potest esse magnus. durities aliquam speciem vehementiæ ostendere videtur, non tamen vere talis est: cum ergo sit paruus, ac debilis, celer fit, ratione aucti vsus, non tamen necessario frequens; quia non multum vrget vsus, in accessione tamen a cibo, pulsus maior, & celerior, ac frequentior multo visitur; veluti etiam calor augetur, quam incompressam vocat Gal. quia in ea nulla est inæqualitas pulsus, aut caloris, non rigor, aut horror, sed accensio quædam æqualis. Gal. dignoscit hanc febrem a principio, si præceßerit causa procatartica calida in corpore calido & sicco; nec declinet ad integritatem; remanente in pulsu frequentia, & celeritate, nec secunda, tertia, aut quarta die, alia accessio adueniat, & cibo solum calor & pulsus augeantur.

Vrina varia est, pro diuersa hecticæ natura; nam in simplici hectica a principio fere naturalis est; quia in humoribus nõ adest vitium inficiens eam; vt plurimum aliquam colliquationẽ ostendit, magis in proceßu, ac ueluti araneæ tela supernatat. at si hectica fiat symptomatica, variat vrina; quia tunc putrida est; & si ab affectu stomaci procedat, vrina cruda visitur; si ab affecto hepate, rubra, cum sedimento orobaceo, uel farinaceo; vbi in

renibus

renibus morbus sedem habet; vrina quoq; sanguinolenta est, & pinguedinem supernatantem obtinet. hectica pestilens signa habet, quæ Gal. 3. de præcognitione pulsus, de qua proprio loco verba facimus; nam solet habere signa in pulsu, vrina, & calore, similia ueræ, & exquisitæ hecticæ, cum suis tamen symptomatibus: quo ad alui excrementa, illa quoq; variant, pro ratione diuersæ speciei hecticæ; nam in hectica simplici, & exquisita, alui excrementa sicciora redduntur; & vbi malum in iecore, vel renibus consistit, dura quasi, & caprarum pilulæ excernuntur; pitnitæ inuolutæ. vbi vero stomachus, aut intestina, occasionem mali dedere, excrementa liquida, & inconcocta visuntur; quia nec venter retinere, neq; coquere potest; & uenæ meseraicæ exiccatæ conniuent, nec possunt attrahere alimentum. ex causis quoq;, vel præcedentibus, uel præsentibus, inditia sumuntur hecticæ febris; vt si quis biliosus ex ardore solis, aut ira, vel valido exercitio febricitauerit, & male curatus fuerit; a cibo, & a potu nimis abstinuerit. quod si adsit in aliquo viscere erisipelas, aut inflammatio, aut febris ardens nimis; negataq; fuerint frigida, tā extra, quam intra, ex errore medicorum, vel astantium; febris hectica facile succedit. vbi vero fuerit cum putrida copulata, cōsiderandum est in declinatione accessionis, an calor arteriarum sit maior, quam in reliquo corpore. præterea si in eadem declinatione putridæ, dato cibo, illico accessio noua incompressa super inuadat; qua ratione, ait Gal. se cognouisse hecticam cum putrida copulatam in muliere quadam, quæ bis in die corripiebatur accessione tertianæ, vt quadruplex tertiana existeret.

De prognostico.

PRo ratione diuersa febrium hecticarum, ita variat euentus; hectica simplex quæ nullius morbi symptomata est, sed in corde calor figitur, potest curari a principio facile; in secundo gradu iam difficile; in tertio curationem non admittit, quando ad marrasmum deuenit; nisi in hecticam senectutis vertatur, hoc est habitum frigidum & siccum, qualis senum est: nec potest hectica vlla a natura sola curari; quia cum sit morbus in habitu non pugnat contra illam: solum ergo per medica præsidia curatur, quæ refrigerent, & humectent, tam intus, quam extra. at

dices si natura non agit in morbum, quomodo poteſt ſanari? dic quod robur naturæ, & bonus corporis habitus multum faciunt ad ſanationem; quia fert remedia valde refrigerantia; & ideo hac ratione a principio facile curatur: at vbi debilis eſt æger, & gracilis, atq; viſceribus imbecillis, tunc non poteſt ferre remedia valida refrigerantia, non potionem frigidam, non balneum frigidum, quę ſunt potiſſima huius mali remedia; ideo vix curari poteſt, quando ad ſecundum, aut tertium gradum deuenit: at hectica peſtilens, quæ eſt in ſubſtantia cordis, ex Gal. ſententia, curationem non admittit; quia corrumpitur ſubſtantia cordis; per quam corruptionem, non intelligere debemus abſolutam & conſummatam, ſed in fieri; alioquin non poſſet homo cum tali febre viuere; ita vt ſit potius hæc corruptio tabefactio ipſius cordis, quam vera corruptio; nam malignus calor exhaurit ſolidum cordis humorem breui ſpacio, & conſumit; ita etiam hectica, quæ ad validam inflammationem, aut eriſipelatem viſceris alicuius accedit, ſolet eſſe lætalis; præcipue in cerebro frenitide affecto, aut ſepto tranſuerſo; quod vero fit, vt plurimum etiam pulmone, ventriculo, aut iecore ita affectis, ſi febris ardens inuadat, raro euadunt ægri, & citiſſime moriuntur: lętalis quoq; hectica eſt quæ longas febres ſequitur. at vbi febris ſequitur obſtructionem, putrefacto in aliquo viſcere humore, curari poteſt, ſi medicum inueniat peritum: ſed ſi febris hectica procedat ex ulcere pulmonis, videtur incurabilis, 5. meth. iam vero omnino inſuperabilis eſt, quoties ex corruptione alicuius viſceris, atq; putredine naſcitur; tunc enim nulla arte poteſt talis febris curari, ſic pulmone putrefacto, aut iecore, febricula ſequitur, quæ nullis cedit remedijs, ſed tēporis progreſſu, viribus exhauſtis, diſcedunt ægri; febris enim hectica notha, atq; ſymptomatica, quæ ex viſceris affectu procedit, habet hoc præceteris difficultatis, vt contraria ad curationē requirat; nam frigida humida, quæ ſolent febris hecticæ eſſe remedia; contra indicantur, vbi eſt in aliquo viſcere inflammatio, aut tumor, aut obſtructio, aut vlcus, aut putredo, quæ ab illis remedijs exacerbantur; ideo iudicatur a Gal. lętalis 10. metho. præterquamquod vbi ex ardenti febre exquiſita, aut exquiſito eriſipelate conſiſtit, tunc frigida & humida, & febri ſine noxa adhibetur; raro etiam in his duobus caſibus euadunt ægri.

De curatione hecticæ febris.

VBi febris hectica simplex est, vnicam habet curandi indicationem; at vbi cum alio affectu copulata est, composita est curatio; quæ non modo febrem respiciat, sed ipsam causam: vbi simplex est affectus (ait Gal. 10. meth.) facile remedium, vel experientia inuenitur; at vbi complicatus est, neque experientia, nec ratione facile apparet. Cęterum illud in primis curandum, ne homo in hecticam incidat, vbi causas præsentes videmus; pręcauendo omni ingenio futurum malum: si enim quis calidus, & siccus natura, in febrem incidat ephemeram, ex æstu, labore, ira, lassitudine in ęstate; aut in ardentem febrem, illico occurrendum est cibo refrigerante, & humectante, potione frigidæ, aëre eiusdem qualitatis; epithemata, inunctiones hypochondrijs, & thoraci applicandæ, quę refrigerandi vim habeant. at si hectica iam præsens est, eisdem remedijs curatur; si simplex fuerit, & exquisita: cum ergo refrigerandum, & humectandum sit in hac febre vbi simplex est, videre oportet qua materia, & quantum, & quomodo id faciendum sit, in quibus consistit commodus remediorum vsus: materia remediorum sumitur potissimum ab his, quę intus sumuntur; vel extra applicantur; vel partim intus, partim extra: in hoc genere continetur aër qui frigidus & humidus esse debet, vbi hectica simplex est, & in corde sedem habet; vel ex erisipelate visceris procedit; quod si talis non sit ratione temporis, vel regionis; refrigerandus est, & humectandus omni ingenio, habitando loca subterranea; fontibus, vel aquis irrigando; flabellando; & catino frigidissimæ aquæ prope os posito, frigidum aërem inspirando: vbi enim affectus vel in corde, vel in pulmone est, maximum remedium aër inspiratus censetur, sicuti vbi in ventriculo, cibus & potus. at dices aër frigidus adstringit cutis meatus, & transpirationem prohibet; non ergo uidetur conueniens. respondet Gal. quod si ęger reliquo corpore sit coopertus, id non continget. adde maius iuuamentum ex aëre frigido respirato haberi, quam nocumentum ex cutis refrigeratione. Cæterum si febris hectica fuerit ex vlcere pulmonis, iam non cōuenit aër frigidus ratione ulceris, sed temperatus in actiuis ad calidum vergens, in passiuis siccus: propterea Gal. mittebat hos ad

tabias,

tabias, montem vesuuium dictum, prope Neapolim; & nos in qua uis regione talem aërem inuenire possumus; vt in hac nostra, est Massetanus collis prope litus maris, & loca quædam, quæ in hoc monte qui Pisas & Lucam intercipit adiacet: Florentiæ vero Fiesulanus: talis igitur aër tabidis ex ulcere pulmonis, quos phtisicos vocamus maxime conuenit, ob hanc illius qualitatem. quosdam in Affricam nauigare præcipiebat Gal. in qua regione siccus admodum est. & licet pulmonis ulcera sint insanabilia, nihilominus callo obducuntur, & ceßat febris, & homo diu vitam protrahere potest. in hectica etiam pestilenti, aër alterandus est frigidis siccis, atq; odoratis, ex aqua & aceto rosaceo, additis santalis, & canfora, vasculo carbonibus apposito, vt fumus aërem talem corrigat, & ad cor attrahatur.

Secundum remedium ex his quæ assumantur tum cibis, tum potibus, presertim quando uentriculus, & intestina afficiuntur, potus tamen aquę frigidæ uidetur singulare remedium hecticæ simplicis, quæ non est cum alio copulata; hæc uel simpliciter in potu datur, vt alimentum; vel ut medicamentum in magna quantitate, & ad duas heminas dedit aliquando Gal. silicet libram vnam, & semis. sed non conuenit omnibus hecticis, non his qui sunt aquæ inassueti; neq; gracilibus imbecillem stomachum habentibus; neq; si viscus aliquod laborat abscessu, & obstructione; neq; vbi vlcus est in pulmone; sed si æger sit assuetus frigidę, carnosus ualido uentriculo, hectica simplex, tunc nullum remediū præstantius, quam copia aquæ frigidę, ea qualitate qua fontana est in vere. at vbi imbecillitas adest, potest calor extingui, & lędi viscus aliquod: quare neq; multa copia danda, neq; actu frigida, sed tepida, vel egelida; ea vero sit cocta cum hordeo, addito acetoso syrupo. Cæterum cibus in hectica simplici sit frigidus humidus, qualis ptissana est, panis lotus & coctus in iure pulli alterato, cum acetosa, lactuca, borragine, cichoreo, endiuia, cucurbita; quę etiam in acetario assumi poßunt: pisces saxatiles ex albo iure cocti, qui sunt facilis coctionis, boni succi, ac refrigerantes. sed hic obicies, non conuenire in hecticis, & consumptis cibos facilis coctionis, sed qui lenti sunt; quales ex pedibus vituli, aut castrati, qui lentorem habent, nec facile dissoluuntur. ad quę dicimus, quod cibi facilis coctionis, & boni succi, maxime conueniunt hecticis; quia exiccati sunt, & pauci caloris; ideo fa-

cile alterantur, & penetrant; licet facile dissoluantur: quod si æger lenta possit superare, hæc exhibenda; sed adeo preparata, ut facile coqui poßint; & ideo uel elixamus vsque ad consumptionem, uel distillamus, aut contusa ex illis facimus, quæ lenta sunt; & propterea caro testudinum terrestrium, magnam uim habet ad curandas hecticas febres, nõ solum simplices, sed tabificas, & quæ ex ulcere pulmonis proueniunt: primus modus sumendi has carnes talis est; testudo terrestris magna, in aqua coquatur donec dißoluatur, mox corticibus abiectis, caro & viscera ossibus munda accipiantur; rursus coquantur cum cichoreo, acetosa, borragine, hordeo mundato, & prunis in hectica simplici; at in hectica pulmonis coquatur cum folijs rubi, & portulacæ, plantaginis; ius bibatur, & carnes edantur, per dies 20. distillantur quoq; in balneo marie post coctionem carnes testudinum cum pre dictis herbis, & bibitur distillatum. Cæterum fratres cartulienses, multis modis condiunt has carnes, & optime conficiunt. potest & contusum ex illis parari: coclearum quoque carnes exactissime coctæ, & illarum stillatitiæ aquæ hecticis multum conducunt: inter ea que assumuntur lac numeratur, quod & inter alimenta, & medicamenta reponi potest, tanquam præstantissimum remedium, non solum hecticæ simplicis, sed phtisicis & extenuatis; & lentis febribus maxime conducens, ac tabidis; lac uero quod probatur ad humanam naturam, est muliebre, caprinum, bubulum, pecurinum, asininum, camellinum, & equinũ; quia est ex animalibus quæ accedunt magis ad temperiem humanam: habet autem lac facultatem reficiendi corpora singularem, facile coquitur, boni succi est, per alum descendit, facile distribuitur, & penetrat; quod requiritur in extenuatis, & resiccatis, in quibus vasa considunt, & meatus clauduntur; est preterea frigidum humidum, qua ratione febri repugnat: inter lactis genera hecticis, & tabidis, laudantur, muliebre, caprinum & asininum: & Gal. libro 7. meth. probat magis humanum lac, ut nobis familiarissimum; quod si ægri illud recusent, seu asinis, asininum secundo loco commendat. sed contra videtur conuenientius lac asininum hecticis, quam humanum; siquidem tenuium est ad penetrandum, & minus cõcrescit quam humanum, & magis refrigerat. ad quæ dicito, quod lac humanum simpliciter melius est, quam asininum; quia magis temperatum, & familiare

noſtrę naturæ eſt; ſed hecticis, ac tabidis, & lente febricitantibus eligendum potius aſininum. caprinum quoq; in horum deffectu exhibet Gal. quia videtur longe melius poſt humanum & aſininum: adde quod capræ, & aſinæ, herbis nutriri poſſunt, & frugibus, quæ refrigerandi, & humectandi vim habeant, in hectica ſimplici; in tabidis vero a pulmone, quę etiam aſtringendi & exiccandi; ideo in prima hectica alimus aſinam hordeo, & uitium folijs, atq; graminis, cichorea, lactucæ intubi. vbi vero adeſt pulmonis ulcus portulaca plantag. rubus, citria, mirtus, lentiſcus; magna enim cura eſt habenda, ut uictus aſinæ, & capræ talis ſit, & bene coquatur ab illis; ut docet Gal. 10. meth. ſed hac difficultas eſt non ſpernenda de bonitate lactis, quod ex propoſitis animalibus ſit melius; nam videtur quod lac bubulũ, & pecurinum, ſint longe meliora quam caprinum uel aſininum; quia ſumitur ex animalibus, quorum carnes ſunt ſuauiores, & magis temperatæ, quam aſini, aut caprę; ergo caprinum, & aſininum non debent, præferri. ad quæ dicimus, quod bubulum, & pecurinum lac, licet ſit ex animalibus magis temperatis, ſunt tamen craſſę ſubſtantiæ; ideo caprinum illis præfertur; quia eſt ſubſtantia mediocre. ſecundo dic quod licet capræ carnes ſint magis inſuaues, quam bouis, aut pecoris; lac tamen capræ eſt ſuauis, & iucundius; quia cum capra ſit animal ſiccum, temperatius facit lac, corrigens eius humiditates: aſininum uero lac, ſimpliciter peius eſt quam bubulum, aut pecurinum; ſed ad tabidos citius nutriendos, & febris refrigerationem, magis conuenit aſininum. Aſina eligenda iuuencula poſt dies 40. a partu, & ad lectum ægri ducenda, vt recenter multum bibatur, alteratur enim facile ab ambiente. Gal. addit aliquid mellis, ne concreſcat, ſed abſtinerem prorſus ab eo, ob calorem; & eius loco ſaccharum adderem; quamuis lac aſininum, vt quod tenuiſſimum ſit, ſine aliquo adimento dari poteſt, & ſine periculo concretionis. datur uero lac tabidis a pulmone, uel a principio, antequam ſint extenuati, & tunc minor eſt illius vſus; quia tunc ſolum procuramus ſiccare vlcus; vel cum iam ualde corpus eſt extenuatum, & tunc non ſolum exiccandi, ſed nutriendi intentio eſt; & cum magna cautione dari debet; ideo quantitas lactis a principio debet eſſe ad duas, uel tres vncias; poſtea paulatim augendo, vſque ad decem, pro natura, & conſuetudine ęgrotantis: nam quidam a

lacte

lacte maxime offenduntur, quibus non est dandum; alij vero egregie iuuantur, etiam per sanitatem, vt Gal. docet primo de alimẽtis. procurandum præterea, ut a lacte per tres, uel quatuor horas, nihil assumantur, & ut bene concoquatur; nam si non bene coquatur, quod ex flatibus, rutu, & torminibus dignoscitur, minoranda est lactis quantitas, & procuranda coctio: at si difficile ferat lac, ab eo abstinendum est.

Inter ualida febris hecticæ remedia, tertium locum obtinet balneum; quod adeo potens est, ut uix, ac ne uix quidem, sanari possit hectica febris sine eius auxilio. antiqui balneis aquæ dulcis adeo dediti erant, vt nulla dies eßet, in qua semel, bis, aut ter, non lauarentur per sanitatem; & ideo etiam frequenter in morbis balneis vtebantur: nostris uero temporibus vsus balnei fere aboleuit, præter quam apud turcas, & recta ratione; siquidem frequens antiquorum illa balneatio, operosa nimis erat, nec nisi a uiro libero exerceri poterat, & incontinenter etiam balneo vtebantur: illius autem immodicum usum, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, animi torporem, & deliquia, & alia multa mala afferre dicit Hipp. 5. aphoris., moderatus tamen balnei vsus, per sanitatem, & per morbos vtilis admodum est. erant autem balnei partes, seu domus quatuor, apud antiquos; prima domus in qua homines spoliabantur, secunda calidam aquam cõtinebat, tertia frigidam; quia post calidum balneum frigida aqua inspergebant, vltima domus erat qua extergebantur & siccabantur corpora, & sudabant; sed nos tantum duas domus in vsu habemus, prima qua spoliantur & vestiuntur, secundam vero in qua solium aquæ calidæ continetur; & iure merito; nam frigidum illud balneum periculosum est, nec conuenit omnibus, non debilibus, senibus, pueris, repletis ue aut cachochimis. turcę & mahometani usum balneorum habent frequentem, & frigido balneo etiam utuntur, quo quotidie multoties lauantur, in pœnitentia eorum deprauatæ sectę: nos raro balneo vtimur, pręsertim quod domibus parata non sint: vbi tamen necessitas cogit tina vtimur, in qua aqua calida continetur; quæ commoda ualde est ægris, & debilibus: sed in hectica febri simplici, & exquisita, requiritur neceßario post calidæ balneum, frigidæ aquę inspersio, aut immersio in tinam aquę gelidæ, ad similitudinem fontanę, per vernum tempus: debilibus autem, magis conuenit inspersio fri-

gidę supra humeros, vase aliquo transfundendo, post calidæ aquæ balneum; nam nisi frigida inspergantur, non possunt sanari qui hectica laborant, Gal. autore 10. meth. & ratio id dictat; quia frigiditas illa post balneum calide penetrat habitum corporis, & fixam caliditatem extinguit, quam natura sola non potest superare. at dices cur non statim hecticos in frigidam mittimus, abstinendo a solio aquę calidæ? imo balneum aquæ calidæ hecticis non conuenit; quia calefacit, & humectat, ex sententia Gal. at nos non egemus calefactione in hectica. ad quæ dubia dicimus, quod aqua calida nimis, sicuti & frigida repente adhibita, est inimica hecticis; nam calida nimis constipat cutim; quia natura aufugit eam; idem facit frigida repente adhibita; ideo aqua modice calida dulcis, illa est quę corporis meatus, laxat, humectat, aperit vias alimento. dic secundo, quod licet tepida aqua quam requirunt hectici, sit paulo calidior corpore; id minimum est, nec notatu dignum; requiritur tamen prius præparatio tepidæ aquę, ob dictas utilitates; sed ex frigidæ inspersione, postea caliditas illa lenis, & tepida omnino vincitur: rursus dubitabis si hectici debent aqua frigida inspergi post calidam, cutis astringetur, & meatus claudetur; & sic vtilitas balnei calidi, per frigidam aquā aufertur. dic quod illa frigiditas momētanea est; quia vel insper gimus aquam semel, vel sindone immittimus ægrum in frigidam; & illico extrahimus, ac pannis calidis exiccamus corpora; ut illa meatuum astrictio parua sit, si conferatur cum apertione, quæ fit ab aqua calida: pręterea, aquam non simpliciter frigidam assumimus, sed egelidam. vel dic quod licet cutis astringatur a frigida, robur acquiritur corpori, ut minimum transpiret. De tempore uero ingrediendi balneum calidum, illud debet esse peracta prima coctione cum leuis est æger, ieiunus, quale est tempus matutinum a somno, & vespertinum per horas 5. aut 6. a cibo. mora in balneo debet esse maior, uel minor, pro ratione virium; nā debiles facile resoluuntur, fortiores magis sustinent; sed vbi carnes tument, statim extrahendi; quia ex nimia mora rugæ inducuntur, & corpus dissoluitur. debiles uero ægros, qui per se balneum ingredi non poßunt, sindone per quatuor iuuenes exportandos eße monet Gal. 10. meth. & immersos in calidam, statim in frigidam aquam mergant illico sine mora extrahentes. cęterum balneum tepidæ aquæ dulcis, illis potissimum conuenit hecticis,

quæ

quę simplices sunt nec cum alio affectu iunguntur, ideo non conuenit balneum illis, qui alicuius partis tumorem habent, seu obstructionem, duritiemue; tales enim lędet balneum calidum; multo magis frigidum: vnde Gal. hos incurabiles indicat. 10. meth. A balneo corpus inungendum cerato Galeni refrigerante, ne dissoluatur, & humectetur, uel oleo uiolaceo; inde lac exhibendũ, ea ratione qua supra diximus. dubium est, an balneum hoc in pulmonis ulcere conueniat; nam ratione vlceris minime conuenit, sed ratione extenuationis uidetur conuenire; & Gal.5 meth. balneo vtitur. dic quod balneum aquę tepidę licet ratione vlceris non videatur conuenire tamen ob extenuationem, quia impinguat, humectat, conuenire videtur. at dices; Gal. a principio balneo vtitur 5. meth. dic solum lotione capitis vsus est, antequam ceratum apponeret, sed casus ille fuit particularis; ideo a principio abstinendum; præsertim in sanguinis reiectatione si uero oritur a pulmone solum balneo tepido utimur, non frigido.

De febre ephemera.

HAEC febris grecis ephemera dicitur, quod vnius diei spacio finiatur; ideo recte latini diariam appellant; & licet aliquando ad plures dies extendatur tamen quia vt plurimũ vnica accessione finitur, hoc nomen sortita est; ratio uero tam citæ terminationis est; quia accenditur calor in spiritibus, qui substantia tenues sunt, & facile recipiunt calorem, ac facile eum demittunt; & quia semper gignuntur, incensi dissipantur, & succedunt temperati; spiritus uero cum sint trium generum, uitalis, animalis, & naturalis; primo accenduntur uitales, qui in corde, & arterijs continentur, deinde & reliqui: dicitur autem spiritus substantia tenuissima, & uapor sanguinis; aliquando etiam tenuior illius pars: hic tamen non modo vaporem sanguinis, spiritum intelligimus, sed halitus, qui in corpore nostro sunt; qui aliquando sunt vaporosi, aliquãdo vero fuliginosi, & acres, 8. meth. huius febris primo meminit Hipp. & iili nomen imposuit 4. aphor. 53. vbi dixit febres omnes ex bubone, malas esse, præter ephemeras: a bubone enim cum solum calor communicatur cordi; fit ephemera; at si ab eo vapores putridi illuc vadant, iam putrida est, & maligna iudicatur. & Gal. post illum gloriatur,

quod

quod huius febris natura, & illius signa, primus inuenerit; adeo vt nullus sit qui illius doctrina vsus, non possit statim primo ingressu hanc febrem cognoscere, & illius etiam causam, ac prędicere sanitatem; secus ac facerent Tessalici, & diatriarij; qui in hac etiam febre ægros inedia macerabant; cum Gal. post primã accessionem cibatos ad consueta opera mitteret 8. metho.: quamobrem dignissimus laude Gal.: iudicandus est, tam ęgregio inuento, quo & futuram sanitatem bonus medicus post vnam diẽ prædicere possit; nec aliquando generosum adhibere remedium, sanguinem mittendo, aut purgando, vel inedia macerando ægros, cum magno illorum discrimine; quod ignari medici non cognoscentes morbum, faciunt; siquidem tantum erramus, ait Gal.; in curatione quantum in cognitione: est igitur ephemera febris, intemperies calida sicca, omni febri communis; quatenus vero est accensa in spiritibus, differt a reliquis febribus putridis, aut hecticis; quarum illę in humoribus, hæ vero in solidis consistunt; non quod solum spiritus caleat, (nam communicatur etiam humoribus & solidis) sed quia a spiritu incenso ortum ducit, & in eo fundatur in calefacto esse; in humoribus vero, & solidis in calefieri; sicuti putrida in calefacto ponitur humorum, calefiunt postea spiritus, & solida, at in hecticis calor factus est in solidis, fit vero in spiritibus, & humoribus; non quod vel spiritus, vel humores febricitare dicantur; nam membra solida, ac uiuẽtia dicuntur vere sana, & ægra, non spiritus, aut humores: sed dicitur ephemera in spiritibus, & putrida in humoribus, tanquã in causa, respectu corporis.

De differentijs ephemeræ.

PRima differentia, quæ maxime facit ad curationem, sumitur ab eßentia illius, quatenus ephemerarum hęc dicitur exquisita & simplex, quę veram illius naturam seruet; alia vero notha, quæ declinat ab ea, & non seruat illius conditiones, sed quodam modo media est inter ephemeram & putridam. Exemplum primæ febris est, quæ fit a vigilia, aut motu, & finitur vnica die. exemplum secundæ est febris synocha sine putredine, quæ plures dies durat; quia tamen vnica accessione finitur, & lenem calorẽ habet, refertur ad ephemeras. Secunda differentia sumitur a cau-

ſa, quę ad curationem multum conducit; quatenus, uel fit a cauſa recedente, vt quæ ex motu vel calore æſtiuo, uel uigilia fit, aut a cauſa permanente, cuiuſmodi ſunt febres ephemeræ ſpuriæ; qualis eſt quæ ex accenſione ſanguinis aut bilis fit, ex bubone, catarro, cutis adſtrictione cruditate, & obſtructione; quæ ad plures dies ſolent extendi. ſed quoniam non ſunt mere putridæ, & aliquas conditiones habent ephemerę; ideo ad hanc placuit illas reducere; cum tamen neutræ quodammodo ſint, & mediæ inter ephemeram, & putridam; ſi quis tamen illas ad putridas referat, quod in humoribus conſiſtant non peccabit, vt Gal. facit; licet quæ ab accenſione bilis, aut ſanguinis fit, non ſit vere putrida: ad putridam referimus præcipue quaſdam malignas, quæ in ſpiritibus accendi videntur, qualis eſt febris anglica, & quæ aſtrictione meatuum exoritur, & quæ ex acredine vaporum in male conſtitutis corporibus: ad ephemeras pertinent magis ſynocha, ſine putredine; item quę a cruditate naſcuntur, medium inter vere ephemeras, & putridas obtinet; ſicut illa quæ fit ex bilis agitatione, & accenſione, qualis ex inedia procedit in picrocolis; cuius generis ea cenſenda eſt, qua iuuenis ille laborauit 10. metho. item quæ quotidie accendit ex catarro proueniens; & quæ ex dolore, nephritico, vel ex partu prouenit; aut exercitio, ita æſtu, vbi bilis accenditur, & agitatur.

Cauſæ febris ephemeræ ſunt omnes, quę calorem accendere poſſunt; de quibus Gal. primo de differentijs febrium meminit; quę referuntur; vel ad nos ambientia, vel ad ea quæ aſſumuntur, aut a nobis aguntur, vel denique retinentur; & extreta. inter ambientia, aër calidus ſub ſole æſtiuo, aut balnei calidioris; item vnctiones, aut aquæ aſtringentes; quales albulæ; & abſtinentia a balneo in corporibus, qui abundant fuliginoſis, & acribus excrementis, 8. meth. his enim vbi aſtringitur cutis, ac non exhalant fuligines; illico febre corripiuntur 6. de ſanitate tuenda 3. quod Gal. de illo aſſerit, qui quoties a balneo abſtinebat, febricitabat. ab his autem quæ a nobis aſſumuntur, alimenta, & medicamenta calida hanc febrem inducere poſſunt, pręcipue vſus aromatum, & generoſi vini; vnde ephemerę ex ebrietate fiunt; item ex cruditate nidoroſa, vbi multi cibi praui, facilis corruptionis ingeruntur; ad hanc cauſam refertur, quæ ex inedia intempeſtiua fit, per quam fuligines multiplicantur; vnde ephe-

meræ, & hecticæ, imo syncopes, & mortes succedunt 8. & 10. metho. . Cęterum ab his, quæ a nobis aguntur, quædam ad animam spectant, quædam ad corpus, alia vero ad vtrumq;: ad animum pertinent ira, timor, tristitia, gaudium, studium, ac sollicitudo: ad corpus vero motus nimius, vnde lassitudo, & calor ab articulis ad cor communicantur; ad hanc refertur, quę a dolore; venus item nimia; frictiones item multæ dessipando calorem, aut durę admodum astringendo cutim: ad vtrumq; corpus scilicet, & animum pertinent, vigilia, ad excreta, & retenta, vbi halitus in corpore retinentur; vel ex multitudine boni sanguinis fit synocha, non putrida; vel halitus fuliginosi, & acres eadem efficiunt; hac ratione obstructio, astrictio, inflammatio glandularum, febrē ephemeram faciunt. at dices quomodo ex obstructione potest fieri ephemera febris? siquidem illa putredinem parit. respondetur cum Gal. 8. metho. 4. quod si parua fuerit obstructio, potest inducere febrem ephemeram; quando nec in pulsu, nec vrina, adest putredinis signum euidens; in excretis, immodice ephemeram faciunt alui fluxus, vt diarrhea, vbi frequens est; nam ex motu illo frequenti accenditur ephemera; harū causarum quædā abeunt, & sola remanet caliditas, vt quando ex ira, timore, sollicitudine, motu, vigilia accenditur calor; aliæ remanent, cum ab inflammatione glandularum, vel obstructione, vel astrictione, aut accensione sanguinis, vel bilis, aut cruditate ortum ducunt.

De signis ephemeræ.

HAbet in primis ephemera signa communia omnis febris; scilicet in vitali, pulsum magnum, velocem, & frequentem, item & respirationem similem, præterea caloris excessum; in animali, motus læditur, in naturali, quia in excrementis, vt urinę, uel alui; apparent aliquę mutationes; pręsertim in nothis ephemeris propterea uero, uel affectum indicant, silicet ephemeram; vel causas præcedentes; quæ omnia explicanda sunt. Primum signum febris ephemerę est quod incipiat ab aliqua causa procatartica, seu euidenti; sed pro declaratione sciendum, apud medicos, cum de causa loquitur, semper intelligitur causa efficiēs; nam morbi finem non habent, neq; materiam, nisi corpus humanum in quo sunt vt accidentia; materia ex qua fiunt habet ratio-

nem efficientis, vt sanguis faciens inflammationem, hæc uero causa efficiens est duplex, quędam procatartica, seu externa; quædã vero antecedens, atq; interna; rursus hæc vel est mediata, quæ alio mediante producit effectum; vel coniuncta, quam aliqui cõtinentem uocant. do exemplum, febris putridę causa, potest esse, aut solis ardor, vel frigus & sunt procatarticæ, quia externę; eiusdem causa potest esse multitudo humorum, & obstructio, quę sunt internę causæ, sed mediatæ; ab obstructione fit putredo, quę putredo est causa coniuncta, seu continens; & talis dicitur, quia immediate calorem facit, seu febrem, non quod illa posita ponatur febris, vel remota febre, illa necessario remoueatur; nam humores si longe a corde putrescant febrem nõ faciunt, nec si in magnis cauitatibus sint, nec contra ablata putredine aufertur necessario febris; quia potest remanere calor impreßus. rursus circa declarationem causę procatarticæ, & antecedentis, quatenus illa communiter dicitur externa, hæc vero interna; sciendum est, quod procatartica causa, potest esse in corpore, vt error qui fit in cibo, in motu, in passionibus animi, imo & bubo, & distillatio, & cruditas cum faciunt ephemeram dicuntur a Gal. procatarticæ; sunt tamen in corpore, & non ideo antecedentes sunt: quare sic distinguendum, quod causa procatartica, causa sit euidens, & nũc primum in corpore agere incipiat, sic distinguitur ab antecedente; illa enim cuiuis etiam imperito medico est aperta, hæc vero nõ nisi a perito per rationẽ dignoscitur: præterea causa euidens nunc primum in corpore agere incipit, sic cruditas a multa ciborum copia repẽte adueniens, dicitur causa procatartica; at si paulatim, & sensim fiat, tunc est causa antecedens; ita causa procatartica, duas conditiones habet, quod sit manifesta, & quod nunc agere incipiat; antecedens quod sit occulta, & sensim, ac occulte agat; quę si immediate producat effectum, dicitur coniuncta; si uero immediate antecedens. at Gal. definiens procatarticam externã, dum vocat illam, describit per ea, quę ut plurimum accidunt; nam plerumque causa procatartica dicitur externa; sed perfecte definiendo, eo modo debet assignari, vt dixi. Gal. primo de differentijs febrium dicit ephemeræ esse proprium, vt incipiat ab aliqua causa procatartica: intellige quæ sit euidens, & nunc agere incipiat; & ita si fiat ex bubone, cruditate, catarro, dicetur habere causam procatarticam, dummodo euidens sit, & statim producat

ducat affectum ; & quamuis hoc proprium sit ephemeræ febris, id intelligendum est vt plurimum ; quia potest aliquando fieri ex obstructione ab aliqua antecedente causa sensim , & tunc dicitur ephemera , si putredo pauca sit & vnam accessionem faciat ; & licet tale signum non sit inseparabile , raro aliter continget ; putrida vero sine causa procatartica fere incipit; hectica numquam cum ea est,nisi a principio inuadat ; & hoc signum a causa,a medico maxime considerandum est ; quia & ad cognitionem , & ad prognosticum,& ad curationem magnam vim habet ; nam hanc causam potest medicus prędicere coram ægro ; primo in vniuersum ex signis ephemerę, ut sic ; comisisti aliquem errorem ? secũdo in particulari, si propria cuiuscunque causa signa aduertat,ut vigilasti ? vel sub sole ambulasti ? aut inediam passus es ? quod si præstauerit,gloriam,& existimationem magnam acquiret medicus : sed si neutrum præstare potest , saltem interrogare debet ægrum, vel astantes, si quem commisit errorem , vbi causa abest; si præsens sit , illam etiam interrogando addiscere . secundum signum ephemerę febris a calore sumitur, qui respectu aliarum febrium ad tactum lenis est ; non acris, vt in putridis, & hecticis; causa est, quia in spiritibus accenditur, qui tenues fiunt, & lenẽ halitum faciunt , quasi vaporem aquę calidæ ; in putrida calor aëris est repræsentans actui acredinem, qualis naribus, & oculis ex fumo vapor; in hectica aëris etiam est ob subiecti densitatem. at in ephemera quæ vere talis est, lenis est, & suauis ; non in cõparatione caloris hominis sani; sic enim acris dicetur , vel potius multus est , & vaporosus ; quia tales sunt sanguinis halitus ; ad summum talis est calor ephemeræ, qualis viri exercitati, aut balneati; licet in ephemera ab accensione bilis, & in corporibus calidis siccis, & obstructione, & astrictione,non ita lenis appareat calor . incipit vero , & augetur calor æqualiter , sine vlla compressione, aut horrore, vel rigore, nisi febris , ex frigore , aut calore, ortum ducat, uel a catarro.

Contrarium apparet in putrida , in qua calor contrahitur ; & rigorem , vel horrorem , aut refrigerationem facit ; neque æqualiter augetur : in hectica vero, nulla caloris est incensio,nulla accessio, nisi a cibo .

Pulsus febris ephemerę augetur in magnitudinem , & celeritatem , ac frequentiam ; in ceteris similis est naturali ; & nisi adsit

adsit inflammatio, aut obstructio ęqualis sentitur; neque contrahitur a principio, vt in putridis: æqualis quoq; est in vera ephemera: & præterea distensio velocior est contractione; quies externa rarior. contrarium apparet in putrida; nam in ephemera vsus est auctus, & necessitas refrigerandi maior: contra in putrida fuligines expurgandi maior necessitas, quam refrigerandi: præterea sedata febre, quod fit spacio 24. horarum, nisi committatur error, vel causa permaneat, reducitur pulsus ad statum naturalem; in eo non apparet inæqualitas febrilis, quæ in alijs febribus, præsertim putridis apparere solet; neque aliquod prauū symptoma visitur in ephemera, ex his quę acutas, ac malas febres comitantur; neq; in facie aliquod timorosum apparet. finitur vero febris cum sudore, aut etiam madore, sine vllo medici præsidio.

Tertium principale signum, ab vrina desumitur; hęc in vera ephemera, si causa iam recedit, naturali solet esse similis, sed sedimentum, ac coctionem habere, quod in putridis numquā a principio apparet, neq; prima die; ratio est, quia non est in venis malum, sed in spiritibus: in sinocha tamen, quę ad ephemeram refertur, craßa, & rubra apparet, & in alijs ephemeris; quæ vel ab obstructione, vel cruditate, vel inflammatione glandularum fiunt, cruda videtur; & in ea quæ fit a bilis incensione coloratior. indicium quoq; febris ephemeræ solet eße, si homo sit calidæ, & siccæ, ac biliosæ naturæ; in quo facile accendantur humores, atq; fuliginosos halitus contineat; hi enim facili negocio in febrem ephemeram incidunt; si vel nimis laborarint, vel inediam paßi sint; vel a balneo abstineant; vel ira, uigilia, aut mærore conficiantur, quę signa si quis recte perpendat, statim prima hora, vbi ad ęgrum accedit, facili & nullo negocio cognoscet naturam febris.

Nunc veniamus ad indicia, & signa particulariū causarum, quæ indicant præteritas causas, & præsentes si adsunt; hęc enim præcipua sunt ad curationem ipsam, dignotionem, & prædictionem: nam his recte consideratis, sine vlla interrogatione prædicere potest medicus febrem ephemeram, & causam peculiarem a qua illa prouenit, cum magna admiratione, quod Gal. se fecisse gloriatur primo ad Glauc.

De signis particularibus causarum ephemeræ.

Signa dignoscendi particulares causas febrium ephemerarum, sunt maximi momenti, ad euentum, & curationem illarũ, ex quibus ægro non referente (vt dixi) potest medicus precędentem causam cum magna sui admiratione dicere.

Ex, ira igitur, pulsus, magni, alti, celeres, vehementes, calor multus, oculi, & facies, rubent. a timore, pulsus a principio inęquales, vibrati, deinde parui, rariores, faciei palor. A cogitatione, & studio, oculorum cauitas, siccitas palpebrarum, pulsus paruitas. A tristitia, vrina rufa, calor acris, extenuatio corporis, palpebre siccæ. A gaudio totius faciei hilaritas tumor. A vigilia decoloratio, & palor in facie, tumida facies, oculos uix attollunt, palpebræ humidiores, cauitas oculorum. Ex lassitudine cutis siccior, quam in alia febre, in declinatione sudor, & mador: & si multus fuit labor; pulsus paruus; & si sub frigore, aut sole se exercuerunt. Ex inedia facies emaciata, vrinę flauæ, dolor uentriculi, iracundia, pulsus paruus, horrores, pallida vrina, oculi rubri. A frigore cutis densa, tumor corporis, faciei decoloratio, frigiditas, ad tactum catarrus; a calore cutis aridior, sicca, pulsus paruus, durus, calor ad tactũ acris, magis extra quam intus. a satietate, uel retensione excrementorum, ventris distensio, capitis dolor, lassitudo, copiosus cibus assumptus. huic proxima est, quæ ex cruditate fit, cuius duę sunt famosę species; nidorosa, quæ ructu nidorem repræsentat, & combustionem: atquę ex calore oritur, & cibis acribus, aromatibus; alia est acida, in qua victus acidi apparent; hæc fit a frigiditate; ideo raro admodum ex hac fit febris ephemera, frequenter vero ex nidorosa: hęc aliquando cum alui fluore iungitur, & minus mala censetur, aliquando uero cum eius astrictione; & tunc est grauior; quia omnis cruditatis remedium, apud eundem Gal. est alui fiuxus.

Sinocha cum putredine, quę inter ephemeras numeratur quia vnam habet accessionem, licet plurium dierum; aliquando enim semper augetur, quia vaporis minus resoluitur, quam accenditur, aliquando semper imminuitur; quia æqualis est accensio, & dissolutio vaporum; aliquando vero semper decrescit; quoniam

magis

magis resoluitur, quam accendatur: fit hæc febris a sanguinis accensione, & feruore. signa sunt rubor, ac tumor faciei, & uenarum; cutis densitas; pulsus magnus admodum, uehemens, celer; calor multus, non tamen acris; capitis dolor, temporum, pulsus; spiratio difficilis; ætas doloscentiæ; habitus carnosus, multi sanguinis.

Sicuti uero ex feruore sanguinis fit ephemera, ita ex accensione bilis accēditur febris in corporibus biliosis sine putredine; vbi dolor est qualis, nefriticus, aut parturientis, uel exercitatione ingenti, aut aliqua alia causa calefaciente, quæ bilem in feruorem inducere possit, in qua febre, nulla in vrinis nota putredinis adest; os tamen amarescit, appetentia deijcitur; sitis adest; denique paucis post diebus cessat; est enim anceps hæc febris, & media inter ephemeras, & putridas; cuius naturę sunt aliquæ alię febres, non modo intermittentes, sed continuæ; vt plurimum tamē intermittunt, & inuadunt quotidie, aut tertio quoq; dię; sunt autem mites, a quibus uix se febricitare sentit ęger: at pulsus, celeritate, & frequentia, lassitudine, corporis grauitate, aut grauioribus accidentibus conspicuæ; & fiunt nonnullæ a scabie, pruriti, absceßu, distillatione, a cruditate, & indomita bile, (vt dictum est) citra putredinem efferuente, aut a semi mala humorū qualitate; quę uel primam, uel alias corporis regiones obsideat: hæc enim vitiosa qualitas media est via ad putredinem, in qua plerumq; affectus consistit. at si ex obstructione ephemera gignitur, aliqua apparebit durities in hypochondrio; non processit causa procatartica, urina tenuis est, aut crassior: & si parua fuerit obstrustio, secundam accessionem non transit; at si maior sit non declinat in totum. pulsus aliquam inæqualitatem refert: deniq; in pulsu & vrina cruditatis signa apparent; vbi maior est obstructio, iam inter putridas reponenda.

De prognostico.

DIaria febris simplex, vbi causa recessit, cum mitissima sit, intra 24. horas terminatur; nisi errore medici, ęgri, aut astantium producatur; qua ratione fit, vt in hecticam transeat, aut in putridam vt ephemera notha, quæ plurium dierum est, & causam habet non recedentem; & quæ fit ab obstructione, cruditate,

ditate, meatuum aſtrictione, catarro, facile in putridam tranſit: atq; in primis becticæ ſuſpicio eſt, vbi in corpore calido & ſicco. balitus ſunt fuliginoſi, & acres; vbi ex ira, inedia, motu; aut ſolis calore cepit originem; ſi enim cibus non præſto adſit, & refrigerantia remedia facile in becticam tranſeant; imo in acutam febrem, ait Gal. indicium tranſeuntis ad becticam ſunt, ſi poſt acceſſionem remanet calor acris, & pulſus frequentia, & reliqua becticæ ſigna. tranſitus vero in putridam indicant, declinatio impura; & ſi in vrina, aut pulſu, putredinis ſigna remaneant, præſertim vbi ex obſtructione, aſtrictione; bilis, uel ſanguinis incenſione fit: igitur medicus euentum prædicere poteſt ſalutarem in exquiſitis ephemeris, vbi cauſa abeſt, ſpacio vnius diei, niſi error committatur: in ſpurijs uero, & vbi cauſa manet, niſi committatur error, intra ſeptimam diem terminantur.

De curatione ephemeræ in vniuerſum,

QVia duplex erat ephemera, una exquiſita, & ſimplex, in qua cauſa receſſit; alia notba, & media inter putridam, & illam inqua cauſa permanet: prima nullam medici operam deſiderat, vtq; ſpatio 24. horarum terminetur, medicus tamen peritus requiritur, ne committatur error, & in becticam tranſeat. ſecunda ephemera, quæ cauſam habet, accuratam diligentiam requirit, ne in becticam, aut putridam tranſeat.

Cæterum ſimplex ephemera, cum ſolum ſit intemperies calida, & ſicca, nec cauſa adſit; requirit frigida bumida: notha uero, & in qua cauſa permanet illius expoſcit remotionem; atq; imprimis de exquiſita ſermo erit, quam Gal. balneo & bumectante uictu curat; balneum enim corpus tranſpirabile reddit, bumectat, & refrigerat; tranſpiratio requiritur ad fuligines pellendas: ideo vnctio olei laxantis, & frictio lenis, in eandem intentionem adbibentur. aër balnei laxat; ſolium uero, ſoluit bumectat, & moderate calefacit, dum in eo reſidet æger; at poſtea refrigerat, quod potentia facit. in cute denſata, & bubone magis conuenit aër balnei; in alijs uero ſolium. frigida lauatio nõ conuenit ephemeris, niſi immineat becticæ periculum, aut ex uſtione orta febris fuerit; dummodo non adſit catarrus, aut plenitudo, & cutis aſtrictio, obſtructio, uel cruditas. ſed licet boc præ-

sidium multum conuenire uideatur febri ephemerę in uniuersum, quia refrigerat, humectat; rarum tamen est nostris temporibus; cum vsu balneorum careamus, & desueta sint corpora illi; neq; apparatus adsint conuenientes; ideo possumus ab illo abstinere, & loco balnei, frictione molli, & unctione uti, ex oleo uiolaceo. aut hidreleo; a quibus etiam si abstineamus, febris tamē cessat,

Cæterum refrigerantia, & humectantia, in simplici ephemera, sunt cibus & potus, qui eamdem habeant facultatem, & soli sufficiunt in hac fabre: at quo ad alimenta non solum debent esse morbo contraria, sed facilis coctionis, & boni succi; Gal. ptissanam cæteris anteponit; post hanc si ęger abhorret, panis lotus, qui ad ptissanam maxime accedit: alica cum aceto, lactuca, cucurbita, pisces saxatiles; inter cæteros solea dicitur ptissana marina; que non debent exhiberi nisi in declinatione, & statim prima die; secus ac faciebant diatriarij spectantes tertiam accessionem; præsertim si ęger calidus, aut siccus fuerit, & picrocolus; quos Gal. non modo in declinatione, sed in ipsa accessione, & ante illam nutrit; siquidem in naturis calidis siccis, abundat halitus fuliginosus, qui & horrorem, & febrem incitat sua acredine: quos Gal. cibo dato dicit liberasse, & a rigore, & a febre. potus aqua sit, si æger illi sit assuetus, & si febris sit ephemera, ex ira, obstructione, aut inflammatione orta: præterea in calidis, & siccis naturis, ne in hecticam transeant; sed aqua cocta, quia per coctionē, aqua corrigitur multis modis; nam amittit illam cruditatem, & frigiditatem; pręterea fit rarior, & penetrantior. valeant ergo qui aquas coctione deteriores fieri dicunt; quia pars subtilior exhalat, & remaneat crassior; nam si a coctione illud obseruetur, ut transcoletur in alterum vas, & quod in fundo remanet abijciatur, optima aqua relinquitur, in qua grana ordei coquere conuenit addito pauco saccharo; ita enim fiet penetransior, & conueniet omni febri; nec mala habet quę illi tribuit Hipp. 3. acuto. illud tamen aduertendum, quod vbi ventriculus siccus admodum est, vt in febre ardente; antequam cibus assumatur cyathum ex aqua bibere oportet, vt stomachus exiccatus madefiat; sic enim melius amplectitur cibos, & conquoquit; qui tamen vino sunt assueti in febre ephemera, illud bibere possunt; sed quod sit aquosum aspectu, & viribus, & tale conuenit naturis biliosis, in quibus cum Hipp. vinum prohibet, intelligit de vinoso; nam vi-

num

num oligoforum, etiam in febribus conceditur; panis bucella vino intincta, vbi virium imbecillitas adest, aut timetur, quo uis tempore dari potest.

De particulari ephemeræ curatione.

ILlam primo aggrediemur quę ex obstructione oritur; quę obstructio fit, aut stipatione meatuum cutis, vel vasorum; & in vasis ob multitudinem, vel crassitiem, uel viscositatem humorum; vel ex his omnibus: primo de illa agendum, quæ ex meatuum cutis astrictione oritur; quam vel aër frigidus; vel aqua frigida; aut aluminosa; vel vnctio astringens; aut siccitas efficere solent; præsertim in corporibus quæ calida & sicca sunt, aut calida humida; in quibus vapores acres, & mordaces succi reperiuntur; hęc enim, ait Gal. quauis leui occasione febricitare, ubi transpiratio impediatur, aut inedia nimia vsi fuerint; quare idē, hos in sanitate custodiendos monet; balneis frequentibus aquæ dulcis, tepidæ; vnctione; & rarefacientibus; exercitio mediocri; & his quę succos acres attemperent; quæ omnia cum febris adest facienda. quare idem Gal. lib. 8. meth. in iuuene illo bilioso qui se in abulis aquis astringentibus lauerat, & stipata cute febricitauit, ad balneum tepidæ misit, & vt in aëre eius moram faceret, pręcipiens; frictione molli ex oleo tepido vsus est, laxante nimirum; quale est anetinum, aut camomelinum; ptissanam, & lactucam, ac piscem mollis carnis in cibo exhibuit, aut in potu aquam; siquidem Hipp. biliosis naturis aquam & quetem inungit. quod si cutis ad hęc non apperiatur in balneo, astrigilibus vti poterimus moderatis, qualis est farina hordei, & fabarum, aut lupinorum ex Gal. pręcepto.

Quod si ab obstructione uasorum fiat, vt a sanguinis multitudine, vt fit in synocha sine putredine; illico mittendus sanguis est in quacunque hora; modo cruditas in stomacho non adsit, & a basilica dextri brachij in larga quantitate; quia vires validæ sunt; hæc enim febris non accidit nisi naturis temperatis, adolescentibus, multo sanguine repletis, & carnosis, in quibus vsque ad animi deliquium Gal. mittere sanguinem præcipit 9. meth. sed nos infra substitimus; quia sicurius est, & quantitas partienda potius, vt prima vice, ad libram, uel libram vnam & semis, mit

tamus: secundo repetamus post decem horas, & alteram libram detrahamus: ita enim sine alio remedio febrem iugulabimus. considerandę tamen sunt vires, & pro ratione eorum sanguis mittendus. post sanguinis missionem aquam frigidam in potu dat Gal. vna vel altera die transacta, in multa copia; nam synochæ febres, hæc duo remedia ponit 9. meth. 5. sed in exhibitione aquæ frigidæ, multa desiderat, quę a medico considerari debent; & pręcipue coctionem, quæ tamen in febre synocha, non putrida, cum sit de genere ephemerarum, illico conspicitur. victus sit tenuis, quia morbus est ex plenitudine, talis qualis in stipatione cutis propositus est. & hac eadem ratione curatur synocha putrida, quæ non amplius in genere ephemerarum reponitur. at si ab obstructione aliorum humorum crassorum & uiscidorũ oriatur obstructio, seu ad internos canales, seu ad foramina cutis pertineat, si parua erit obstructio, facile curatur febris, in prima, vel secunda acc ssione. at si obstructio maior sit, plures dies durat, & facile in putridam transit; ideo considerat Gal. an in hac febre adsit plenitudo; & tunc sanguinem mittit; aut medicamento purgat; ne si repleto corpore ad aperientia, & incidentia veniamus, augeatur obstructio; quod fiet ante vacuationem: euacuato corpore, si circa vasa obstructio remanet, incidentibus, & abstergentibus vtendum; tum intus, tum extra; quę non multum calefaciant, & obstructiones tollant sine calore; qualis 11. meth. ptissana est, oximel, mulsa. at nos habemus temperatiora acetosum syrupum, & aquam hordei cum saccharo: validiora sunt oximel de radicibus, & in quo appium, & origanum, aut hysopum, vel calamintam incoquimus. extra vero balneum moderate calidũ; sed balnei loco, tina vti poßumus, & per quinque, aut sex horas ante accessionem; sin minus tres, Gal. 8. meth. apperit enim meatus cutis, in quo balneo abstergatur æger farina hordei, vel fabacea, aut orobina; abstergit etiam mulsa aquosa, aut mediocris; hæc enim temperate abstergunt, validius meraca mulsa, & magis absterget si nitrum addatur; sapo etiam valide abstergit: a balneo vngendum corpus, & leuiter fricandum, camomeli, vel aneti oleo. cibus ptissana, panis lotus, coctus; aqua hordei in potu, vel cinamomi.

Vbi vero ex bilis accensione, & feruore, oritur ephemera, aut dolore, vel alia causa calida; curatio facienda per victum recte institu-

institutum; quod si non cedat, ad alia remedia veniendum, uictus frigidus, humidus, qualis præscriptus est, ea quantitate datus quæ minime offendere possit: frigida etiam & humida exterius cum cautione applicanda; vinum minime conuenit; dato aquam hordei in potu.

Ex satietate vero, & cruditate, accenditur ephemera; vbi uel excrementa retinentur, feces, vrina uel pluribus cibarijs præter modum uentriculus plenus est; & obstructio, seu astrictio transpiratum impediunt; vapores eleuanti accendunt calorem; vbi ergo detinentur alui feces clistere aducendæ: in retentione vrinæ diuretica adhibenda. in ciborum satietate, inedia vomitus, clisteres conueniunt. in cruditate nidorosa idem faciendum. quod si aluus fluat, aut vomitus excitetur, sufficit ad uacuandam plenitudinem; inde coctio procuranda; cibis utendum, qui obtundant acrimoniam humorum; quales supra dicti sunt; ptissana, alica, cum aceto; polenta, cum succo mali punici, panis lotus, coctus in iure pulli; aqua hordeacea in potu; si vratur uentriculus; sin minus uinum rubrum mediocrium uirium. extra roborandus uentriculus, oleo melino, aut mastichino addita mastiche: quies, somnus procurandus. Gal. ad roborandam coctionem, dat diatrion pipereon; & vbi nimium fluit, cõseruam decidonijs malis. Ex animi uero passionibus, vbi diaria accedat, per contrarias curandum; ira, lætitia; metus, spe; gaudium tristitia; tristitia, gaudio, & letis; uigilia somno, & cibo, ac vino.

A lassitudine, & labore, vbi febris ephemera nascatur; quies præcipienda: balneum dulcis aquę; inunctio ex hidreleo; mollis frictio; cibus reficiens per uices, si validum fuit; exercitium ob debilitatem uirium, sin minus plenior potus; aqua in calidis naturis, in alijs uinum. hæc facienda vbi lassitudo fuerit tensiua, aut ulcerosa. quod si fuerit flegmonosa, præsertim in corpore, pleno, aut non assueto, periculosa nimis est: quare tunc sanguinem mittere oportet, & tenui ualde uictu uti, & aquæ potu.

Vbi ex solis ardore, aut calidiori cęlo, febris hæc oritur, frigida capiti adhibenda syncipiti, temporibus; quale est oxirodinũ, etiam niue refrigeratum; si magnus adsit ardor, balneum tepidum, inde frigidum; nisi adsit cutis densitas; tunc frigidum non conuenit, & eiusdem potus. quod si catarrus adsit, & ille sit calidæ materiæ, balneum non conuenit; & multo minus si frigida sit.

fit. cibus sit qui præscriptus est, ex moderate refrigerantibus; quia calor in hac febre intus paucus est, extra uero pręcipue urget.

Vbi uero ex frigiditate ambientis ephemera accidit; si adsit cutis densitas, curanda febris est, ut illa quæ ex astrictione fit; oleum rutaceum calidum syncipiti infundendum. conuenit aër balnei calidus, & aqua calidior. inunctio ex oleo anetino, capiti rutaceum: cibus cum aromatibus conditus; uinum in potu. sed si catarrus adsit a balneo abstinendum: quod si catarrus frigidus inungatur, eadem est cura; a balneo abstinendum: sed si calidus sit catarrus, a frigida causa excitatus, contrariam curationem desiderat: habenda tamen ratio est eius quod magis urget; sicuti quando ex adustione oritur catarrus frigidus; utraq; enim ex his causis, scilicet ardor, & frigiditas, solent replere caput, ait Gal. primo de differentijs febrium vltimo. & hæc de ephemera, quæ hunc tractatum claudit.

FINIS.

REGISTRVM.

†*A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo

Omnes ſunt quaterniones, præter S duernionem.

Imprimatur Fr. Lælius Inquiſit. Piſarum.

V. Io Baptiſta Clarentus I. V. D.